A. lat. b. 2308 f (5

EX LIBRIS
L. BRANCHEREAU
PRÊTRE

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

78/24738

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois,

BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.

DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.

TREUTTEL ET WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.

F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

ANT. AUG. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.

BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.

BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.

MONGIE aîné, libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.

H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.

ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

T. LIVII PATAVINI

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,

REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

TITUS LIVIUS

PATAVINUS

AD CODICES PARISINOS RECENSITUS

CUM VARIETATE LECTIONUM

ET SELECTIS COMMENTARIIS

ITEM SUPPLEMENTA J. FREINSHEMII

CURANTE

N. E. LEMAIRE

VOLUME QUINTUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIII

Bayerische
Staatsbibliothek
München

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXV.

BREVIARIUM.

Cap. I; Hannibal in agro tarentino æstatem consumit: et in Bruttiis Consentini ac Thurini in fidem populi romani redeunt; sed T. Pomponius Veientanus, præfectus sociorum, ab Hannone vincitur. Religio externa, novi sacrorum ritus librique vaticini Romæ abolentur ab senatu. — II; Sacerdotibus aliquot mortuis alii sufficiuntur, et novi creantur magistratus, in his P. Cornelius Scipio ædilis curulis ante legitimam ætatem. Matronæ quædam accusantur probri; et ludi romani diem unum, plebeii per biduum instaurantur. — III; Q. Fulvius Flaccus III, et Ap. Claudius Pulcher consulatum ineunt. Prætores sortiuntur provincias, summaque XXIII legionum eo anno efficitur. Carvilii tribuni pl. M. Postumio Pyrgensi aliisque publicanis ob fraudem factam in iis, quæ portarentur ad exercitus, dicunt mulctam, et hi in concilium plebis cuneo irrumpunt. — IV; Vim eam contra remp. factam decernit senatus, et Carvilii rei capitalis diem dicunt publicanis; qui vel in carcerem conjiciuntur, vel in exsilium abeunt.—V; P. Licinius Crassus juvenis pontifex max. creatur: et ob inopiam juventutis militaris conscribuntur etiam minores XVII annis, et ingenui per agros conquisiti. — VI; Residui cannensis exercitus, in veterem quietamque provinciam in Sicilia relegati, ad Marcellum, in nova ibi provincia bellum gerentem, legatos mittunt petentes, ut sub eo militare liceat, et pugnando quærere libertatem.—VII; A Marcello ad senatum rom. et ab hoc ad illum rejiciuntur. Creantur

v viri muris turribusque, et III viri templis reficiendis, aliique III viri sacris conquirendis donisque persignandis. Tempestates fœdæ et prodigia. Obsides tarentini Roma aufugiunt; sed comprehensi virgisque cæsi de saxo dejiciuntur. — VIII; Propter atrocitatem hujus pœnæ Tarenti nobiles conjurant juvenes, quorum principes Nico et Philemenus, nocte per speciem venandi urbem egressi, ejus prodendæ modum ac tempus cum Hannibale componunt. — IX; Is, opera illorum usus, concubia nocte Tarentum ingreditur. — X; Præsidium romanum in arcem confugit, et Tarentini benigne a Pœnis tractantur. — XI; Arcem, in peninsula positam, et muro fossaque ingenti divisam ab urbe, Hannibal alio ab ea muro ac vallo intersepire, at frustra oppugnare conatur. Ut tamen illa et mari et terra obsideatur, Tarentini naves suas, portu inclusas, inde per mediam urbem ad mare plaustris transvehunt. — XII; Religionem novam Romanis objiciunt duo Marcii vatis carmina, quorum altero cladem cannensem, altero finem belli punici prædixerat, si quotannis Apollini comiter fierent ludi, et decemviri græco ritu hostiis majoribus sacra facerent. Utrumque Patres decernunt, et hæc est origo ludorum Apollinarium, quos populus spectavit coronatus. — XIII; Capuam circumsidere parant consules, eodemque Hanno ex Bruttiis cum exercitu mittitur, ut frumenti prius copiam faciat Campanis. Qua de re a Beneventanis certior factus Fulvius consul Boviano proficiscitur in Campaniam, et castra Hannonis paulo ante lucem aggreditur. — XIV; Quæ, etsi arduo posita loco, capiuntur, et Hanno cum paucis in Bruttios redit. — XV; Hannibal Campanis duo millia equitum auxilio mittit: Romani autem tarentinam arcem frumento præsidioque, quod Metaponti fuerat, instruunt. Itaque Metapontini, metu, quo tenebantur, liberati, deficiunt ad Hannibalem, eorumque exemplum eadem ora maris et Thurini sequuntur. Consules Ti. Gracchum ex Lucanis Beneventum venire jubent, et inde in campanum agrum legiones ducunt ad Capuam oppugnandam. — XVI; Gracchus, prius quam ex Lucanis movet, sacrificans tristi terretur prodigio, et mox, a Flavio hospite suo Lucano deductus in insidias, a Magone paratas, cum suis perit. — XVII; Mortis funerisque ejus varia est fama. — XVIII; Consules ad Capuam pugna incaute inita funduntur, et Campanis crescit animus; sed mox minuitur singulari certamine inter Badium Campanum et T. Quintium Crispinum, perfamiliari ho-

spitio junctos. — XIX; Hannibal, Capuam profectus, æquo ibi marte cum Romanis confligit, et Appium consulem, abeuntem in Lucanos, sed alio itinere redeuntem, sequutus obviam venit M. Centenio Penulæ, stolido homini, et insigni olim inter primi pili centuriones et corporis et animi magnitudine, qui, acceptis a senatu octo hominum millibus, et duplicato prope exercitu, conserit pugnam, atque cum plerisque suorum cadit. — XX; Capua a consulibus iterum summa vi obsidetur: in Lucanis autem volonum exercitus, mortuo Graccho, ab signis discedit; et Hannibal in Apuliam castra movet, oblata nova occasione inscii ducis exercitusque opprimendi. — XXI; Cn. Fulvius Flaccus prætor, stultitia et temeritate Centenio par, non animo, Pœno adventante, in aciem educit copias, cæco impetu ruentes, suoque arbitrio tum consistentes, tum deserentes locum; et, ubi confestim rem inclinatam videt, cum paucis equitibus effugit. — XXII; Reliquiæ duorum exercituum desertoresque de exercitu volonum conquiruntur; et Capua a consulibus ac Claudio Nerone prætore duplici fossa valloque cingitur. Hannibal arcem tarentinam Brundisiumque frustra tentat, et, precibus legatorum Campanorum adductus, regreditur Capuam. — XXIII; Interea Syracusarum oppugnatio ad finem venit, adjuta proditione intestina et die festo Dianæ, quo oppidani vino somnoque gravantur. Nocte proxima Romani scalis evadunt in murum, — XXIV; et Hexapylon Epipolasque capiunt. Sub lucem Marcellus omnibus cum copiis urbem ingreditur, reputansque secum, omnia mox arsura, illacrymat. — XXV; Achradinam murosque Epicydes et transfugæ tenent, Euryalumque arcem tuetur Philodemus argivus: Neapolis vero et Tyche a Romanis diripiuntur. — XXVI; Peste absumuntur multi Romani omnesque fere Pœni cum ipsis ducibus Hippocrate et Himilcone, qui repente advenerant. — XXVII; Bomilcar cum classe punica ingentique commeatu adventat, et Epicydes navigat ad eum, metuens, ne ob ventos adversos Africam repetat. Sed ubi tendere ad se romanas naves vident circa Pachynum promont., ille Tarentum, hic Agrigentum petit. — XXVIII; Exercitus Siculorum præfectos Epicydis interficiunt, et multitudine ad concionem vocata exponunt, quæ pacta jam habeant cum Marcello. — XXIX; Tum ad hunc Syracusani mittunt legatos, omnesque pleni sunt bonæ spei, præter transfugas et mercenarios, qui verentes, ne tradantur Romanis, præ-

tores multosque cives obtruncant, et sex præfectos creant, ut terni præsint Achradinæ ac Naso. — XXX; Unus ex iis, Mericus hispanus, Achradinam prodit Marcello, et agminibus armatorum eo concurrentibus ab Naso; hæc quoque urbis pars a Romanis, navibus ad eam expositis, capitur. — XXXI; Transfugis spatium locusque fugæ datur, et Syracusani, omni tandem liberi metu, Marcello se permittunt. Inde urbs diripienda militi datur; in quo tumultu Archimedes perit. Frumentum quoque in tempore Syracusas mittit T. Otacilius, qui agros circa Uticam depopulatus erat. — XXXII; In Hispania Scipiones bifariam ita dividunt exercitum, ut Publius duas ejus partes adversus Magonem et Hasdrubalem, Gisgonis filium, Cnæus tertiam partem adjunctis xx mill. Celtiberis adversus Hasdrubalem Barcinum ducat. — XXXIII; Celtiberi, magna mercede a Pœnis sollicitati, abeunt domos, et Cn. Scipio, nunc impar propinquo hosti, retro cedit. — XXXIV; Par terror, periculum majus fratrem urget tum a Masinissa, socio Pœnorum, qui cum equitatu Numidarum sæpius interdiu agmen et noctu castra ejus incursu turbat, tum ab Indibili, qui Pœnis adducit auxilia. Huic obviam it P. Scipio, et primum in pugna superior est; sed, adventibus Numidis et paulo post ducibus Pœnorum, anceps fit prælium, in quo ipse cadit, et Romani profligantur.—XXXV; Tum tres pœni duces conjungunt se adversus Cn. Scipionem, qui, quantum potest, recedit, — XXXVI; et tumulum capit. Is quia nudus nec satis arduus est, Romani clitellas sarcinasque accumulatas loco valli objiciunt hostibus : at mox pauci ab multis cum ipso duce cæduntur. — XXXVII; L. Marcius Septimi filius et T. Fonteius utriusque exercitus reliquias colligunt jungunt-que. Ille dux creatur, et Hasdrubalem, Gisgonis filium, a vallo repellit. — XXXVIII; Neque eo contentus milites ad castra illius ultro oppugnanda adhortatur; — XXXIX; et proxima nocte tum hæc, tum proxima Pœnorum capit castra. — XL; Marcellus, captis Syracusis cæterisque in Sicilia magna fide et integritate compositis, ornamenta urbis Romam devehit : unde primum initium mirandi græcarum artium opera, et sacra profanaque spoliandi factum est. Bellum quidem reparatur ab Epicyde, Hannone et potissimum Mutine Libyphœnice ac fortissimo Numidarum duce, qui totam Siciliam brevi tempore implet nominis sui fama. — XLI; Hoc tamen absente illi, gloriæ ejus obtrectantes, cum Marcello committunt pugnam, in qua Nu-

midæ stant quieti, Pœnique ingentem accipiunt cladem. Novi consules prætoresque creantur Romæ.

I. Dum hæc in Africa atque in Hispania geruntur, Hannibal in agro tarentino æstatem consumpsit, spe per proditionem urbis Tarentinorum potiundæ. Ipsorum interim et Sallentinorum [1] ignobiles urbes ad eum defecerunt. Eodem tempore in Bruttiis ex duodecim populis [2], qui anno priore ad Pœnos desciverant, Consentini et Thurini in fidem populi romani redierunt. Et plures rediissent, ni T. Pomponius Veientanus, præfectus socium [3], prosperis aliquot populationibus in agro bruttio justi ducis speciem nactus, tumultuario exercitu coacto, cum Hannone conflixisset. Magna ibi vis hominum, sed inconditæ turbæ agrestium servorumque, cæsa aut capta est : minimumque jacturæ fuit, quod præfectus inter cæteros est captus, et tum temerariæ pugnæ auctor, et ante publicanus, omnibus malis artibus et reipublicæ et societatibus [4] infidus damnosusque. Sempronius consul in Lucanis multa prælia parva, haud ullum dignum memoratu, fecit; et ignobilia oppida Lucanorum aliquot expugnavit. Quo diutius trahebatur bellum, et variabant secundæ adversæque res non fortunam magis, quam animos, hominum; tanta religio, et ea magna ex parte externa, civitatem incessit, ut aut homines, aut dii repente alii

Cap. I. 1. *Ipsorum interim et Sallentinorum* (vide ad X, 2, n. 2) lege, ut *ipsi* sint Tarentini; Ruben. et Gron.

2. *In Bruttiis ex XII populis*, etc. Conf. ad XXII, 61, n. 11. — *Consentini;* vide supra ad VIII, 24, n. 4. — *Thurini;* vide ad X, 2, n. 2.

3. *Præfectus socium;* vide supra ad VIII, 36, n. 5. — *Tumultuario exercitu;* vide ad I, 37, n. 4. — *Inconditæ turbæ;* vide supra ad librum XXI, cap. 57, n. 11.

4. *Publicanus.....societatibus infidus;* vide ad V, 23, n. 6. « Hinc apparet, præfectos sociorum cives romanos fuisse : neque enim alii, ut puto, quam cives, ad publica conducenda admittebantur. Idem ex XXVII, 41; XXXIII, 36; XXXIV, 47, et XXXV, 5, colligitur; » Duk.

viderentur facti. Nec jam in secreto modo atque intra parietes abolebantur romani ritus; sed in publico etiam ac foro Capitolioque mulierum turba erat, nec sacrificantium, nec precantium deos patrio more. Sacrificuli ac vates[5] ceperant hominum mentes : quorum numerum auxit rustica plebs, ex incultis diutino bello infestisque agris egestate et metu in Urbem compulsa, et quæstus ex alieno errore[6] facilis, quem velut ex concessæ artis usu exercebant. Primo secretæ bonorum indignationes exaudiebantur, deinde ad Patres etiam et ad publicam querimoniam excessit res. Incusati graviter ab senatu ædiles[7] triumvirique capitales, quod non prohiberent, quum emovere eam multitudinem e foro, ac disjicere apparatus sacrorum conati essent, haud procul abfuit, quin violarentur. Ubi potentius jam esse id malum apparuit, quam ut minores per magistratus sedaretur, M. Atilio, prætori Urbis, negotium ab senatu datum est, ut his reli-

5. *Intra parietes* (domi) *abolebantur romani ritus... Sacrificuli ac vates*, etc. Vide ad I, 23, n. 1; IV, 30, n. 5, et XXXIX, 8 sq. — *In publico;* vide ad II, 24, n. 6.

6. *Questus ex alieno*, aliorum, *errore*, superstitione et stultitia, *facilis*, facile capiendus. — *Ad publicam querimoniam excessit res;* vide supra ad III, 41, n. 6.

7. *Incusati graviter ab senatu ædiles*, scil. plebis (conf. IV, 30, et ad II, 33, n. 3) *triumvirique capitales*, qui præerant carceribus suppliciisque; unde etiam *triumviri carceris* appellantur XXXII, 26 extr. Vide Epit. lib. XI, et ad Tac. Annal. V, 9, n. 5. —De *triumviris capitalibus* notat clar. Creverius eos suffragiis populi creatos fuisse, qui de maleficiis et sceleribus cognoscerent. Multum de eorum potestate detractum est, constitutis circa annum Urbis conditæ 608 quæstionibus perpetuis. Tum enim de vilissimis fere hominibus, furibus servisque judicavere ad columnam Mæniam, de qua frequens occurrit apud scriptores mentio. Iidem carceri præerant, et supplicia de noxiis sumenda curabant. Vid. Ascon. Pæd. in Divinat. et Pompon. de Or. Juris. Ed. — *M. Atilio* tum h. l. tum cap. 3 et 12, pro vulg. *M. Æmilio* legendum esse, jam recte monuit Sigon. nam ille fuit prætor urbanus, hic peregrinus, qui deinde Luceriam provinciam habuit : vide ad XXIV, 44; et XXV, 3. *Prætori Urbis*, ut XXII, 33, n. 6; XXVI, 3, n. 4; XXVII, 4, 22, 33; XXXI, 9; XXXII, 26. Frequentius est *prætor urbanus*, et *urbis* e comp. scrib. *urb.* fieri potuit; Duk.

gionibus populum liberaret. Is et in concione senatusconsultum recitavit, et edixit, *Ut, quicumque libros vaticinos*[8] *precationesve aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros omnes literasque ad se ante calendas apriles deferret: neu quis, in publico sacrove loco, novo aut externo ritu sacrificaret.*

II. Et aliquot publici sacerdotes mortui eo anno sunt : L. Cornelius Lentulus pontifex maximus, et C. Papirius C. F. Maso pontifex, et P. Furius Philus augur, et C. Papirius L. F. Maso decemvir[1] sacrorum. In Lentuli locum M. Cornelius Cethegus, in Papirii Cn. Servilius Cæpio, pontifices suffecti sunt. Augur creatus L. Quintius Flamininus, decemvir sacrorum L. Cornelius Lentulus. Comitiorum consularium jam adpetebat tempus[2]; sed, quia consules a bello intentos avocare non placebat, Ti. Sempronius consul comitiorum causa dictatorem dixit C. Claudium Centhonem : ab eo magister equitum est dictus Q. Fulvius Flaccus. Dictator primo comitiali die[3] creavit consules Q. Fulvium Flaccum, magistrum equitum, et Ap. Claudium Pulchrum, cui Sicilia provincia in prætura fuerat. Tum prætores creati Cn. Fulvius Flaccus, C. Claudius Nero, M. Junius Silanus, P. Cornelius Sulla. Comitiis perfectis, dictator magistratu abiit. Ædilis curulis fuit eo anno[4] cum M. Cornelio Cethego P. Cor-

8. *Libros vaticinos*, quales itaque jam tum circumlati a fraudulentis vaticinatoribus. Confer XXXIX, 16; ad Tac. Ann. VI, 12, et Suet. Aug. 31. — *Literasque;* vide VI, 1, n. 2.

Cap. II. 1. *Decemvir sacrorum;* vid. ad III, 10, n. 6.

2. *Adpetebat tempus;* vide ad V, 19, n. 2. Mox *consules bello intentos advocare* leg. e 2 MSS. Doer. — Vulgatam tuetur Walchius, Emend. p. 89, et Livium ita scripsisse βραχυλογίᾳ ductum contendit, neque aliud voluisse quam istud : « Consules in bellum intentos a bello avocare non placebat. » Ed.

3. *Primo comitiali die;* vide supra ad III, 11, n. 1.

4. *Ædilis curulis fuit eo anno* (sc. quo hi consules ac prætores in annum seq. creati sunt; Duk. et Pigh.) *P. Cornelius Scipio cum M. Cornelio*

nelius Scipio, cui post Africano fuit cognomen. Huic petenti ædilitatem quum obsisterent tribuni plebis, negantes rationem ejus habendam esse, quod nondum ad petendum legitima ætas esset : « Si me, inquit, « omnes Quirites ædilem facere volunt, satis annorum « habeo. » Tanto inde favore ad suffragium ferendum in tribus discursum est[5], ut tribuni repente incepto destiterint. Ædilitia largitio hæc fuit[6] : ludi romani pro temporis illius copiis magnifice facti et diem unum instaurati, et congii olei in vicos singulos dati. L. Villius Tappulus et M. Fundanius Fundulus, ædiles plebeii,

Cethego : at, si Polybio, X, 4 et 5, atque Velleio, II, 8, fides habenda, cum L. Cornelio Scipione fratre germano. Itaque Livius alios auctores sequutus est; nisi leg. *cum L. Cornelio fratre germano....quod nondum ad petendum legitima ætas esset;* ergo lex Villia, ann. Urb. 573 lata, non *prima* fuit annalis, seu annaria, sed prima potius, quæ accurate definivit annos singulorum magistratuum : unde etiam familiæ ejus inditum cognomen *Annalium;* vide XL, 44 pr. Hac lege Villia anni videntur constituti quæsturæ 31, ædilitati curuli 37, prætura 40, consulatui 43; nam his annis eos magistratus gessit Cicero, qui suo se quemque anno gessisse gloriatur Agr. II, 2, al. Annos vero 22 ferme natus erat Scipio (cf. ad XXVI, 18, n. 5), et ne quidem gesserat quæsturam. Similia exempla vide VII, 26; XXIII, 24, 30; XXV, 41; XXVIII, 38; XXIX, 38, et XXXII, 7, n. 4 et n. 6. « Ex his locis manifestum fit, neque hoc tempore, neque aliquot post annis adhuc quidquam de annis singulorum magistratuum constitutum fuisse. Legem vero fuisse, quæ cives ante certam ætatem a quorumcumque honorum civilium petitione submoveret, probabile fit vel ex Polyb. VI, 17, qui dicit, nemini licuisse magistratum urbanum capere, qui nondum X stipendia fecisset. Id tamen semper rigide servatum fuisse, affirmare nolim. » Duker. Livium errasse, vel per prolepsin loquutum esse, putabat Perizonius ad Val. Max. I, 1, p. 13. Cf. Drakenb. ad XL, 44, et Ernesti Clav. Cicer. pag. 7.

5. *Ad suffragium ferendum in tribus discursum est*, malim *in ovile* vel *septum*. Cf. ad III, 51, n. 3, et X, 13, cap. 9.

6. *Ædilitia largitio hæc fuit*, h. e. munera, a novis ædilibus populo data, fuere hæc : *ludi romani...instaurati;* vide ad II, 36, n. 1. — *Congii olei in vicos singulos dati;* confer ad Tac. Annal. XIV, 47, n. 4. *In viros s. d.* leg. nam illa largitio haud magna fuisset; Periz. Non video causam, cur Lips. Elect. I, 8, hanc largitionem soli Scipioni tribuat; Duker. *Congius* nostrum *Stübchen*, 7 sextarii (*Nössel*), Stroth. *Congiaria* inde dicta dona proprie talia (vini et olei), sed deinde quælibet, populo data, ut et militibus, etsi hæc sæpius *donativa* vocabantur. Conf. ad XXXVII, 57, n. 2. — *Congii* secundum Creverianas rationes

aliquot matronas apud populum probri[7] accusarunt; quasdam ex eis damnatas in exsilium egerunt. Ludi plebeii per biduum instaurati; et Jovis epulum fuit ludorum causa.

III. Q. Fulvius Flaccus tertium, Ap. Claudius consulatum ineunt. Et prætores provincias sortiti[1] sunt; P. Cornelius Sulla urbanam et peregrinam, quæ duorum ante sors fuerat, Cn. Fulvius Flaccus Apuliam, C. Claudius Nero Suessulam[2], M. Junius Silanus Tuscos. Consulibus bellum cum Hannibale et binæ legiones decretæ: alter a Q. Fabio superioris anni consule, alter a Fulvio Centumalo acciperet[3]. Prætorum, Fulvii Flacci, quæ Luceriæ sub Æmilio prætore; Neronis Claudii, quæ in Piceno sub C. Terentio fuissent, legiones essent. Supplementum in eas quisque scriberet sibi. M. Junio in Tuscos legiones urbanæ prioris anni datæ. Ti. Sempronio Graccho et P. Sempronio Tu-

sunt quinæ libræ olei Parisienses cum unciis fere 14. Ed.

7. *Ædiles plebeii aliquot matronas probri accusarunt*, etc. Vide ad VIII, 22, n. 2. — *Ludi plebeii per biduum instaurati* (vide ad II, 36, n. 1), *et Jovis epulum fuit ludorum causa*, ut passim; vide Ind. Hoc Ciceroni dicitur *sacrificium epulare ludorum*, h. e. sacrificium Jovi factum, et conjunctum cum ludis lautisque epulis, quas una cum sacro olim *triumviri*, vel *tres viri*, postea *septemviri epulones* seu *epulonum* curabant; vide ad XXXIII, 42, n. 1; XL, 42, n. 2; Cic. Or. III, 19, et de Harusp. Resp. 10.

Cap. III. 1. *Prætores provincias sortiti sunt, P. Cornelius Sulla urbanam et peregrinam* provinciam, *quæ duorum ante sors fuerat*, etc. Vide ad II, 40, n. 9; III, 2, n. 1, et XXV, 41, n. 8.

2. *C. Claudius Nero Suessulam*; vid. ad II, 40, n. 9.

3. *Alter a Fulvio Centum. acciperet*, h. e. ut acciperet decretum est. Sic et mox *legiones essent* et *scriberet*. Cf. ad XXIV, 44, n. 2. Pro *quisque scriberet* plerique MSS *ipse scriberet*, et quidam *ipsi scriberent*. — Testibus Creverio et Gronovio, nullus e MSS tenet *quisque*; quamplurimi *ipse*; quidam, quos inter Victor. Lov. 2 et Hav., *ipsi scriberent*, quod recepit clarissimus ille nostras Livii interpres. Si *ipse* legendum est, ad Claudium Neronem solum respexerit Livius, quum Terentii legiones morbo vel quo alio casu imminutæ esse possunt: si *ipsi* tuearis, intelligendi sunt ambo prætores modo appellati; quorum in legiones supplementum non consules, ut mos erat, sed *ipsi* prætores scribere jubentur. Ed.

ditano imperium provinciæque Lucani et Galliæ[4] cum suis exercitibus prorogatæ : item P. Lentulo, qua vetus provincia in Sicilia esset; M. Marcello Syracusæ, et qua Hieronis regnum fuisset: T. Otacilio classis: Græcia M. Valerio: Sardinia Q. Mucio Scævolæ: Hispaniæ P. et Cn. Corneliis[5]. Ad veteres exercitus duæ urbanæ legiones a consulibus scriptæ, summaque trium et viginti legionum eo anno effecta est. Delectum consulum M. Postumii Pyrgensis cum magno prope motu rerum factum impediit. Publicanus erat Postumius, qui multis annis parem fraude avaritiaque neminem in civitate habuerat, præter T. Pomponium Veientanum, quem, populantem temere agros in Lucanis, ductu Hannonis priore anno ceperant Carthaginienses. Hi, quia publicum periculum erat a vi[6] tempestatis in iis, quæ portarentur ad exercitus, et ementiti erant falsa naufragia, et ea ipsa, quæ vera renuntiaverant, fraude ipsorum facta erant, non casu. In veteres quassasque naves paucis et parvi pretii rebus impositis, quum mersissent eas in alto, exceptis in præparatas

4. *Provinciæque Lucani et Galliæ:* in MS Flor. a manu secunda *Lucaniæ*, prob. Strothio. Præstiterit *Lucania:* sed et populus, adversus quem bellum geritur, *provincia* sæpissime dicitur, ut supra *Tusci.* Pro *Galliæ* quædam edd. antt. *Gallia*, rectius, puto; vide ad XXIV, 44, n. 2. — *Qua* parte *vetus provincia in Sicilia esset;* vide ad XXIV, 44, n. 3. — *Syracusæ;* vide ad II, 40, n. 9.

5. *Hispaniæ* (citerior et ulterior) *P. et Cn. Corneliis* Scipionibus. « Non liquet, quomodo Hispaniæ prorogatæ fuerint Cn. Scipioni, qui legatus tantum fratris fuisse videtur; vide XXI, 17, 32, 40; XXII, 22. Forte imperium ei post an. Urb. cond. 536, quo P. Scipio in Hispaniam venit, a populo extra ordinem datum, quum privatus esset. Sed hoc nusquam ante prodidit Livius. Utrique *imperatores romani* vocantur XXV, 32, 37; XXVI, 2, 41; sed ita quoque magister equitum VIII, 30, 33. » Duk. — *Publicanus erat Postumius;* vide ad V, 23, n. 6. — *T. Pomponium Veientanum*, etc. Vide cap. 1.

6. *Hi* (Postumius et Pomponius), *quia publicum periculum erat a vi tempestatis;* vide ad XXIII, 49, n. 2, ubi similiter a publicanis conducta legimus omnia, *ad exercitus portanda* navibus. Confer supra ad V, 23, n. 6. — *Ementiti erant falsa naufragia:* ita optimi MSS, non *facta n.;* neque

scaphas nautis, multiplices fuisse merces ementiebantur. Ea fraus indicata M. Atilio prætori priore anno fuerat, ac per eum ad senatum delata, nec tamen ullo senatusconsulto notata[7]; quia Patres ordinem publicanorum[8] in tali tempore offensum nolebant. Populus severior vindex fraudis erat; excitatique tandem duo tribuni plebis Sp. et L. Carvilii, quum rem invisam infamemque cernerent, ducentum millium[9] æris mulctam M. Postumio dixerunt. Cui certandæ quum dies advenisset, conciliumque tam frequens plebis adesset, ut multitudinem area Capitolii[10] vix caperet; perorata causa, spes una videbatur esse, si C. Servilius Casca tribunus plebis, qui propinquus cognatusque Postumio erat, prius, quam ad suffragium tribus vocarentur, intercessisset. Testibus datis, tribuni populum submoverunt[11]; sitellaque allata est, ut sor-

est quod nos offendat ille, si quis est, pleonasmus; Gronov. Mox pro *ementiebantur* forte leg. *comminiscebantur*. At vide ad I, 3, n. 8.

7. *Nec tamen ullo senatusconsulto notata;* vide ad XXVII, 25, n. 3.

8. *Ordinem publicanorum*, ut *ordo scribarum*, *libertinorum*, etc.; nam *ordo* est omne hominum genus. — *Offensum nolebant*, sc. ob inopiam ærarii. Conf. XXIII, 48, 49.

9. *Ducentum millium æris.* Si intelligatur æs grave, ut fieri debere videtur, ducenta millia æris æstimanda sunt marcis argenti Paris. 312, cum unciis 4. Ed. — *Mulctam M. Postumio dixerunt* tribuni: nam *mulcta* a magistratu *dicitur* seu *indicitur*, *petitur* et *irrogatur* alicui, lege de ea ad populum lata; deinceps *certatur mulcta*, h. e. de ea in comitiis, populo in suffragium misso (ut *vincere judicium*, seu *sponsionem*, νικᾶν μάχην et μάχη· cf. Ern. Clav. Cic. v. *Rejicere*); denique vel *jubetur* vel *remittitur* a populo. Conf. Cic. Phil. XI, 8; de Leg. III, 3, 6, et pro Mil. 14; infra cap. 4, n. 4 (ubi *omissa mulctæ certatio*, ut 26, 3, in judicio Cn. Fulvii); Sigon. de Judic. II, 10, et Gruch. de Comit. II, 2, in fine.

10. *Area Capitolii;* vide ad I, 6, n. 5. — *Perorata causa*, hoc est, exposita, seu tractata re a tribunis in concione ad populum habita. — *Propinquus cognatusque*, f. *cognatione*.

11. *Testibus datis, tribuni populum submoverunt;* vide II, 56, n. 9; III, 14, n. 4, et III, 71, n. 1. — *Sitella;* vide ad XXI, 42, n. 2. — *Ut sortirentur*, sorte educerentur tribus, *ubi*, in quibus, *Latini*, cives rom. facti, *suffragium ferrent;* Sigon. Sed *Latini* ab h. l. alieni, et frustra vulgatum defendere conantur Doujat. ad hunc loc. Gruch. de Comit. II, 3 extr. et Sigon.

tirentur, ubi Latini suffragium ferrent. Interim publicani Cascæ instare, ut concilio diem [12] eximeret. Populus reclamare: et forte in cornu primus sedebat Casca, cui simul metus pudorque animum [13] versabat. Quum in eo parum præsidii esset, turbandæ rei causa publicani per vacuum in submoto [14] locum cuneo irruperunt, jurgantes simul cum populo tribunisque. Nec procul dimicatione res erat, quum Fulvius consul tribunis, « Nonne videtis, inquit, vos in ordinem co-

Ant. Jur. Ital. I, 4. Conf. Spanhem. Orb. Rom. I, 7, et Gron. Epist. 218, in Syll. Epist. Burm. tom. III; *ut sortirentur tribus*, scilicet quæ esset prærogativa, *ac dein suffragium ferrent* conj. Gron. *ut sortirentur, ac sortiti s. f.* vel potius *ubi* (quo ordine) *laturi suffr. essent* Stroth. *ut s., qui suffr. ferrent* Doer.

12. *Ut concilio diem eximeret;* vid. ad I, 50, n. 6. — *In cornu*, in extrema aut primore parte subselliorum, in arcum aut semicirculi formam collocatorum, in quibus sedebant tribuni plebis (nam subsellia sunt tribunorum, non tribunal; etsi eos, qui cum populo agebant, de loco superiore egisse certum est, et hoc etiam *in capite primore* subselliorum dici potest, ut apud Sidon. Ep. I, 7, *in imo capite subselliorum consedit*); ut *cornu* sæpe de extrema multarum rerum parte dicitur; Duk. et Stroth. Confer ad Tac. Ann. I, 75, n. 1; ad Suet. Tib. 33, et Intpp. Valer. Max. V, 7, ext. 2.

13. *Metus pudorque animum versabat;* vide ad II, 45, n. 6.

14. *Publicani per vacuum submoto populo*, vel *in submoto*, in ea parte, unde populus submotus erat (ut forte *submoto incedere* XXVIII, 27, n. 10), *locum* concilii *cuneo* (vide ad II, 50, n. 8) *irruperunt* ex emend. Gronov. cujus nota est: « *Submoto incedere* vel *agere* dicebantur magistratus roman. (vide ad III, 14, n. 4) quum inter frequentiam hominum, lictorum ministerio et animadversione cedere locumque dare jussum, progrediebantur, vel agebant. Ita hic *vacuus submoto locus*, qui, per viatores tribunicios discedere jussa plebe, inter ipsam et tribunos interlucebat et intervallum faciebat: in quod irrupisse publicanos et tribunos a plebe interclusisse, cum utrisque jurgantes, ex capite sequenti liquet. Tribuni jus submovendi non habebant: tamen in conciliis submoto considebant; cf. II, 56. » Ex ejusdem MS Put. lectione (*in summo tolo cuneo i.*) efficiebat hanc: *in submotos cuneo i.* sed legere malebat: *in vacuum per submotos locum c. i.* id est, facto cuneo per turbam irruperunt in eum locum, quem antea plebis pars occupaverat, qua submota locus ille erat vacuefactus; ut ita starent inter plebem et tribunos suffragia colligentes: quod ex cap. seq. patet. *Per vacuum a submotis locum*, ubi tribuni populum submovebant, *cuneo irruperunt* (ne ipsi quoque submoveri possent) conj. Doer. Cui lectioni idem adversatur, quod contra Gron. monuit Stroth., ita non

« actos esse[15], et rem ad seditionem spectare[16], ni « propere dimittitis plebis concilium? »

IV. Plebe dimissa, senatus vocatur, et consules referunt de concilio plebis turbato vi atque audacia publicanorum. *M. Furium Camillum, cujus exsilium ruina Urbis sequuta fuerit, damnari se ab iratis civibus*[1] *passum esse. Decemviros ante eum, quorum legibus ad eam diem viverent, multos postea principes civitatis, judicium de se populi passos. Postumium Pyrgensem suffragium populo romano extorsisse, concilium plebis sustulisse, tribunos in ordinem*[2] *coegisse, contra populum romanum aciem instruxisse, locum occupasse, ut tribunos a plebe intercluderet, tribus in suffragium vocari prohiberet. Nihil aliud a cæde ac dimicatione continuisse homines, nisi patientiam magistratuum, quod cesserint*[3] *in præsentia furori atque audaciæ paucorum, vincique se ac populum romanum passi sint : et comitia, quæ reus vi atque armis prohibiturus erat, ne causa quærentibus dimicationem daretur, voluntate ipsius sustulerint.* Hæc quum ab

opus fuisse *cuneo*, quo non in *vacuum locum*, sed in confertam turbam irrumpatur, ut fiat via. In plerisque MSS est *in submoto loco in eo* vel *eos irruperunt;* in quibusdam *meo* pro *in eo*, et *summo* pro *submoto;* in edd. ante Gron. *vi summa occupato loco in eos i.*

15. *Vos in ordinem coactos esse;* vide ad III, 35, n. 7.

16. *Rem ad seditionem spectare;* vide ad I, 9, n. 3.

Cap. IV. 1. *Damnari se ab iratis civibus :* ita optimi MSS. *Ingratis* edd. ante Gron. qui monet, credibilius esse utique, immoderato affectui, quam pravo animo dedecus id consules delegasse. Res nota ex V, 32. — *Suffragium populo romano :* antea legebatur *per vim* pro *romano;* sed vidit Gronovius duo hæc vocabula recentis esse ingenii, veramque lectionem restituit, quam Crev. Drak. aliique secuti sunt. Est aliqua emphasis in nomine *pop. rom.* hic expresso. Ed.

2. *Tribunos in ordinem coegisse;* vide ad III, 35, n. 7.

3. *Patientiam magistratuum, quod cesserint,* forte *qui cesserint;* Gronov. — *Voluntate ipsius sustulerint,* « immo *voluntate ipsi sustulerint,* vel *vol. ipsi sua sust.*, ut III, 41; V, 17; XXX, 7; XXXV, 45, et Cic. pro Lig. 3; de Fin. II, 20 : nam etiam voluntate illius sublata fuissent, si vis et arma effectum habuissent, et hoc dicit Livius, eos comitia, quæ Postumius vi atque

optimo quoque pro atrocitate rei acta essent, vimque eam contra rempublicam et pernicioso exemplo factam, senatus decresset; confestim Carvilii tribuni plebis, omissa mulctæ certatione[4], rei capitalis diem Postumio dixerunt; ac, ni vades daret, prehendi a viatore atque in carcerem duci jusserunt. Postumius, vadibus datis, non adfuit. Tribuni plebem rogaverunt, plebesque ita scivit[5]: *Si M. Postumius ante calendas maias non prodisset, citatusque eo die non respondisset neque excusatus esset; videri eum in exsilio esse, bonaque ejus venire, ipsi aqua et igni placere interdici.* Singulis deinde eorum, qui turbæ ac tumultus concitatores fuerant, rei capitalis diem dicere ac vades poscere cœperunt. Primo non dantes, deinde etiam eos, qui dare possent, in carcerem conjiciebant: cujus rei periculum vitantes plerique in exsilium abierunt.

V. Hunc fraus publicanorum, deinde fraudem audacia protegens, exitum habuit. Comitia inde pontifici maximo creando sunt habita: ea comitia novus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit[1]. Tres ingenti

armis prohibiturus erat, ultro ac sponte sua sustulisse »; Duker. Mox *pro atrocitate rei jacta* (vide ad II, 12, n. 7) recte, opinor, reposuit Gron. ex conj. Ursini.

4. *Omissa mulctæ certatione* (vide ad cap. 3, n. 9), *rei capitalis diem P. dixerunt;* vide ad II, 35, n. 1, et III, 11, n. 4. — *Ni vades daret* (vide ad III, 13, n. 9), *prehendi a viatore;* vide ad II, 56, n. 10. — *Non adfuit,* scilicet in judicio, die dicta, ut mox *prodisset.*

5. *Tribuni plebem rogaverunt, plebesque ita scivit;* vide IV, 58, n. 10. — *Citatusque eo die non respondisset:* nam *respondere* dicitur et reus et accusator, quum die dicta adsunt. Conf. ad XXXIX, 18, n. 1. — *Ipsi aqua et igni placere interdici;* vide ad Tac. Ann. I, 3, n. 23. — Nulla lege apud Romanos maleficium multabatur, ut notat Creverius. Vide Cic. pro A. Cæcina, n. 100; at mos erat aqua et igni interdicere sontibus, ut earum rerum usu interdicto, sine quibus vita hominum constare non potest, damnati exsulare cogerentur. Quibus igitur aqua et igni interdictum erat, ii exsules erant, et civitatem amittebant. Ed.

Cap. V. 1. *Ea comitia novus pontifex Cethegus habuit:* confer cap. 2,

certamine petierunt : Q. Fulvius Flaccus consul, qui et ante bis consul et censor fuerat; et T. Manlius Torquatus, et ipse duobus consulatibus et censura insignis; et P. Licinius Crassus, qui et ædilitatem curulem petiturus erat. Hic senes honoratosque juvenis in eo certamine vicit. Ante hunc, intra centum annos et viginti, nemo præter P. Cornelium Calussam [2], pontifex maximus creatus fuerat, qui sella curuli non sedisset. Consules quum ægre delectum conficerent, quod inopia juniorum non facile in utrumque, ut et novæ urbanæ legiones, et supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat; senatus *absistere eos incepto* vetuit, *et triumviros binos creari* jussit : *alteros, qui citra, alteros, qui ultra quinquagesimum lapidem in pagis forisque et conciliabulis* [3] *omnem copiam inge-*

pr. nam erant tum VIII pontifices (vide X, 6 et 9), et ex his unus pontifex max. : quo mortuo, primum novus pontifex cooptabatur (a collegio pontificum) ad supplendum collegium et numerum VIII pontificum : ex his vero VIII deinde unus comitiis tributis pontifex max. creabatur; Duker. Cf. cap. 2, ad III, 54, n. 2; XXXIX, 46 pr.; XL, 42; Gruch. de Comit. II, 2 et 3; Noris. ad Cenot. Pis. diss. I, cap. 5. Cooptatio illa sublata an. Urb. cond. 649, lege Domitia; vide ad XXIII, 21, n. 5. — *Ea comitia novus pontifex habuit;* vide ad III, 54, n. 2. — Grævius horum Livii verborum hunc esse sensum putat, Prol. ad Thes. Ant. Rom. tom. V, ut Cethegus collegii pontificum nomine petierit, ut comitia haberentur. Sed verba Livii aliquid amplius postulare censet Creverius. Fortasse in illis comitiis, quæ pontifici max. creando habebantur, fuit aliquod pontificum munus, aliquid ab ipsis peragendum; ut, etiamsi minus proprie, aliquo tamen modo comitia illa habuisse dici possent. Ed. — *Q. Fulvius Flaccus* et *T. Manlius Torquatus* etiam pontifices erant. De illo vide XXIII, 21; de hoc Livius id forte tradidit in libris deperditis.

2. *P. Cornelium Calussam*, forte leg. *Cæsullam* cum Gron. (ex Festo : *Raviliæ a ravis oculis, quemadmodum a cæsiis Cæsullæ*) vel potius *Scapulam* cum Sigon. Confer VIII, 22 pr. et Pigh. in Ann. ad an. 425, pag. 337.

3. *In pagis forisque et conciliabulis*, de quibus multa dixit Donatus ad XL, 19. *Pagi*, vici, propr. in locis montanis ipsaque natura munitis, quæ vel Numa vel Servius Tullius (nam utrumque tradit Dion. II, pag. 135, et IV, pag. 220, ed. Sylb.) perfugia fecit rusticis et πάγους (colles) dixit. Conf. ad XXXI, 30, n. 3, et Ernesti clav. Cic. *Fora* oppidula (*Marktflecken*) ubi statis diebus habebantur nundinæ jusque dicebatur, verbi causa, *Forum Appii*, *Livii*, *Julii*, etc. Confer Doe-

nuorum inspicerent, et, si qui roboris satis[4] *ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum militari ætate essent, milites facerent. Tribuni plebis, si iis videretur, ad populum ferrent, ut, qui minores septem et decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem et decem annorum, aut majores, milites facti essent.* Ex hoc senatusconsulto creati triumviri bini conquisitionem ingenuorum per agros habuerunt. Eodem tempore ex Sicilia literæ M. Marcelli de postulatis militum, qui cum P. Lentulo militabant[5], in senatu recitatæ sunt : cannensis reliquiæ cladis hic exercitus erat, relegatus in Siciliam, sicut ante dictum est, ne ante punici belli finem in Italiam reportaretur.

VI. Hi permissu Lentuli primores equitum centurionumque et robora ex legionibus peditum legatos in hiberna ad M. Marcellum miserunt, e quibus unus, potestate dicendi facta, « Consulem, inquit, te, M. Mar-

ring ad Cic. Cat. I, 9; Sigon. Ant. Jur. Ital. II, 15; Turneb. Advers. I, 11, et Marc. Donat. infra ad XL, 19, n. 3, qui etiam de *conciliabulis* disputant. *Conciliabula* haud fere diversa a *foris*, quibus etiam passim junguntur. Conf. cap. 22; VII, 15, n. 7; XXIX, 37; XXXIV, 1, n. 56; XXXIX, 14, n. 5; XXXIX, 18, n. 1; XL, 37; XLIII, 14, n. 6, et ad Tac. Ann. III, 40, n. 3. Isidorus : « Pagi, inquit, sunt apta ædificiis loca inter agros habitantibus. Hæc et conciliabula dicta a societate et conventu multorum in unum. » Festus : « Forum negotiationis locus, ut forum Flaminium et Julium ab eorum nominibus, qui ea fora constituenda curarunt, quod etiam locis privatis et in viis (unde *forum Aurelium* apud Cic. Cat. I, 9, a via Aurelia, ubi illud situm) et in agris fieri solet »; et : « Conciliabulum locus, ubi in concilium convenitur. »

4. *Si qui roboris satis*, etc., unde patet, inter causas, cur Romani minores XVII annis militare non voluerint, non levissimam fuisse hanc, quod plerique non satis haberent roboris ad ferenda arma cæteraque onera, de quibus Lips. de mil. Rom. V, 2, agit; Duk. — *Etiamsi nondum militari ætate essent*, et *minores XVII annis sacramento dixissent;* vide ad II, 24, n. 7, et XXII, 11, n. 8. — *Iis stipendia procederent;* vide ad V, 7, n. 5. — *Conquisitionem ingenuorum;* vide ad XXI, 11, n. 10.

5. *Qui cum P. Lentulo militabant;* vide XXIV, 10. — *Cannensis reliquiæ cladis* (vide ad IV, 27, n. 1), etc. Cf. XXIII, 25, 31. — Quidam *reportarentur*, quod defendi potest. Ed.

« celle, in Italiam adissemus, quum primum de nobis,
« etsi non iniquum, certe triste senatusconsultum fa-
« ctum est [1], nisi hoc sperassemus, in provinciam nos
« morte regum turbatam ad grave bellum adversus Si-
« culos simul Pœnosque mitti, et sanguine nostro vul-
« neribusque nos senatui satis facturos esse [2]; sicut
« patrum memoria, qui capti a Pyrrho ad [3] Heracleam
« erant, adversus Pyrrhum ipsum pugnantes satis fe-
« cerunt. Quanquam quod ob meritum nostrum suc-
« censuistis, Patres conscripti, nobis, aut succensetis?
« Ambo mihi consules et universum senatum intueri
« videor, quum te, M. Marcelle, intueor: quem si ad
« Cannas consulem habuissemus, melior et reipublicæ
« et nostra fortuna esset. Sine, quæso, priusquam de
« conditione nostra queror, noxam, cujus arguimur,
« nos purgare. Si non deum ira, nec fato, cujus lege
« immobilis rerum humanarum ordo seritur [4], sed culpa
« periimus ad Cannas, cujus tandem ea culpa fuit? mi-
« litum, an imperatorum? Equidem miles nihil unquam
« dicam de imperatore meo, cui præsertim gratias sciam
« ab senatu actas [5], quod non desperaverit de republica;

Cap. VI. 1. *Triste senatusconsultum factum est;* vide XXIII, 25. — *In provinciam* Siciliam *morte regum turbatam*, Hieronis et Hieronymi.

2. *Vulneribusque nos* (et *nostris*) *senatui satis facturos* pauci MSS. Illud recepit Drak. hoc Crever. et Stroth. Pro *nos senatui* in plerisque MSS et in edd. ante Gron. *magistratibus*, at in optimis codd. *nostratui*: unde J. Fr. Gron. reposuit *nos patriæ;* et Jac. Gron. conj. *nos reatui satis facturos*, h. e. luituros commissa et quum maxime navata fortiter opera prius crimen et ignominiosam hanc relegationem abolituros. Sed vocis *reatus* significatio hæc recentior est; vide Duk. ad h. l. Quintil. Inst. Or. VIII, 3, et inprimis Bentl. ad Horat. Od. III, 6, 20.

3. *Capti a Pyrrho ad Heracleam;* vide ad XXII, 59, n. 3. — *Melior et reipublicæ et nostra fortuna.* Nonnulli codd. et edd. dant *respublica*, sed credibile est hoc olim verbum scriptum fuisse ita, R. P. quod quomodo exprimendum foret, librarii non assequuti sunt. Ed.

4. *Fato, cujus lege immobilis rerum humanarum ordo seritur* (nectitur): conf. ad Tac. Ann. VI, 22, n. 1, et ad Sil. V, 76; VI, 121; XV, 57 sq. ad Juvenal. IX, 32; XII, 63.

5. *Gratias sciam ab sen. actas*, etc.;

« cui post fugam ab Cannis per omnes annos prorога-
« tum imperium. Cæteros item ex reliquiis cladis[6] ejus,
« quos tribunos militum habuimus, honores petere et
« gerere, et provincias obtinere audivimus. An vobis
« vestrisque liberis ignoscitis facile, Patres conscripti,
« in hæc vilia capita sævitis[7]? et consuli primoribus-
« que aliis civitatis fugere, quum spes alia nulla esset,
« turpe non fuit; milites utique morituros in aciem
« misistis? Ad Alliam prope omnis exercitus fugit: ad
« Furculas Caudinas, ne expertus quidem certamen,
« arma tradidit hosti, ut alias pudendas clades exerci-
« tuum taceam: tamen tantum abfuit ab eo, ut ulla
« ignominia iis exercitibus quæreretur[8], ut et urbs
« Roma per eum exercitum, qui ab Allia Veios trans-
« fugerat, recuperaretur; et caudinæ legiones, quæ sine
« armis redierant Romam, armatæ remissæ in Sam-
« nium, eumdem illum hostem sub jugum miserint,
« qui hac sua ignominia lætatus fuerat. Cannensem
« vero quisquam exercitum fugæ aut pavoris insimu-
« lare potest, ubi plus quinquaginta millia hominum
« ceciderunt? unde consul cum equitibus septuaginta
« fugit? unde nemo superest, nisi quem hostis cæden-
« do fessus reliquit? Quum captivis redemptio negaba-

vide ad XXII, 61. — *Post fugam ab Cannis* ex emend. Gronov. qui etiam bene conj. *ad Cannas*. In MS Put. *actannis*, in aliis et edd. ante Gron. *actam nisi* et *actam sit*.

6. *Cladis ejus*; vid. IV, 27, n. 1.

7. *In hæc vilia capita sævitis?* In optimis MSS *sæviret consuli*: unde *sævi? et consuli* dedit Gron.

8. *Ignominia exercitibus quæreretur*; vide ad II, 43, n. 7. *Inureretur* conj. Valla. Melius se habet vulgata lectio; nam quemadmodum Cicero (Phil. IX, 1) dixit *quærere alicui honores*, sic *ignominiam quærere* dici potest. Hæc recte Sigonius: et hoc verbum eo accommodatius rei est, quod genus ignominiæ qua notati sunt cannenses isti milites, novum et nunquam antea usurpatum est. Ed. — *Caudinæ legiones*, etc.; vide ad IX, 10, n. 5. — *Ubi plus L millia hominum.... fugit*; vide ad XXII, 49, ibique n. 8 et 9. — J. Perizonius *plus quadraginta* ad marginem Livii conjecit, quia Livius ita fere loco cit. Sed in orationibus sæpe numerus augetur, vel minuitur. Ed.

« tur [9], nos vulgo homines laudabant, quod reipublicæ
« nos reservassemus; quod ad consulem Venusiam re-
« dissemus, et speciem justi exercitus fecissemus. Nunc
« deteriore conditione sumus, quam apud patres no-
« stros fuerant captivi. Quippe illis arma tantum atque
« ordo militandi [10], locusque, in quo tenderent in ca-
« stris, est mutatus: quæ tamen, semel navata rei-
« publicæ opera, et uno felici prælio, recuperarunt.
« Nemo eorum relegatus in exsilium est: nemini spes
« emerendi stipendia adempta: hostis denique est da-
« tus, cum quo dimicantes, aut vitam semel, aut igno-
« miniam finirent. Nos, quibus, nisi quod commisimus,
« ut quisquam ex cannensi acie miles romanus super-
« esset, nihil objici potest, non solum a patria procul
« Italiaque, sed ab hoste etiam, relegati sumus; ubi
« senescamus in exsilio, ne qua spes, ne qua occasio
« abolendæ ignominiæ, ne qua placandæ civium iræ,
« ne qua denique bene moriendi sit. Neque ignominiæ
« finem, nec virtutis præmium petimus; modo expe-
« riri animum et virtutem exercere liceat: laborem et
« periculum petimus, ut virorum, ut militum officio
« fungamur. Bellum in Sicilia jam alterum annum in-
« genti dimicatione geritur: urbes alias Pœnus, alias
« Romanus expugnat: peditum, equitum acies con-
« currunt [11]; ad Syracusas terra marique res geritur:
« clamorem pugnantium crepitumque armorum exau-
« dimus, resides ipsi ac segnes, tanquam nec manus,
« nec arma habeamus. Servorum legionibus Ti. Sem-

9. *Captivis redemptio negabatur*; vid. XXII, 54, 61.

10. *Quippe illis arma tantum atque ordo militandi mutatus* (vide supra ad XXIV, 18, n. 6), *locusque, in quo tenderent*, tentoria ponerent et haberent, *in castris:* vide ad X, 4, n. 2.

11. *Peditum, equitum acies concurrunt.* Putean. liber ignorat copulativam particulam: qua detracta vividior fit oratio. Ed. *Ab hoste etiam relegati sumus, ubi senescamus in exsilio.... tanquam nec manus, nec arma habeamus;* vid. ad XXV, 41, n. 8.

« pronius consul toties jam cum hoste signis collatis « pugnavit : operæ pretium habent, libertatem civita- « temque. Pro servis saltem ad hoc bellum emptis vo- « bis simus : congredi cum hoste liceat, et pugnando « quærere libertatem. Vis tu mari, vis terra, vis acie, « vis urbibus oppugnandis experiri virtutem ? Asper- « rima quæque ad laborem periculumque deposcimus, « ut, quod ad Cannas faciundum fuit, quam primum « fiat ; quoniam, quidquid postea viximus, id omne « destinatum ignominiæ est. »

VII. Sub hæc dicta[1] ad genua Marcelli procubue- runt. Marcellus id nec juris, nec potestatis suæ esse dixit : senatui scripturum se, omniaque de sententia Patrum facturum esse. Hæ literæ ad novos consules allatæ, ac per eos in senatu recitatæ sunt : consultus- que de his literis ita decrevit senatus : *Militibus, qui ad Cannas commilitones suos pugnantes deseruissent, senatum nihil videre*[2]*, cur respublica committenda sit. Si M. Claudio proconsuli aliter videretur, faceret, quod e republica fideque sua videret*[3]*; dum ne quis eorum munere vacaret, neu dono militari virtutis ergo dona- retur, neu in Italiam reportaretur, donec hostis in terra Italia esset.* Comitia deinde a prætore urbano de se- natus sententia plebisque scitu sunt habita : quibus creati sunt quinqueviri muris turribusque reficiendis,

Cap. VII. 1. *Sub hæc dicta ;* vide ad II, 55, n. 1.

2. *Senatum nihil videre*, h. e. nul- lam causam, *cur respubl.*, ejus salus, *committenda sit ;* vid. ad II, 64, n. 3.

3. *Quod e rep. fideque sua videret* (vide ad XXII, 39, n. 1), *dum ne ;* dummodo non, *quis eorum munere vacaret* castrensi : vide IV, 26, n. 7. — *Munus* hic esse onus militare, ut lignum, fœnum, stramen, aquam in castra portare, etc. censet Creverius. Iis autem oneribus vacare quibusdam militibus, virtutis ergo, dabatur. Has etiam vacationes interdum pecunia a centurionibus redimere solitos esse milites docet Tacit. Annal. I, 17, et alibi sæpius. Ed. — *Virtutis ergo ;* v. ad VI, 27, n. 1. — *In terra Italia,* ut XXX, 32 ; XLII, 29, optimi MSS. Vulg. *intra Italiam*. Conf. infra ad XXVII, 24, n. 1.

et triumviri bini; uni sacris conquirendis donisque persignandis[4]; alteri reficiendis ædibus Fortunæ et matris Matutæ intra portam Carmentalem, sed et Spei extra portam; quæ priore anno incendio consumptæ fuerant[5]. Tempestates fœdæ fuere: in Albano monte biduum continuiter lapidibus pluit. Tacta de cælo multa; duæ in Capitolio ædes; vallum in castris multis locis supra Suessulam, et duo vigiles exanimati. Murus turresque quædam Cumis non ictæ modo fulminibus, sed etiam decussæ. Reate saxum ingens visum volitare: sol rubere solito magis sanguineoque similis. Horum prodigiorum causa[6] diem unum supplicatio fuit, et per aliquot dies consules rebus divinis operam dederunt; et per eosdem dies sacrum novemdiale fuit. Quum Tarentinorum defectio jam diu et in spe Hannibali, et in suspicione Romanis esset, causa forte extrinsecus maturandæ ejus intervenit. Phileas Tarentinus, diu jam per speciem legationis Romæ quum esset, vir inquieti animi, et minime otium, quo tum diutino senescere videbatur, patientis, aditum sibi ad obsides tarentinos invenit. Custodiebantur in atrio Libertatis[7] minore cura, quia nec ipsis, nec civitati eorum fallere Romanos expediebat. Hos, crebris colloquiis sollicitatos, corruptis ædituis duobus, quum primis tenebris custodia eduxisset, ipse comes occulti

4. *Sacris conquirendis donisque persignandis*, qui dona templorum conquisita recognoscerent, eorumque numerum, materiam et quæ alia ad ea noscenda pertinerent, in tabulas referrent et accurate perscriberent; Duk.

5. *Ædibus Fortunæ et matris Matutæ, sed et Spei...fuerant;* cf. XXIV, 47 extr. Tò *sed* vix ferendum, et forte latet in eo nomen deæ alicujus, verbi gratia, *Fidei;* Doer.

6. *Horum prodigiorum causa* (de quibus vide ad I, 31, n. 1)...*supplicatio fuit, et.....sacrum novemdiale;* vide ad I, 31, n. 3, et III, 63, n. 2. — *Per speciem legationis;* vide ad II, 32, n. 2.—*Senescere videbantur* otio; vide ad I, 22, n. 3.

7. *In atrio Libertatis;* vid. supra ad XXIV, 16, n. 10. — *Ædituis duobus*, in quorum custodia et templum et ipsi obsides erant.

itineris factus profugit. Luce prima vulgata per Urbem fuga est : missique, qui sequerentur, ab Tarracina comprehensos omnes retraxerunt. Deducti in comitio, virgisque, approbante populo, cæsi, de saxo dejiciuntur[8].

VIII. Hujus atrocitas pœnæ duarum nobilissimarum in Italia græcarum civitatium[1] animos irritavit, quum publice, tum etiam singulos privatim, ut quisque tam fœde interemptos, aut propinquitate, aut amicitia contingebat. Ex iis tredecim fere nobiles juvenes tarentini conjuraverunt, quorum principes Nico et[2] Philemenus erant. Hi, prius, quam aliquid moverent, colloquendum cum Hannibale rati, nocte per speciem[3] venandi urbem egressi, ad eum proficiscuntur : et, quum haud procul castris abessent, cæteri silva prope viam sese occuluerunt; Nico et Philemenus, progressi ad stationes comprehensique, ultro id petentes, ad Hannibalem deducti sunt. Qui quum et causas consilii sui, et quid pararent, exposuissent, collaudati oneratique

8. *Deducti in comitio.....de saxo dejiciuntur;* vide ad I, 36, n. 6, et VI, 20, n. 11. Lege vel *in comitium* cum Strothio, vel *reducti in comitio virgis a. p. cæsi* cum Gronovio.

Cap. VIII. 1. *Duarum nobilissimarum.....civitatium*, immo trium, ut patet ex cap. 15, Tarenti, Metaponti, Thuriorum; Gron. — *Ex iis* (scilicet propinquis interemptorum aut amicis) *XIII fere nobiles juvenes tarentini*, etc. Conf. ad hoc et seqq. cap. de Tarento Hannibali prodita Appian. Bell. Hann. 32-34; Frontin. Strat III, 3, 6, et inpr., qui ad verbum a Livio exprimi solet, Polyb. VIII, 19 sqq. vel 26-36 in ed. Schweigh.

2. *Nico et Philemenus* aut *Philomenus* optimi MSS; *Philomenes* alii et edd. ante Gron. Φιλήμενος (al. Φιλέμενος) καὶ Νίχων apud Polyb. Pro his unus tantum, et quidem Κονωνεὺς, Cononeus, nominatur ab Appiano et Front., quoniam Philomeno forte partes fuerunt præcipuæ et cognomen *Cononeo*, ut Niconi *Perconi* (vide XXVI, 39), quod suspicatur Schweigh.

3. *Per speciem venandi* (vide ad II, 32, n. 2) *urbem egressi;* ita optimi MSS ut et mox *se urbem egressos*, quod et Palat. 2, recepi pro vulg. *urbe*. Confer ad II, 37, n. 5, ὡς ἐπ' ἐξοδίαν ὁρμήσαντες ἐκ τῆς πόλεως Polyb. VIII, 26, n. 1, et § 7, ὡς ἀπὸ τοῦ κρατίστου ποιούμενοι τὰς ἐπὶ τὰς λῃστείας ἐξόδους; sed VIII, 27, n. 4, ποτὲ μὲν ὡς ἐπ' ἐξοδίαν, ποτὲ δὲ πάλιν ὡς ἐπὶ κυνηγίαν ποιούμενοι

promissis jubentur, ut fidem popularibus facerent, prædandi causa se urbem egressos, pecora Carthaginiensium, quæ pastum propulsa essent, ad urbem agere. Tuto ac sine certamine id facturos, promissum est. Conspecta ea præda juvenum est; minusque, iterum ac sæpius id eos audere, miraculo fuit. Congressi cum Hannibale rursus, fide sanxerunt, liberos Tarentinos leges suaque omnia habituros, neque ullum vectigal Pœno pensuros, præsidiumve invitos recepturos: prodita præsidia Carthaginiensium fore. Hæc ubi convenerunt[4], tunc vero Philemenus consuetudinem nocte egrediundi redeundique in urbem frequentiorem facere (et erat venandi studio insignis): canesque et alius apparatus sequebatur; captumque ferme aliquid, aut ab hoste ex præparato ablatum reportando, donabat aut præfecto, aut custodibus portarum[5]. Nocte maxime commeare[6] propter metum hostium, credebant. Ubi jam eo consuetudinis adducta res est[7], ut, quocumque noctis tempore sibilo dedisset signum, porta aperiretnr, tempus agendæ rei Hannibali visum est. Tridui viam aberat[8]: ubi, quo minus mirum esset, uno eodemque loco stativa eum tamdiu habere, ægrum

τὰς ἐκ τῆς πόλεως ἐξόδους. — *Prædandi causa se urbem egressos:* dant *urbe* plerique, et receperunt Crev. et Drak. quanquam altera lectio non spernenda est. Supra hi juvenes dicuntur urbe egressi *venandi causa;* infra quoque de venatione sermo est; nunc autem de prædatione. Itaque intelligendum est eos significasse portarum custodibus se in utrumque paratos, ut et venarentur, et, si daretur occasio, ex hoste prædas agerent. Ed.

4. *Hæc ubi convenerunt;* vide ad I, 3, n. 4.

5. *Aut præfecto, aut custodibus portarum;* vide supra ad lib. XXIV, cap. 20, n. 7.

6. *Nocte maxime commeare,* ire ex urbe et redire. Confer cap. 9; IV, 9 extr.; V, 47 extr.; XXXIII, 29 pr., et ad I, 57, n. 2.

7. *Ubi jam eo consuetudinis adducta res est,* ad eam consuetudinem, ut passim *eo* vel *huc furoris, audaciæ,* etc., *venire, procedere, progredi.* — *Dedisset,* scil. Philemenus.

8. *Tridui viam aberat:* in edd. ante Gron. *via.* Sic narrat Polyb. VIII, 21: Ἀπεῖχε τῷ στρατοπέδῳ τριῶν ἡμερῶν ὁδὸν τοῦ Τάραντος. Ed.

simulabat [9]. Romanis quoque, qui in præsidio Tarenti erant, suspecta esse jam segnis mora ejus desierat.

IX. Cæterum postquam Tarentum ire constituit, decem millibus peditum atque equitum, quos in expeditione velocitate corporum ac levitate armorum aptissimos esse [1] ratus est, electis, quarta vigilia [2] noctis signa movit: præmissisque octoginta fere Numidis equitibus præcepit, ut discurrerent circa vias perlustrarentque omnia oculis, ne quis agrestium procul spectator agminis falleret; prægressos retraherent, obvios occiderent, ut prædonum magis, quam exercitus, accolis species esset. Ipse, raptim agmine acto, quindecim ferme millium spatio castra ab Tarento posuit; et, ne ibi quidem nuntiato, quo pergerent [3], tantum convocatos milites monuit, via omnes irent, nec deverti quemquam [4], aut excedere ordinem [5] agminis paterentur, et inprimis intenti ad imperia accipienda essent, neu quid nisi ducum jussu facerent: se in tempore editurum [6], quæ vellet agi. Eadem ferme hora Tarentum fama pervenerat, Numidas equites paucos populari agros, terroremque late agrestibus injecisse. Ad quem nuntium nihil ultra motus præfectus roma-

9. *Ægrum simulabat* se esse Hannibal. Vid. Polyb loco citato. Ed.

Cap. IX. 1. *Quos in expeditione... aptissimos esse;* forte leg. in *expeditionem*, ut XXXVIII, 21, *apti in hoc genus pugnæ.*

2. *Quarta vigilia noctis;* vide ad VII, 35, n. 2. — *Ne quis agrestium ...falleret*, fraudi esset, ut cap. 23; Stroth. Confer ad III, 8, n. 2. —*Falleret*, id est, lateret, et ad urbem iret nuntiatum. De hoc voc. vide Lambin. ad Horat. Carm. I, 10, vs. 16. Ed.

3. *Et ne ibi quidem nuntiato, quo pergerent;* confer ad I, 40, n. 10, *enuntiato quo pergeret* emend. Periz. Confer n. 6, et IX, 16, n. 5, κυρίως μὲν οὐ διεσάφει τὴν ἐπιβουλὴν Polyb. l. l. et συναθροίσας τοὺς ἡγεμόνας, non *convocatos milites.* — *Via omnes irent*, via regia, qua omnes commeare solent; Ern.

4. *Nec devertì quemquam* de via; vide ad I, 51, n. 2.

5. *Aut excedere ordinem agminis;* vide ad II, 37, n. 5.

6. *Se in tempore editurum*: forte *edicturum;* Doer. Sed *edere* est idem quod supra *enuntiare.* Confer not. 3, et ad I, 18, n. 2.

nus[7], quam ut partem equitum postero die luce prima juberet exire ad arcendum populationibus hostem. In cætera adeo nihil ob id intenta cura est, ut contra pro argumento fuerit illa procursatio Numidarum, Hannibalem exercitumque castris non movisse. Hannibal concubia nocte movit[8]: dux Philemenus erat, cum solito captæ venationis onere[9]. Cæteri proditores ea, quæ composita erant, exspectabant. Convenerat autem, ut Philemenus, portula assueta[10] venationem inferens, armatos induceret: parte alia portam Temenida adiret Hannibal: ea mediterranea regione orientem spectabat[11]. Aliquantum intra mœnia includuntur.

7. *Præfectus romanus*; v. ad XXIV, 20, n. 7. Mox optimi MSS. *In cætera adeo nihil obedienter cura est*, et edd. ante Gronovium (qui verum restituit). *Interea adeo nihil obedienter curatum est.*

8. *Hannibal concubia nocte movit*; confer ad II, 3, n. 2. *Concubia nox*, seu *concubium* scilicet tempus prima noctis pars, qua *concumbere*, seu dormire solent homines, quamque excipiunt *nox intempesta* (profunda, ut XXXVII, 14, ἀωρία, quasi nulla pars temporis, qua homines non agere solent, vel *intempestive* agunt), *media nox* et *noctis mediæ inclinatio*, ut hanc *diluculum*, *mane*, *ad meridiem*, *meridies*, *meridiei inclinatio*, *solis occasus*, *crepusculum*, et *prima fax*: quæ noctis et diei partes sunt. Ἐκίνει τὴν πρωτοπορείαν κνέφατος ἄρτι γενομένου Polyb. VIII, 28 extr.

9. *Cum captæ venationis onere*, hoc est, prædæ in venatione captæ; ut et mox ac XXXV, 49. Sic etiam ἡ ἄγρα apud Polyb. loco laudato παρεσκευακὼς σὺν ἄγριον.

10. *Portula assueta*, quam Polyb. VIII, 31, appellat τὴν παρακειμένην πύλην, proximam *portæ Temenidi* (conf. not. 16) ut hanc cap. 27 et 30, τὰς Τημενίδας πύλας, sic dictas a Temeno, Heraclida et heroe: nam Tarentus, a Tarante condita et a Partheniis, duce Phalantho, Lacone, occupata, ex Lacedæmone multa transtulit. Confer Heyne ad Apollodor. II, 8, n. 5; ad Virg. Æn. III, 551, et de Tarento ejusque institutis in Opusc. Acad. tom. II, pag. 217 seq. Optimi MSS h. l. exhibent *Temenitida*, et apud Polyb. VIII, 27 (non vero 30), Τεμενίδας, quod tamen respuit Schweigh. etsi monet, hoc nomen deductum videri posse a fano quodam, τεμένει, quemadmodum pars Syracusarum ab Apollinis fano ὁ Τεμενίτης sit appellata.

11. *Ea mediterranea regione orientem spectabat*, ex parte ad continentem Italiæ sita; Str. Ap. Polyb. VIII, 30 pr. ἡ ἀπὸ τῆς μεσογαίου, πρὸς ἕω δὲ, κειμένη πλευρὰ, ὡς ἐπὶ τὰς Τημενίδας προσαγορευομένας πύλας, pars urbis orientem spectans, qua e mediterranea regione versus portam Temenida itur — τὸ δὲ πρὸς ἕω μέρος τῆς τῶν Ταραντίνων πόλεως, μνημάτων

Quum portæ appropinquaret [12], editus ex composito ignis ab Hannibale est refulsitque. Idem redditum ab Nicone signum : exstinctæ deinde utrimque flammæ sunt. Hannibal silentio ducebat [13] ad portam. Nico ex improviso adortus sopitos vigiles in cubilibus suis obtruncat, portamque aperit. Hannibal cum peditum agmine aggreditur, equites subsistere jubet; ut, quo res postulet, occurrere libero campo possent. Et Philemenus portulæ parte alia, qua commeare [14] assuerat, appropinquabat. Nota vox ejus et familiare jam signum quum excitasset vigilem, dicenti, vix sustinere grandis bestiæ onus, portula aperitur. Inferentes aprum duo juvenes sequutus ipse cum expedito [15] venatore, vigilem, incautius miraculo magnitudinis in eos, qui ferebant, versum, venabulo trajicit. Ingressi deinde triginta fere armati cæteros vigiles obtruncant, refrin-

ἐστὶ πλῆρες, διὰ τὸ τοὺς τελευτήσαντας ἔτι καὶ νῦν θάπτεσθαι παρ' αὐτοῖς πάντας ἐντὸς τῶν τειχῶν. Huc spectant verba seqq., quæ tamen corrupta aut mutila sunt. *Includitur* in edd. ante Gron. sed *includuntur* in omnibus MSS et *regio est orientem spectabest* in optimis; *orientem spectat ad monimenta, quæ intra mœnia includuntur* conj. J. Fr. Gron. *orientem spectat ad busta, quæ Tarenti intra m. i.* Jac. Gron. et Drak. *orientem spectabat : Nico cum sociis ad monimenta esset, quæ aliquantum intra mœnia includ.* Sigonius probante Strothio, sed refragante J. Fr. Gronovio, qui hæc interposita satis ex seqq. intelligi monet. Forte legendum *parte alia portam T. adiret Hannibal* (*ea m. r. o. spectat*) : *essentque alii* (Nico et Tragiscus cum sociis), *qua* (parte) *tumuli intra mœnia includerentur*. Conf. Polyb. qui etiam docet, cur Tarenti contra morem Græcorum sepulcra fuerint intra mœnia.

12. *Quum portæ appropinquaret*, scilicet Hannibal : quod mallem adjecisset Livius, et deinde *ab eo* pro *ab Hannibale* scripsisset. Forte leg. *approquinquaretur*.

13. *Hannibal silentio ducebat;* vid. ad I, 23, n. 4.

14. *Qua commeare assuerat;* vid. ad cap. 8, n. 6. — *Familiare jam signum*, notum consuetum, sibilo datum. Confer cap. 8 extr. Mox *dicenti* e 2 MSS recepi cum Stroth. In aliis est *dicente*, et in reliquis edd. *dicentis*. — *Sustinere* se.

15. *Cum expedito venatore;* vide V, 16, n. 2. Σὺν αὐτῷ νομαδικὴν ἔχων διασκευὴν ἕτερος apud Polyb. Appianus dicit, eum secum duxisse Pœnos milites, θώρακας ἔνδοθεν ὑπεζωσμένους καὶ ξίφη, τὰ δ' ἐκτὸς ὡς ἂν ἐς κυνηγέτας ἐσκευασμένους.

guntque portam proximam [16] : et agmen sub signis confestim irrupit. Inde cum silentio in forum ducti, Hannibali sese conjunxerunt. Cum duobus millibus Gallorum Pœnus, in tres divisit partes, per urbem dimittit Tarentinos [17], et itinera quam maxime frequentia occupare jubet; tumultu orto, Romanos passim cædi, oppidanis parci. Sed, ut fieri id posset, præcipit juvenibus tarentinis, ut, ibi quem suorum procul vidissent, quiescere et silere ac bono animo esse juberent.

X. Jam tumultus erat clamorque, qualis esse in capta urbe solet; sed, quid rei esset, nemo satis pro certo scire. Tarentini Romanos ad diripiendam urbem credere coortos : Romanis seditio aliqua cum fraude videri ab oppidanis mota. Præfectus primo excitatus tumultu [1], in portum effugit : inde, acceptus scapha, in arcem circumvehitur. Terrorem et tuba audita ex theatro faciebat : nam et romana erat, a proditoribus ad hoc ipsum præparata; et inscienter a Græco inflata, quis, aut quibus signum daret, incertum efficiebat. Ubi illuxit, et Romanis punica et gallica arma cognita, tum dubitationem exemerunt; et, Græci, Romanos

16. *Portam proximam;* al. *maximam.* Confer n. 10.

17. *Per urbem dimittit Tarentinos* juvenes, proditores, e quibus binos cuivis parti duces dedit. Confer Polyb. VIII, 32. Ex eo et MSS veras h. loco lectiones restituit Gron. — *Itinera quam maxime frequentia;* vide ad X, 11, 3, τῶν εἰς τὴν ἀγορὰν φερουσῶν ὁδῶν τὰς εὐκαιροτάτας Polyb.

Cap. X. 1. *Præfectus primo excitatus tumultu* (vide ad XXIV, 20, n. 7), et simul ebrius; vide Polyb. VIII, 32. — *Terrorem* (forte *errorem*, quod jam monuere Lips. et Duk.) *et tuba audita ex theatro fecit :* οἱ περὶ τὸν Φιλήμενον, ἡτοιμασμένοι σάλπιγγας Ῥωμαϊκὰς, καί τινας τῶν αὐταῖς χρῆσθαι δυναμένων διὰ τὴν συνήθειαν (unde mox *scienter a Græco inflata* in vet. libro recte legi putabat Sigon. improb. Duk. qui monet, si *scienter* inflata fuisset tuba, eam non potuisse *incertum efficere, quis aut quibus signum daret;* Livii vero narrationem hic aliquantum abire a Polybiana), στάντες περὶ τὸ θέατρον, ἐσήμαινον Polyb. qui etiam docet, Romanos, signo hoc audito, per plateas passim advenientes, in Pœnos Gallosque incidisse et ab his

passim cæde stratos cernentes, ab Hannibale captam urbem senserunt. Postquam lux certior erat, et Romani, qui cædibus superfuerant, in arcem confugerant, conticescebatque paulatim tumultus, tum Hannibal Tarentinos sine armis convocare jubet[2]. Convenere omnes, præterquam qui, cedentes in arcem, Romanos ad omnem adeundam simul fortunam prosequuti fuerant. Ibi Hannibal, benigne alloquutus Tarentinos, testatusque, quæ præstitisset civibus eorum, quos ad Trasimenum aut ad Cannas cepisset, simul in dominationem superbam Romanorum invectus, recipere se in domos suas quemque jussit, et foribus nomen suum inscribere : se domos eas, quæ inscriptæ non essent, signo extemplo dato, diripi jussurum. Si quis in hospitio civis romani (vacuas autem tenebant domos[3]) nomen inscripsisset, eum se pro hoste habiturum. Concione dimissa, quum titulis notatæ fores discrimen pacatæ ab hostili domo fecissent, signo dato, ad diripienda hospitia romana passim discursum est: et fuit prædæ aliquantum.

XI. Postero die ad oppugnandam arcem ducit: quam quum et mari[1], quo in peninsulæ modum pars major circumluitur, prærupta rupibus, et ab ipsa urbe muro et fossa ingenti septam videret, eoque nec vi, nec

esse trucidatos. Mox legendum puto : *et Romanis punica et gallica arma cognita eam dubitationem exemerunt.* Tò *tum* hic delendum videri, saltem frigere aut vacare, jam alii monuere, et Duk. conj. *omnem*. — Walchius, Em. pag. 196, particulam *tum* defendit, aitque Dukerum, dum corrigit *ómnem*, Ciceroniani magis memorem moris quam Liviani : quare vellet, *ubi illuxit, tum et Rom.*, etc., quod quantopere frequentet Livius non unus locus documento est; vide II, 30; XXI, 25. Neque in eo offenderet continuo iterata particula. Ed.

2. *Convocare jubet :* e vet. lib. leg. *convocari ;* Mur.

3. *Vacuas autem tenebant domos* Romani et proprias, non permixtim cum civibus deversabantur : unde facile fuit separare milites a civibus sola inscriptione ædium; Lips. Confer ad XXIV, 7, n. 3, *cernebat* al.

Cap. XI. 1. *Quam quum et* a *mari*,

operibus expugnabilem esse; ne aut se ipsum cura tuendi Tarentinos a majoribus rebus moraretur, aut in relictos sine valido præsidio Tarentinos impetum ex arce, quum vellent, Romani facerent, vallo urbem ab arce intersepire statuit: non sine etiam spe, cum prohibentibus opus Romanis manum posse conseri, et, si ferocius procucurrissent, magna cæde ita attenuari præsidii vires, ut facile per se ipsi Tarentini urbem ab iis tueri possent. Ubi cœptum opus est, patefacta repente porta, in munientes impetum fecerunt Romani; pellique se statio passa est, quæ pro opere erat[2], ut successu cresceret audacia, pluresque et longius pulsos persequerentur. Tum signo dato coorti undique Pœni sunt, quos instructos ad hoc Hannibal tenuerat; nec sustinere impetum Romani, sed ab effusa fuga loci angustiæ eos, impeditaque alia opere jam cœpto, alia apparatu operis, morabantur. Plurimi in fossam præcipitavere, occisique sunt plures in fuga, quam in pugna. Inde et opus nullo prohibente fieri cœptum. Fossa ingens ducta, et vallum intra eam[3] erigitur: modicoque post intervallo murum etiam eadem regione addere parat, ut vel sine præsidio tueri se adversus Romanos possent. Reliquit tamen modicum

qua parte eam mare alluit, *prærupibus, et ab urbe muro*, etc.

2. *Quæ pro opere erat*, ad opus tuendum disposita; Doer. — *Impeditaque alia*, scil. loca; vid. IX, 43, n. 6.

3. *Fossa ingens ducta, et vallum erigitur intra eam* scil. munitionem, quæ inter fossam et murum versus urbem facta; Duker. Quæ dura est ellipsis et h. l. parum apta. Confer Polyb. VIII, 35, al. 28, qui docet, arcem antea ab urbe separatam fuisse fossa, quæ a parte urbis, et muro, qui a parte arcis fuerit, nunc vero ἐκ μεταβολῆς, hoc est, vice versa urbem ab Hannibale munitam adversus arcem fossa, arcem spectante, et a parte urbis valida munitione seu aggere cum vallo, qui muri instar fuerit, ac præterea muro, e regione fossæ exstructo. Hinc *vallum intra eam* scil. fossam et urbem murumve novum fuit. Malim tamen legere *vallum in terra eruta* (scil. ex fossa, et in aggerem formata) *erigitur*. — Dukeri notam haud merito impugnare nobis videtur *Ruperti*, quum nulla sit *dura ellipis*: Dukeri verba integra sunt: « quod hic

præsidium, ut simul in faciendo muro [4] adjuvaret. Ipse, profectus cum cæteris copiis, ad Galæsum flumen [5] (quinque millia ab urbe abest) posuit castra. Ex iis stativis regressus ad inspiciendum opus (quod aliquantum opinione ejus celerius creverat) spem cepit, etiam arcem expugnari posse: et est non altitudine, ut cætera [6], tuta, sed loco plano posita, et ab urbe muro tantum ac fossa divisa. Quum jam machinationum omni genere et operibus oppugnaretur, missum a Metaponto præsidium Romanis fecit animum, ut nocte ex improviso opera hostium invaderent. Alia dejecerunt, alia igni corruperunt; isque finis Hannibali fuit ea parte arcem oppugnandi. Reliqua erat in obsidione spes, nec ea satis efficax, quia arcem tenentes, quæ in peninsula posita imminet faucibus portus [7], mare liberum habebant; urbs contra exclusa maritimis commeatibus, propiusque inopiam erant obsidentes, quam

est *vallum intra eam*, puto munitionem esse, quæ inter, etc. » neque felicior est emendatio *in terra eruta;* quam rejicit Walchius Em. pag. 134, vulgata bene se habente. *Intra fossam* est *versus*, *introrsus ad fossam*. Ed.

4. *Ut simul in faciendo muro;* optimi libri, *simul interfaciendo;* unde Periz. conj. *simul ut in perficiendo* et Gron. *simul in perficiendo* vel *simul ut in faciendo.*

5. *Ad Galæsum flumen,* hodie *Galaso,* vel Bagrada, vel Tara, alluens agrum Tarentinum ipsumque Tarentum. Confer Polyb. VIII, 35; Cluver. Ital. ant. pag. 1238, et Intpp. Hor. Od. II, 6, n. 10, et Virg. Georg. IV, 126. — *Quinque millia* (vide ad IX, 24, n. 2) *ab urbe abest*, ut ap. Polyb.

6. *Non altitudine, ut cætera* pars arcis, quæ mare spectat, *tuta est pars,* urbem versus sita; Drak. — Quis sensus esse debeat, Drak. perspexit, sed extorquendo potius quam exprimendo. Walchius autem, Em. pag. 138, ad sequentia recurrens, in his moratur: « *isque finis Hann. fuit ea parte*, etc. statim inde ea patet sententia, Pœnum quum a parte urbis finem arcis oppugnandæ fecerit, ab altera, id est, maritima (confer init. cap. 11) oppugnationem instituisse. Quid igitur voluit auctor adjectis *ea parte*, quæ deludunt lectorem? audax videbitur conject. sed quæ difficultatem facile removeat: verba *ea parte* loco movenda censeo, et superius referenda, ut sit: *et est non altitudine ea parte, ut cætera* pars. Jam omnia sana erunt, clara, venusta.» Ed.

7. *In peninsula posita* arx *imminet faucibus portus*, adeo angustis, ut ponte jungerentur clauderenturque; ex quo portu, cujus *claustra hostis*

obsessi. Hannibal, convocatis principibus Tarentinorum, omnes præsentes difficultates exposuit : *neque arcis tam munitæ expugnandæ viam cernere, neque in obsidione quidquam habere spei, donec mari potiantur hostes. Quod si naves sint, quibus commeatus invehi prohibeant, extemplo aut abscessuros, aut dedituros se hostes.* Assentiebantur Tárentini ; cæterum ei, qui consilium afferret, opem quoque in eam rem afferendam esse, censebant. *Punicas enim naves ex Sicilia accitas id posse facere : suas, quæ sinu exiguo intus inclusæ essent, quum claustra portus hostis haberet, ecquem ad modum inde in apertum mare evasuras?* « Evadent, inquit Hannibal. Multa, quæ im-
« pedita natura sunt, consilio expediuntur. Urbem in
« campo sitam habetis : planæ et satis latæ viæ patent
« in omnes partes. Via, quæ in portum per mediam
« urbem ad mare transmissa est[8], plaustris transveham
« naves haud magna mole. Et mare nostrum erit, quo
« nunc hostes potiuntur ; et illinc mari, hinc terra
« circumsidebimus arcem. Immo brevi aut relictam ab
« hostibus, aut cum ipsis hostibus capiemus. » Hæc oratio non spem modo effectus, sed ingentem etiam ducis admirationem fecit. Contracta extemplo undique plau-

habebat, Tarentini naves suas, *sinu exiguo intus inclusas*, per isthmum in mare exterius, seu meridionale transvexerunt (ὑπερνεωλκήσαντες), ope πορείων ὑποτρόχων, machinarum, seu vehiculorum rotatorum. Confer seqq. et Polyb. VIII, 36; Strab. VI, 3, n. 1, pag. 278; Appian. b. Hann. 34 (cujus narratio paululum diversa est et corrupta), et Sil. XII, 434 sqq. — *Punicas enim naves ex Sicilia accitas*, etc. Polybius addit fieri hoc per ea tempora non potuisse. Ed.

8. *Via, quæ in portum per mediam urbem ad mare transmissa est;* at Polyb. dicit τὴν πλατεῖαν, τὴν ὑπάρχουσαν μὲν ἐντὸς τοῦ διατειχίσματος, φέρουσαν δὲ παρὰ τὸ διατείχισμα ἐκ τοῦ λιμένος εἰς τὴν ἔξω θάλατταν. Hinc ex *portu* conj. Sigon. et *quæ in portu* (scil. incipiens) *præter mœnia urbana ad mare t. est* Jac. Gron. *Portu* legitur h. l. in optimis MSS et *præter mœnia* sic VIII, 8; XXXVIII, 3. Sed *per mediam urbem* etiam Appian. expressit : λεωφόρον ὁδὸν, ἡ διὰ μέσης τῆς πόλεως ἔφερεν ἀπὸ τῶν λιμένων ἐπὶ τὴν νότιον θάλασσαν.

stra junctaque inter se; et machinæ ad subducendas naves[9] admotæ, munitumque iter, quo faciliora plaustra minorque moles in transitu esset. Jumenta inde et homines contracti, et opus impigre cœptum; paucosque post dies classis instructa ac parata circumvehitur arcem, et ante os ipsum portus ancoras jacit. Hunc statum rerum Hannibal Tarenti reliquit, regressus ipse in hiberna. Cæterum defectio Tarentinorum utrum priore anno, an hoc, facta sit, in diversum auctores trahunt[10]: plures propioresque ætate memoriæ rerum hoc anno tradunt factam.

XII. Romæ consules prætoresque usque ante diem quintum kalendas maias[1] Latinæ tenuerunt: eo die perpetrato sacro in monte, in suas quisque provincias proficiscuntur. Religio deinde nova objecta est ex carminibus marcianis. Vates hic Marcius illustris[2] fuerat, et, quum conquisitio priore anno ex senatusconsulto talium librorum fieret, in M. Atilii prætoris urbani[3], qui eam rem agebat, manus venerant: is protinus novo

9. *Ad subducendas naves*; vide ad VIII, 26, n. 1.— *Faciliora plaustra*, mobiliora, volubiliora, facilius movenda. Confer ad III, 70, n. 1; XXII, 46, n. 3; ad Juvenal. IV, 63, et Sil. IV, 433; XVII, 40.— *Minorque moles*, difficultas; vide ad I, 38, n. 4. Mox *ancoras* scripsi pro *anchoras*, ut semper, quia est gr. ἄγκυρα.

10. *In diversum auctores trahunt*; vide ad I, 24, n. 2. Mox *factam* revocavi ex edd. ante Crev. et Gron. pro *factum*. — Scripti tamen fere omnes, teste Drak. exhibent *factum*, sed parvi interest. Ed.

Cap. XII. 1. *Usque ante diem V. Cal. Maias* (vide ad VI, 1, n. 9) *Latinæ tenuerunt*, retinuere,.... *perpetrato sacro in monte*, etc.; vide ad I, 45, n. 2, et XXI, 63, n. 10, 11. — *Religio deinde nova objecta est*, scil. animis, ut XXVII, 25, n. 4; et XLI, 22. Cf. ad II, 5, n. 4, et V, 15, n. 6.

2. *Vates hic Marcius illustris*; conf. Macrob. Sat. I, 17. Marcios fratres, augures et vates, memorat Cic. Div. I, 40, 50; vide ibi Davis., Lindenbr. ad Ammian. XIV, 1, et Meurs. critic. Arnob. I, 14. — *Quum conquisitio* (ita MS Put. et Pet. pro vulg. *inquisitio*) *priore*, superiore, *anno ex senatusconsulto talium librorum fieret*; cf. ad XXV, 1, n. 8, et XXXIX, 16.

3. *M. Atilii prætoris urbani* (*urbis* omnes edd. ante Gron. et MSS præter Put. et Pet. qui *urbem* habent); vide ad cap. 1, n. 7. — *Venerant* scil. libri vel carmina. — *Novo prætori* P. Cor-

prætori Sullæ tradiderat. Ex hujus Marcii duobus carminibus, alterius post rem actam editi cum rato auctoritas eventu[4], alteri quoque, cujus nondum tempus venerat, afferebat fidem. Priore carmine cannensis prædicta clades in hæc ferme verba erat : *Amnem Trojugena*[5] *Cannam Romane fuge : ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manus. Sed neque credes tu mihi, donec compleris sanguine campum; multaque millia occisa tua deferat amnis in pontum magnum ex terra frugifera; piscibus atque avibus ferisque, quæ incolunt terras, iis fuat esca caro tua: nam mihi ita Jupiter fatus est.* Et Diomedis argivi[6] campos et Cannam flumen, qui militaverant in iis locis, juxta atque ipsam cladem agnoscebant. Tum alterum car-

nelio *Sullæ;* vide cap. 3. — Notanda est cognominis hujus, si Macrobio fides est, origo. Is tradit, Sat. I, 17, Pub. Cornelium, quia eo suadente ludi Apollinares ex libris sibyllinis instituti fuerunt, cognominatum fuisse *Sibylla;* et postea corrupto nomine vocatum *Sylla:* vide mox not. 12. Ed.

4. *Ex hujus Marcii duobus carminibus, auctoritas alterius, post rem actam editi cum rato eventu, alteri,* etc. ita ex optimis MSS (in quibus exstat *postrameacta dediti cum rato*) probabilia eruerunt Valla et Gron. *Editi,* in lucem emissi et oculis hominum subjecti; Stroth. Hæc verbi vis aptior ea, quam ad h. l. notavit Gron. et nos ad I, 18, n. 2.

5. *Amnem Trojugena,* etc., quæ carminis verba Alciatus in hos concludit versus : « Amnem Trojugena Cannam Romane feuge, Ne te alienigenæ in campo cogant Diomedis Conseruisse manus pugnando. Sed neque credes Tu mihi tunc, donec compleris sanguine campum, Multaque millia cæsa tuorum deferat amnis In pontum magnum terrai frugiferai, Piscibus atque avibusque ferisque colentibu' terras Ut fuat esca caro tua : nam mi ita Jupiter orsus. »

6. *Diomedis argivi campos,* Apulos, Cannenses, qui poetis sæpe *campi Diomedis, Ætoli et Graii* dicuntur a Diomede, Tydei, Ætoliæ regis, filio, qui redux a Troja et Argis (quod Peloponnesi opp. primum Ἄργος ἵππιον dictum) profugus a Dauno rege filiam partemque Dauniæ in Apulia accepisse ibique Arpos, seu Argyripam aut rectius Ἀργυρίππην, seu Ἄργος ἵππιον (hodie *Arpe*) condidisse perhibetur : vide Heyn. Exc. I, ad Virg. Æn. XI, 243 seq., et Eudociæ Jon. in Villoisoni Anecd. gr. pag. 115. — *Canna flumen* est vel Aufidus, vel minor amnis, Cannas præterlabens, qui non ab aliis memoratur. Illud suspicabatur Cluver., hoc Cellar. Notiores sunt, qui per campos cannenses fluunt, Aufidus et Vergellus amniculus; de quo vide Flor. II, 6, et Valer. Max. IX, 2.

men recitatum [7], non eo tantum obscurius, quia incertiora futura præteritis sunt, sed perplexius etiam scripturæ genere. « Hostem, Romani, si expellere vultis « vomicamque, quæ gentium venit longe, Apollini vo- « vendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini « fiant : quum populus dederit ex publico [8] partem, « privati uti conferant pro se suisque. Iis ludis facien- « dis præerit prætor is, qui jus populo plebeique dabit « summum. Decemviri græco ritu hostiis sacra faciant. « Hæc si recte faxitis, gaudebitis semper, fietque res « vestra melior : nam is divus exstinguet perduelles « vestros, qui vestros campos pascunt placide. » Ad id carmen [9] explanandum diem unum sumpserunt. Postero die senatusconsultum factum est, ut decemviri libros, de ludis Apollini reque divina faciunda, inspicerent [10]. Ea quum inspecta relataque ad senatum essent, censuerunt Patres : *Apollini ludos vovendos fa-*

— *Juxta atque ;* vide ad V, 6, n. 3.

7. *Tum alterum carmen recitatum,* quod etiam, verbis quibusdam vel omissis vel mutatis, legitur apud Macrob. Sat. I, 17. — *Vomicam,* ut ulcus, perniciem interiorem, quam translationem Quintil. VIII, 6, n. 15, improbat; Stroth. — *Longe gentium,* e longinquis inde gentium regionibus; Doer. Similiter *ubi, ubinam, ubicumque, usquam, nusquam* cum *gentium* junguntur. — *Comiter,* libenter, non gravate, liberaliter, magna benignitate; Græv. Dici pro *sine dolo malo,* docet Cic. p. Balb. 16, ubi vide Græv. Confer ad XXXVIII, 11, n. 3, et Drak. *communiter* edd. princ. Rectius forte ob seqq. Sed illud quoque his convenit. De *ludis Apollinaribus*, quorum origo hoc cap. traditur, vide Duker. ad h. l. et Noris. in Cenot. Pis. pag. 137, 138, ubi ex Macrobio, Cic. et Dione docet, eos IV Id. Jul. actos esse.

8. *Dederit ex publico partem ;* vide ad II, 9, n. 4. — *Decemviri ;* vide ad III, 10, n. 6. — *Res vestra melior ;* vide ad XXIII, 11, n. 3. — *Perduelles* (vide ad I, 26, n. 4), *qui vestros campos pascunt,* consumunt et pervastant, *placide,* secure, intrepide, impune.

9. *Ad id carmen* obscurius et perplexius *explanandum diem unum sumpserunt ;* confer ad II, 18, n. 4. *Ex hoc carmine procurandi gratia dies unus rebus divinis impensus* apud Macrob. loc. cit. Hinc *expiandum* conj. Sigon. Sed Macrobius non idem dicit, quod Livius, et *explanare* est rem vel sermonem obscurum vel ambiguum interpretatione explicare; Drak.

10. *Ut decemviri libros inspicerent ;* vide ad III, 10, n. 6. Vox *libros* ab-

ciundosque; et, quando ludi facti essent, duodecim millia æris[11] *prætori ad rem divinam et duas hostias majores dandas.* Alterum senatusconsultum factum est, *Ut decemviri sacra græco ritu facerent iisque hostiis, Apollini bove aurato et capris duabus albis auratis, Latonæ bove femina aurata.* Ludos prætor in circo maximo quum facturus esset[12], edixit, ut populus

est ab omnibus fere MSS prob. Jac. Gron. qui monet, decemviros jussos esse, ipso carmine explorato, de religione, quæ in eo aperiretur, et de ludis decernere, idque innui verbis seqq. *ea quum inspecta relataque essent*, scil. carmina, non libri. Sed vulgatam lect. firmat Macrob. loc. laud. unde etiam probabile fit, Livium scripsisse: *Ea* vel *Eadem quum reperta* vel *inventa relataque*, etc. Nota Duk. est: « Carmen Marcii sine dubio ante hoc senatusconsultum lectum fuerat. Sed quum ex brevi illo et obscuro carmine, quod nihil aliud, quam Apollini ludos et rem divinam faciendam, monebat, nihil certi de ratione ludorum ac sacrorum illorum disci posset, senatus decemviros jussit adire libros Sibyllinos, qui ipsos de omnibus his rebus accuratius instructuri putabantur. Mox *ea inspecta*, scil. scripta, monimenta, vel etiam carmina, sed Sibyllina, non Marciana: nam etsi duo erant Marcii carmina, tamen Romani uno tantum jubebantur Apollini ludos et sacra facere. »

11. *Duodecim millia æris*, id est, marcas argenti nostrates 18, cum sex unciis. Ed. — *Duas hostias majores*; vide Ind. — *Ut decemviri sacra græco ritu facerent iisque* (scil. majoribus) *hostiis, Apollini bove et capris auratis*, etc.; vide ad IV, 16, n. 2. Quare vero *Dianæ* nulla h. l. fit mentio? Quia ludi sunt *Apollinares*. Sed unde tum *Latona*? et cur *capræ* Apollini sacræ? Præterea Apollo et Diana plerumque in sacris junguntur (vide cap. V, 13; XXII, 10, al.), iisque primæ dari partes solent in sacris ἀπευκτικοῖς, seu averruncandæ deorum iræ institutis. Hinc semper h. l. legendum putavi: *Apollini bove aurato, Dianæ capris duabus*, etc., idemque Jac. Gron. suspicatum esse postea vidi. Nunc autem video, id non satis arrisisse Dukero et Drak. Hic monet, capras Apollini immolatas memorari ab Hom. Il. I, 41, ibique causam reddi ab Eustath. Hic vero, in carmine Marcii solum Apollinem nominari, et Macrobium, qui hæc ad verbum ex Livio descripserit, nihil de Diana habere. Verum ita saltem restat ille scrupulus: cur sacra Latonæ facta?

12. *Ludos prætor in circo max, facturus*, scil. urbanus, qui et peregrinus tum erat, *P. Cornelius Sulla*, seu Sylla (vide cap. 3), quem etiam decemvirum fuisse docet Macrob. loco laud. *Bello Punico II ludi Apollinares ex libris Sibyllinis primum sunt instituti, suadente Cornelio Rufo decemviro, qui propterea* Sibylla *cognominatus est, et postea corrupto nomine primus* Sylla *cœpit vocitari.* Inde simul intelligitur, *Sylla* rectius scribi quam *Sulla*. Sed veteres Romani *u* pronuntiabant, ut græcum υ vel gall. *u*. Cæterum ludis quoque græcas fabulas datas esse, ex Cic. ad Att. XVI, 5,

per eos ludos[13] stipem Apollini, quantam commodum esset, conferret. Hæc est origo ludorum Apollinarium victoriæ, non valetudinis ergo[14], ut plerique rentur, votorum factorumque. Populus coronatus spectavit : matronæ supplicavere : vulgo apertis januis in propatulis epulati sunt, celeberque dies omni ceremoniarum genere fuit.

XIII. Quum Hannibal circa Tarentum, consules ambo in Samnio essent, sed circumsessuri Capuam viderentur; quod malum diuturnæ obsidionis esse solet, jam famem Campani sentiebant, quia sementem facere prohibuerant eos romani exercitus. Itaque legatos ad Hannibalem miserunt, orantes, ut prius, quam consules in agros suos educerent legiones, viæque omnes hostium præsidiis insiderentur, frumentum ex propinquis locis convehi juberet Capuam. Hannibal, Hannonem ex Bruttiis cum exercitu in Campaniam transire, et dare operam, ut frumenti copia fieret Campanis, jussit. Hanno, ex Bruttiis profectus cum exercitu, vitabundus castra hostium consulesque, qui

§ 16.

13. *Ut populus per eos ludos* (vide ad II, 18, n. 1) *stipem Apollini conferret* (vide ad V, 25, n. 3) tantam, *quantam* conferre *commodum esset* ei, placeret, liberet.

14. *Non valetudinis ergo* (vide ad VI, 27, n. 1), *ut plerique rentur*, conf. Macrob. loc. laud. *rentur, votorum. Factosque populus*, etc., edd. ante Crev. — *Populus coronatus spectabat;* vide ad X, 47, n. 4, et XXIII, 11, n. 7. — *Matronæ supplicavere:* « Livius sæpe dicit, supplicatum ivisse *viros feminasque*, ac *liberos*, ut III, 7; X, 23; XXVII, 10, et alibi. Cur id his ludis a solis matronis factum dicat, non scio. Dodwell. de Cyclis diss. IV, § 16, et in Append. Prælect. pag. 758, recte, ut puto, scribit, ex Livio non posse colligi, ludis Apollinaribus plures dies, quam unum, datos, ac demum recentioribus temporibus aliquid in ea re mutatum fuisse; de quo etiam agit Noris. cenot. Pis. diss. II, cap. 6, pag. 137. Si hoc ita se habet, etiam sequi videtur, matronas, quæ supplicatum ibant, spectaculis eorum exclusas fuisse; nisi forte eas ante commissionem ludorum supplicasse dicendum est. » Duk. — *In propatulis* ex optimis MSS recepit Gron. pro vulg. *in propatulo;* vide ad V, 13, n. 6. — *Celeber dies*, solennis, festus.

in Samnio erant, quum Benevento jam appropinquaret, tria passuum millia ab ipsa urbe loco edito castra posuit. Inde ex sociis circa populis, quo æstate comportatum erat, devehi frumentum in castra jussit; præsidiis datis, quæ commeatus eos prosequerentur. Capuam inde nuntium misit, qua die in castris ad accipiendum frumentum præsto essent, omni undique genere vehiculorum jumentorumque ex agris contracto. Id pro cætera socordia[1] negligentiaque a Campanis actum. Paulo plus quadringenta vehicula missa, et pauca præterea jumenta. Ob id castigatis ab Hannone, quod ne fames quidem, quæ mutas accenderet bestias, curam eorum stimulare posset, alia prodicta dies[2] ad frumentum majore apparatu petendum. Ea omnia, sicut acta erant, quum enuntiata Beneventanis essent, legatos decem extemplo ad consules (circa Bovianum castra Romanorum erant) miserunt. Qui quum, auditis, quæ ad Capuam agerentur, inter se comparassent[3], ut alter in Campaniam exercitum duceret; Fulvius, cui ea provincia obvenerat, profectus, nocte Beneventi mœnia est ingressus. Ex propinquo cognoscit, Hannonem cum exercitus parte profectum frumentatum: per quæstorem Campanis datum frumentum[4]: duo millia plaustrorum, inconditam iner-

Cap. XIII. 1. *Pro cætera socordia*, ea socordia, qua in cæteris omnibusque rebus agere solebant. Confer ad VII, 33, n. 2. — *Quadringenta vehicula:* Sigon. e vet. libro *quadraginta v.* quo major sit *socordia.* Sed illud haud nimium pro magnitudine urbis et frequentia incolarum: præsertim quum mox habeas *duo millia;* Gron.

2. *Alia prodicta dies* e MSS Flor. Voss. et Crev. recepi cum Stroth. quia hoc est proprium in hac re verbum (vide ad II, 61, n. 6), et reliquæ lectiones ex hac ortæ, *prodita* (quod a Drak. editum et firmatum est exemplo Terent. Andr. II, 1, v. 13), *producta* et *prædicta.*

3. *Inter se comparassent, ut*, etc.; vide ad III, 2, n. 1. — *Provincia obvenerat;* vulgabatur antea *evenerat*, sed Gronovius Obs. I, 10, e melioribus nostrum restituit. Ed.

4. *Per quæstorem Campanis datum frumentum*, verba ex optimis MSS a

memque aliam turbam, advenisse: per tumultum ac trepidationem omnia agi, castrorumque formam et militarem ordinem, immixtis agrestibus iis ex terris, sublatum. His satis compertis, consul militibus edicit, signa tantum armaque in proximam noctem expedirent: castra punica oppugnanda esse. Quarta[5] vigilia profecti, sarcinis omnibus impedimentisque Beneventi relictis, paulo ante lucem quum ad castra pervenissent, tantum pavoris injecerunt, ut, si in plano castra posita essent, haud dubie primo impetu capi potuerint. Altitudo loci et munimenta defenderunt, quæ nulla ex parte adiri, nisi arduo ac difficili ascensu, poterant. Luce prima prælium ingens accensum est: nec vallum modo tutantur Pœni, sed, ut quibus locus æquior esset[6], deturbant nitentes per ardua hostes.

XIV. Vicit tamen omnia pertinax virtus, et aliquot simul partibus ad vallum ac fossas perventum est; sed cum multis vulneribus ac militum pernicie. Itaque convocatis tribunis militum consul, *abstinendum temerario incepto*, ait: *tutius sibi videri, reduci eo die exercitum Beneventum: dein postero castris*[1] *se hostium jungi, ne exire inde Campani, neve Hanno regredi posset. Id quo facilius obtineatur, collegam quoque et exercitum ejus se acciturum, totumque eo versuros bellum.* Hæc consilia ducis, quum jam receptui cane-

Gron. inserta. *Per quæstorem*, quales in bello Romanis fuere. — *Inconditam turbam*; vide ad XXI, 57, n. 11. — *Iis ex terris* jungenda: sed pro *iis* forte leg. *sociis*, ut supra *ex sociis circa populis*; Doer.

5. *Quarta vigilia*; vide ad VII, 35, n. 2. — *Ad castra* punica. — *In plano*; vide ad XXI, 32, n. 7. — *Defendunt* castra.

6. *Ut quibus locus æquior*; v. supra ad VIII, 30, n. 7; XXII, 16, n. 1.

Cap. XIV. 1. *Dein postero castris.* Hæc parum clara sunt: romano enim exercitu Beneventum reducto, quis vetare poterat aut Campanos exire, aut Hannonem regredi? Præterea testatur Crever. τὸ *se* a Putean. abesse, aitque, ita tolerabiliorem esse orationem; nam in his vocibus *castris se hostium jungi*, aliquid est inconcinnum, quod vix a manu Livii proficisci

ret, clamor militum aspernantium tam segne imperium disjecit [2]. Proxima portæ hostium erat cohors Peligna; cujus præfectus Vibius Accuæus [3] arreptum vexillum trans vallum hostium trajecit. Exsecratus inde seque et cohortem, si ejus vexilli hostes potiti essent, princeps ipse per fossam vallumque in castra irrumpit. Jamque intra vallum Peligni pugnabant, quum altera parte, Valerio Flacco tribuno militum tertiæ legionis exprobrante Romanis ignaviam, qui sociis captorum castrorum concederent decus, T. Pedanius, princeps primus centurio [4], quum signifero signum ademisset, « Jam hoc signum et hic centurio, inquit, intra vallum « hostium erit. Sequantur, qui capi signum ab hoste « prohibituri sunt. » Manipulares sui primum transcendentem fossam, dein legio tota sequuta est. Jam et consul, ad conspectum transgredientium vallum mutato consilio, ab revocando ad incitandos hortandosque versus milites, ostendere, in quanto discrimine ac periculo fortissima cohors sociorum et civium legio esset. Itaque pro se quisque omnes per æqua atque iniqua loca, quum undique tela conjicerentur, armaque et corpora hostes objicerent, pervadunt irrum-

potuisse videatur. Ed. — *Eo versuros bellum*, scil. se et collegam.

2. *Tam segne imperium disjecit;* vide ad XXIV, 2, n. 7. Tò *segne* tam ad tarditatem moramque, quam ad ignaviam metumque spectat. — *Cohors Peligna;* vide ad X, 33, n. 1.

3. *Vibius Acuæus,* oriundus Accua. « Sed Accua XXIV, 20, in Apulia videtur poni, non in Campania, et hæc cohors Peligna fuit, cui cur Apulum præfecerint Peligni, causa non apparet. Cæterum ab his *præfectis* diversi erant XII præfecti sociorum, quos a consulibus constitutos tradit Polyb. VI, 24. Utrique etiam *prætores* IX, 16, et XXIII, 19, dicuntur. Conf. Lips. Mil. rom. I, 7; II, 10. » Duk. Cognomen abest ab edd. ante Gron. qui addendum hoc et ita scribendum monuit. *Acaus* optimi MSS, at cap. extr. *Accæus;* alii *Acceus* et *Acceius*. Conf. Intpp. Valer. Max. III, 2, 20. — *Vexillum trans vallum hostium trajecit;* conf. XXI, 26; XLI, 4 pr. et ad IV, 29, n. 1.

4. *Princeps primus centurio :* Lips. Mil. rom. II, 8, et Duk. conj. *princeps primæ* aut *prioris centuriæ :* sed forte *centurio* glossa τοῦ *primus :* nam

puntque. Multi vulnerati, etiam quos vires sanguisque desereret, ut intra vallum hostium caderent, nitebantur. Capta itaque momento temporis, velut in plano sita [5] nec permunita castra. Cædes inde, non jam pugna erat, omnibus intra vallum permixtis. Supra sex millia hostium occisa, supra septem millia capitum, cum frumentatoribus campanis omnique plaustrorum et jumentorum apparatu, capta: et alia ingens præda fuit, quam Hanno, populabundus passim quum isset, ex sociorum populi romani agris traxerat. Inde, dejectis hostium castris [6], Beneventum reditum est, prædamque ibi ambo consules (nam et Ap. Claudius eo post paucos dies venit) vendiderunt diviseruntque. Et donati, quorum opera castra hostium capta erant: ante alios Accuæus Pelignus, et T. Pedanius princeps tertiæ legionis [7]. Hanno ab Cominio Cerito [8], quo nuntiata castrorum clades est, cum paucis frumentatoribus, quos forte secum habuerat, fugæ magis, quam itineris, modo in Bruttios rediit.

XV. Et Campani, audita sua pariter sociorumque clade, legatos ad Hannibalem miserunt, qui nuntiarent, *duos consules ad Beneventum esse, diei iter a Capua; tantum non ad portas et muros bellum esse. Ni propere subveniat, celerius Capuam, quam Arpos, in potestatem hostium venturam. Ne Tarentum quidem,*

quemadmodum qui primi ordinis *pili* seu triariorum centurio est, et *primi pili centurio*, et ipse *primus pilus* dicitur, ita *primi hastati* (h. e. hastatorum ordinis) *centurio* etiam *primus hastatus*, et *primi principis centurio* etiam *primus princeps* dici potest: ordo autem centurionum in legione hic erat, ut *decimi hastati* infimus erat et summus *primi pili*, qui inde et olim (vide VII, 41) *primus centurio* dicebatur; Stroth. Conf. tamen ad II, 27, n. 7.

5. *Velut in plano sita;* conf. supra ad cap. 13, n. 5.

6. *Dejectis hostium castris;* forte leg. *direptis.*

7. *Princeps tertiæ legionis*, e principibus, ex eorum militum ordine, qui *principes* vocantur; Stroth. Conf. ad II, 27, n. 7.

8. *Ab Cominio Cerito;* v. X, 39, n. 2.

non modo[1] *arcem, tanti debere esse, ut Capuam, quam Carthagini æquare sit solitus, desertam indefensamque populo romano tradat.* Hannibal, curæ sibi fore rem campanam pollicitus, in præsentia duo millia equitum cum legatis mittit, quo præsidio agros populationibus possent prohibere. Romanis interim, sicut aliarum rerum, arcis tarentinæ præsidiique, quod ibi obsideretur, cura esse. C. Servilius legatus, ex auctoritate Patrum a P. Cornelio prætore in Etruriam ad frumentum coemendum missus, cum aliquot navibus onustis in portum tarentinum inter hostium custodias pervenit. Cujus adventu, qui ante, in exigua spe, vocati sæpe ad transitionem ab hostibus per colloquia erant, ultro ad transeundum hostes vocabant sollicitabantque. Et erat satis validum præsidium, traductis ad arcem Tarenti tuendam, qui Metaponti erant, militibus. Itaque Metapontini extemplo, metu, quo tenebantur, liberati, ad Hannibalem defecere. Hoc idem eadem ora maris[2] et Thurini fecerunt : movit eos non Tarentinorum magis defectio Metapontinorumque, quibus, indidem ex Achaia[3] oriundi, etiam cognatione juncti erant, quam ira in Romanos propter obsides nuper

Cap. XV. 1. *Ne Tarentum quidem, non modo*, multo minus, seu nedum (quod et in MSS exstat) *arcem*. Cf. Duk. ad h. l. et Ern. Clav. Cic. voc. *modo*.

2. *Hoc idem eadem ora maris* Tyrrheni *et Thurini fecerunt*, scil. quod fecerant *Metapontini* in eadem Lucania. Cf. ad X, 2, n. 2, et XXII, 61, ibique not. 11.

3. *Quibus, indidem ex Achaia*, ex eadem vel pariter ex Achaia (vid. ad XXIII, 46, n. 5), *oriundi*, etc.; nam omnes illæ urbes græcæ erant originis. Sed Thurii, Atheniensium colonia, h. l. Achæorum, ut apud Scymnum Chium v. 325, aut confusis cum iis veteribus Sybaritis, aut respectu ad eos habito, qui ex iis superstites novæ coloniæ interfuerant. Ita Heyn. Opusc. acad. tom. II, pag. 174, qui de vera urbis origine disputat ibid. p. 138 sq. et de *Metaponto*, p. 205 sq. ubi etiam monuit, verba *cognatione juncti erant* ad solos *Metapontinos* spectare, non ad *Tarentinos*, qui dorici fuerint generis, de quo vide ibid. p. 217 : *quibus itidem ex Achaia oriundis* conj. Gronov.— De his omnibus vid. Strab. VI, pag. 264. Ed. — *Propter obsides*

interfectos. Eorum amici cognatique literas ac nuntios ad Hannonem Magonemque, qui in propinquo in Bruttiis erant, miserunt, *si exercitum ad mœnia admovissent, se in potestatem eorum urbem tradituros esse.* M. Atinius Thuriis cum modico præsidio præerat. Quem facile elici ad certamen temere ineundum rebantur posse; non militum, quos perpaucos habebat, fiducia [4], quam juventutis thurinæ. Eam ex industria centuriaverat armaveratque ad tales casus. Divisis copiis inter se, duces Pœni quum agrum thurinum ingressi essent, Hanno cum peditum agmine infestis signis [5] ire ad urbem pergit. Mago cum equitatu, tectus collibus ad tegendas insidias oppositis, subsistit. Atinius, peditum tantum agmine per exploratores comperto, in aciem copias educit, et fraudis intestinæ, et hostium insidiarum ignarus. Pedestre prælium fuit persegne, paucis in prima acie pugnantibus Romanis; Thurinis exspectantibus magis, quam adjuvantibus, eventum: et Carthaginiensium acies de industria pedem referebat, ut ad terga collis ab equite suo insessi hostem incautum pertraheret. Quo ubi ventum est, coorti cum clamore equites [6] prope inconditam Thurinorum tur-

nuper interfectos; vide c. 7 extr. — *Thuriis;* vide ad X, 2, n. 2.

4. *Non militum, quos perpaucos habebat, fiducia, quam,* etc. in edd. ante Gron. *non tam militum;* vide ad II, 56. n. 8. — *Centuriaverat;* vide ad VI, 2, n. 4.

5. *Infestis signis ire;* vide ad I, 13, n. 2. — *Tectus collibus, ad tegendas insidias oppositis;* vide ad XXIV, 39, n. 1, et XXIX, 34, n. 5. — Hunc locum certatim corrigunt viri doctissimi. J. Fr. Gronovio displicet illud *tectus, ad tegendas,* quare conjiceit *celandas.* Jac. autem Gronovius emendat, *septus collibus.* Vossius delet voc. *tectus;* minus certe peccarit, qui conjiciat *advectus collibus.* Sed Walchius, Em. pag. 213, nulla mutatione opus esse arbitratur, si quis attente, quid ferat scriptoris consuetudo, perpenderit, neque corrigendi libidine se huc illuc impelli patietur. Ed.

6. *Coorti cum clamore equites* (vide ad IX, 31, n. 6) *prope inconditam* (vide ad XXI, 57, n. 11) *Thurinorum turbam* e quibusdam MSS recepi cum Stroth. pro vulg. *propere*, quod male cum *extemplo* jungitur; et quo servato saltem post *propere*, non post *equites*,

bam, nec satis fido animo, unde pugnabat[7], stantem, extemplo in fugam averterunt. Romani, quanquam circumventos hinc pedes, hinc eques urgebat, tamen aliquandiu pugnam traxere. Postremo et ipsi terga vertunt, atque ad urbem fugiunt. Ibi proditores conglobati, quum popularium agmen patentibus portis accepissent, ubi Romanos fusos ad urbem ferri viderunt, conclamant, *instare Pœnum, permixtosque et hostes urbem invasuros, ni propere portas claudant.* Ita exclusos Romanos præbuere hosti ad cædem : Atinius tamen cum paucis receptus. Seditio inde paulisper tenuit[8], quum alii urbem tuendam, inde alii cedendum fortunæ, et tradendam urbem victoribus censerent. Cæterum, ut plerumque, fortuna et consilia mala vicerunt : Atinio cum suis ad mare ac naves deducto, magis quia ipsi, ob imperium in se mite ac justum, consultum volebant, quam respectu Romanorum, Carthaginienses in urbem accipiunt. Consules a Benevento in campanum agrum legiones ducunt, non ad frumenta modo, quæ jam in hibernis erant[9], corrumpenda, sed ad Capuam oppugnandam; nobilem se consulatum tam opulentæ urbis excidio rati facturos, simul et ingens flagitium imperio dempturos, quod urbi tam propinquæ tertium annum impunita defectio esset. Cæterum,

quod vulgo factum, suadente J. Gron. distinguendum. Cf. ad XXII, 19, n. 6.

7. *Unde pugnabat*, ex ea parte, pro qua pugnabat; Stroth.

8. *Seditio inde paulisper tenuit;* vid. ad II, 3, n. 6. Verba *alii urbem tuendam* exstant in omnibus edd. sed in nullo fere MS et recte forsan : dicendo enim receptum esse Atinium et seditionem ortam, quod alii *inde*, hoc est, nunc tandem, post talem casum, Pœnis urbem dedendam censerent, satis indicat Livius, alteram partem fuisse illorum, qui Atinium receperint, eoque manendum in fide statuisse; Gron. Verba illa ob geminum *alii* excidisse videri possunt; Stroth.

9. *Quæ jam in hibernis erant, frumenta:* immo *in herbis*, ut apud Ovid. Met. V, 482, et VIII, 290, hoc est, pæne matura; Jac. Gron. Recte, opinor. — *Tertium annum.* Capua defecit anno ipso cannensis cladis : ex quo apparet Livium, quum *tertium annum*

ne Beneventum sine præsidio esset, et ut ad subita belli, si Hannibal (quod facturum haud dubitabant) ad opem ferendam sociis Capuam venisset, equites vim sustinere possent, Ti. Gracchum ex Lucanis cum equitatu ac levi armatura Beneventum venire jubent: legionibus stativisque ad obtinendas res [10] in Lucanis aliquem præficeret.

XVI. Graccho, prius quam ex Lucanis[1] moveret, sacrificanti triste prodigium factum est. Ad exta, sacrificio perpetrato, angues duo ex occulto allapsi, edere jecur, conspectique repente ex oculis abierunt. Id quum haruspicum monitu sacrificium instauraretur, atque intentius exta reserata servarentur[2]; iterum ac tertium venisse tradunt, libatoque jecinore intactos angues abiisse. Quum haruspices, ad imperatorem id pertinere prodigium, præmonuissent, et ab occultis cavendum hominibus consultisque[3], nulla tamen providentia fatum imminens moveri potuit. Flavius Luca-

dixit, medios tantum annos numerare, imperfectos vero omittere. Alioquin, ut notat Sigon. *quintum* erat scribendum. Ed. — *Subita belli;* vide ad IV, 27, n. 1.

10. *Ad obtinendas*, tuendas, *res præficeret*, forte *præficere* (scil. jubent) quod Mur. e vet. lib. notavit; Gron.

Cap. XVI. 1. *Ex Lucanis moveret;* vide ad II, 3, n. 2. — *Angues duo ex occulto allapsi* (confer ad I, 56, n. 4). — *Edere jecur*, forte *adedere* vel *ambedere:* nam in optimis MSS *anære*, *anere*, *ademere;* Gron. Conf. et Valer. Max. I, 6, n. 8.

2. *Intentius exta reserata servarentur* edd. ante Gron. et plurimi MSS; *exta reservata s.* quidam MSS; *exta resereservarentur* c. Putean.; *exta reservarentur* Florent. Cant. et Crever., quod recepit Stroth. qui inde reliquas lectiones ortas monet. Sed τὸ *intentius* postulare videtur *servare* vel *observare*, non *reservare;* Doer. *Diligentiusque adservatis extis* dixit Valer. loco laudato. *Extares ollæ servarentur* Gron. Crev. et al. ex emend. Salmas. *extar servaretur* conj. Ruben. (*Extar olla, ubi exta coquebantur* Glossar. Confer ad XXIX, 27, n. 4; XLI, 15 pr. et Intpp. Plaut. Rud. I, 2, 47.) *Exta prosecta servarentur* malebat Drak. ut V, 21.

3. *Ab occultis hominibus consultisque* optimi MSS non *consiliisque;* confer ad III, 62, n. 3. — *Fatum moveri potuit*, averti, immutari; Doer. Sic *movere* pro *mutare* XXVII, 51, n. 5; XXXIV, 54 extr.; XXXV, 33, n. 2; XXXV, 42, n. 2, et al. — *Flavius Lucanus:* in MS Put. *Flavos* et deinde

nus fuit, caput partis ejus Lucanorum, quum pars ad Hannibalem defecisset, quæ cum Romanis stabat : et jam anno in magistratu erat; ab eisdem illis creatus prætor. Is, mutata repente voluntate, locum gratiæ apud Pœnum quærens, neque transire ipse, neque trahere ad defectionem Lucanos satis habuit, nisi imperatoris et ejusdem hospitis proditi capite ac sanguine fœdus cum hostibus sanxisset. Ad Magonem, qui in Bruttiis præerat[4], clam in colloquium venit; fideque ab eo accepta, si romanum iis imperatorem tradidisset, liberos cum suis legibus venturos in amicitiam Lucanos, deducit Pœnum in locum, quo erat cum paucis Gracchum adducturus[5]. Magonem ibi pedites equitesque armare, et capere eas latebras, ubi ingentem numerum occuleret, jubet. Loco satis inspecto atque undique explorato, dies composita gerendæ rei est. Flavius ad romanum imperatorem venit : *Rem se*, ait, *magnam inchoasse, ad quam perficiendam ipsius Gracchi opera opus esse. Omnium populorum*[6] *prætoribus, qui ad Pœnum in illo communi Italiæ motu*

Flavus. Apud Appian. b. Hann. 35, Φλαύϊος seu Φλάβιος. Mox verba *quum pars ad Hannibalem defecisset* forte a glossatore profecta.

4. *Qui in Bruttiis præerat;* vide ad V, 8, n. 3. Mox *iis*, sc. hostibus. Alii *is* et ex emend. Sigon. *sibi.* — *Liberos cum suis legibus*, ut alibi *immunes*, scil. tributorum vectigaliumque *ac suis legibus viventes*, ἐλευθέρους, αὐτονόμους. Confer XXV, 23; XXX, 37; XXXVII, 54; XLIV, 7; XLV, 26. De duplici privilegio, ἐλευθερίᾳ et αὐτονομίᾳ; vide Spanhem. de usu et pr. num. Diss. IX, pag. 674 seq.

5. *In locum, quo erat cum paucis Gracchum adducturus*, ex uno MS Pal. recepi cum Stroth. pro vulg. *in locum pacis Gracchum adducturus*, quod ineptum est. *Paucis* etiam exstat in MS Put. et iteratio τοῦ *cum* effecit, ut verba *quo erat cum* post *locum* exciderent; Strothius. *Deducit Pœnum, quo cum paucis Gracchum ait ducturum : Mago ubi pedites equitesque armasset, caperet eas latebras, ubi ingentem numerum occuleret* conj. Gronov. et sic fere MS Put. *deducit Pœnum in locum paucis Gracchum adducturum Mago ibi p. e. armareset capere eas*, etc. Verbum *jubet* a plerisque MSS abest, et, si retinendum, pro *ibi* potius substituendum videtur. — *Dies composita;* vide supra ad lib. III, cap. 53, n. 2.

6. *Omnium populorum*, sc. singulo-

descissent, persuasisse, ut redirent in amicitiam Romanorum; quando res quoque romana[7]*, quæ prope exitium clade cannensi venisset, in dies melior atque auctior fieret; Hannibalis vis senesceret, ac prope ad nihilum venisset. Veteri delicto*[8] *haud implacabiles fore Romanos: nullam unquam gentem magis exorabilem, promptioremque veniæ dandæ fuisse. Quoties rebellioni etiam majorum suorum ignotum? Hæc ab se*, ait, *dicta: cæterum ab ipso Graccho eadem hæc audire malle eos, præsentisque contingere dextram: id pignus fidei secum ferre. Locum se consiliis dixisse*[9] *a conspectu amotum, haud procul a castris romanis. Ibi paucis verbis transigi rem posse, ut omne nomen lucanum in fide ac societate romana sit.* Gracchus, fraudem et sermoni et rei abesse ratus, ac similitudine

rum gentis lucanæ: nec cum Lips. et Modio leg. *popularium;* Stroth.

7. *Quando res quoque romana;* vide ad I, 12, n. 3, et V, 25, n. 3. — *Hannibalis vis senesceret;* vide ad I, 22, n. 3.

8. *Veteri delicto:* « Quomodo *vetus delictum* dicit eorum, qui ante paucos annos desciverant? rebellio majorum vetus delictum erat, ipsorum defectio novum. » Duk. — Walchius, Emend. pag. 197, postquam de hoc loco disseruit, ad finem notæ hæc adscribit: « Quamcumque in partem verteris vocem *veteri*, si ita spectes, ἄχυρον inest et ἀσύστατον: et potius quo justior fiat gradatio ad *rebellionem*, requiras *fœderi relicto*. Jam vide an hanc ipsam pœnitentiæ significationem reditumque ad Romanos oppositum cogitaverit *priori defectioni?* Et sane interdum ita utuntur his vocibus *vetus*, *antiquus*, scriptores, ut referri debeant ad aliquid quod illis quidem in animo est, sed quod adjicere grata negligentia, non operæ pretium ducunt. Liv. I, 33; Tac. Ann. I, 53. » Ed. — *Hæc ab se ait dicta*, forte *sane dicta:* in MSS *sint* pro *ait;* Gron. — *Contingere dextram*, ut al. *dare*, *jungere*, *amplecti dextram*, quod est *pignus fidei* et amoris. « Sic et *dextras fidemque dare* XL, 46, n. 8, et *fides* κατ' ἐξοχήν de dextris junctis, ut δεξιαὶ, ἧς ἐπέπιθμεν ap. Hom. Il. II, 341, et ἀναχαλεῖ δὲ δεξιᾶς Πίστιν μεγίστην apud Euripid. Med. 21, ubi vide Porson. » Schæf.

9. *Locum se consiliis dixisse*, scil. super hac re agendis: et ita omnes MSS et edd. vel *conciliis*, neque est quod cum Gronovio et aliis reponatur *consciis;* Stroth. *Dixisse* (edixisse, indicasse; vide Gronov.) optimi MSS. *Edixisse* edd. ante Gron. — *Nomen lucanum;* vide ad I, 10, n. 2.

10. *Cum lictoribus ac tur. equitum*, μεθ' ἱππέων τριάκοντα Appian. Bell. Hann. cap. 35. — *Hostes subito exorti;* vide ad IX, 31, n. 6.

veri captus, cum lictoribus ac turma equitum[10] e castris profectus, duce hospite in insidias præcipitatur. Hostes subito exorti; et, ne dubia proditio esset, Flavius his se adjungit : tela undique in Gracchum atque equites conjiciuntur. Gracchus ex equo desilit. Idem cæteros facere jubet, hortaturque, *Ut, quod unum reliquum fortuna fecerit, id cohonestent virtute. Reliquum autem quid esse paucis, a multitudine in valle, silva ac montibus septa, circumventis, præter mortem? Id referre*[11], *utrum præbentes corpora pecorum modo inulti trucidentur, an, toto animo a patiendo exspectandoque eventu in impetum atque iram verso, agentes audentesque, perfusi hostium cruore, inter exspirantium inimicorum cumulata armaque et corpora cadant. Lucanum proditorem ac transfugam omnes peterent. Qui eam victimam præ se ad inferos misisset, eum decus eximium egregiumque solatium suæ morti inventurum.* Inter hæc dicta, paludamento circum lævum brachium intorto[12] (nam ne scuta quidem secum extulerant), in hostes impetum fecit. Major, quam pro numero hominum, editur pugna. Jaculis maxime aperta corpora Romanorum, et, quum undique ex altioribus locis in cavam vallem conjectus es-

11. *Id referre* (vide ad VIII, 39, n. 3), *utrum præbentes corpora* ad cædem, ut cap. 15. Conf. IV, 28, et alia exempla apud Gron. et Drakenb. *Utrum præsenti torpore* male edd. ante Gron. — *Toto animo : verso.* A plerisque codd. iisque optimis vox *animo* exsulat; præterea unus e nostris dat *toti*, quod Gronovii conjecturam confirmat, et suadere videtur hanc emendationem : *toti a patiendo .... in..... iram versi.* Ed.

12. *Paludamento circum lævum brachium intorto*, quod fieri solebat ante pugnam; Ern. Conf. Burm. ad Petron. c. 80, et Schel. ad Hygin. p. 1030, tom. X, Antiq. rom. — *Major quam pro numero hominum, pugna;* vid. ad VII, 33, n. 2. — *Jaculis maxime aperta corpora*, obnoxia. Dictio desumpta a ludo gladiatorio, in quo latus *apertum* et *nudum* dicitur, quod ictibus *patet.* Cf. ad XXII, 50, n. 3; XXV, 38, n. 7; XXXII, 21. Similiter *opportuna* et *opposita* (scil. hosti ac vi) dicuntur; vide ad I, 54, n. 4, et XXXII, 21, n. 12. — *Conjectus*, substant., jactus telorum; Doering.

set, transfiguntur. Gracchum, jam nudatum præsidio, vivum capere Pœni nituntur. Cæterum ille, conspicatus Lucanum hospitem inter hostes, adeo infestus confertos invasit, ut parci ei sine multorum pernicie non posset. Exanimem eum Mago extemplo ad Hannibalem misit, ponique cum captis simul fascibus ante tribunal imperatoris jussit. Hæc vera fama est. Gracchus in Lucanis ad campos, qui Veteres vocantur, periit.

XVII. Sunt, qui in agro beneventano, prope Calorem fluvium [1], ostendant a castris cum lictoribus ac tribus servis lavandi causa progressum, quum forte inter salicta innata ripis laterent hostes, nudum atque inermem, saxisque, quæ volvit amnis, propugnantem, interfectum. Sunt, qui haruspicum monitu quingentos passus a castris progressum, uti loco puro ea, quæ ante dicta prodigia sunt, procuraret [2], ab insidentibus forte locum duabus turmis Numidarum circumventum scribant: adeo nec locus, nec ratio mortis in viro tam claro et insigni constat. Funeris quoque Gracchi varia est fama. Alii in castris romanis sepultum ab suis, alii ab Hannibale (et ea vulgatior fama est) tradunt in vestibulo punicorum castrorum [3] rogum exstructum esse: arma-

Tres tantum vivos esse captos tradit Appian. l. l.

Cap. XVII. 1. *Prope Calorem fluvium;* vide supra ad XXIV, 14, n. 2. — *Ostendant*, dicant, narrent (ut et *ostentare:* conf. ad XXVI, 24, n. 2): nisi *contendant* leg. cum Ruben. — Rubenii conjectura displicet Doujatio, qui non magnam *contendendi* materiam fuisse putat; exponit vero *ostendant*, declarent, narrando significent. Si codices accederent, Rubenio favere cum Drak. mallem. Ed.

2. *Uti loco puro ea prodigia procuraret* (vide ad I, 20, n. 11), non polluto prodigiis, de quibus vide cap. 16 pr. *Loco* abest a MS Cantabr. prob. Jac. Gron. ut intell. *flumine.* Forte tum leg. *pure;* vide ad I, 45, n. 7. — *Constat locus;* vide ad IX, 2, n. 1.

3. *In vestibulo punicorum castrorum;* vide XXI, 30, n. 6. — Lipsius reperisse videtur in libris suis, *in vestibulo primorum castrorum.* Ex quo conjiciebat, an forte legendum *vestibulo primore.* Sed vulgatum nostri omnes defendunt. Hanc quoque famam sequutus est Sil. XII, 473. Ed.

tum exercitum decucurrisse[4] cum tripudiis Hispanorum, motibusque armorum et corporum, suæ cuique genti assuetis, ipso Hannibale omni rerum verborumque honore[5] exsequias celebrante. Hæc tradunt, qui in Lucanis rei gestæ auctores sunt. Si illis, qui ad Calorem fluvium interfectum memorant, credere velis, capitis tantum Gracchi hostes potiti sunt. Eo delato ad Hannibalem, missus ab eo confestim Carthalo, qui in castra romana ad Cn. Cornelium quæstorem deferret: is funus imperatoris in castris, celebrantibus cum exercitu Beneventanis, fecit.

XVIII. Consules, agrum campanum ingressi, quum passim popularentur, eruptione oppidanorum et Magonis[1] cum equitatu territi et trepidi, ad signa milites palatos passim revocarunt; et, vixdum instructa acie fusi, supra mille et quingentos milites amiserunt. Inde ingens ferocia superbæ suopte ingenio genti crevit, multisque prœliis lacessebant Romanos. Sed intentiores ad cavendum consules una pugna fecerat, incaute atque inconsulte inita: restituit tamen his animos, et illis minuit audaciam parva una res; sed in bello nihil tam leve est, quod non magnæ interdum rei[2] momen-

4. *Armatum exerc. decucurrisse*, etc. Vide ad XXIII, 35, n. 3. *Decurrisse* edd. ante Drak. et plurimi MSS. — *Cum tripudiis Hispanorum, motibusque armorum et corporum* (vide ad X, 26, n. 8), *suæ cuique genti assuetis*; vide ad III, 22, n. 5.

5. *Ipso Hannibale omni rerum verborumque honore* (ut XXVIII, 4, n. 1; XXX, 15; XXXVII, 37, n. 1, al.), rebus verbisque honorificis cujuscumque generis, *exsequias celebrante*; conf. ad Sil. II, 483, et XII, 473 sq.

Cap. XVIII. 1. *Eruptione oppidanorum et Magonis*, forte leg. *Hannonis*, vel *Bostaris*, quos præsidii punici præfectos fuisse dicit Liv. XXVI, 5 et 12. Dignum est consideratione: nam cap. 15, 16, Magonem in Bruttiis, et cap. 21, in Hannibalis exercitu fuisse scribit; Duk. — *Multisque prœliis*, sc. parvis et levioribus; Doer. *Minutisque* malebat Ruben. et *multique* (h. e. identidem, sæpe) Gronov., quia Romani non ad manus venerint, sed sollicitati sint ad prœlia, quæ refugerint.

2. *Magnæ rei momentum faciat*; vide supra ad I, 47, n. 7, et IX, 12,

tum faciat. T. Quintio Crispino Badius campanus hospes erat, perfamiliari hospitio junctus : creverat consuetudo, quod æger Romæ apud Crispinum Badius ante defectionem campanam liberaliter comiterque curatus fuerat. Tum Badius, progressus ante stationes, quæ pro porta stabant, vocari Crispinum jussit : quod ubi est Crispino nuntiatum, ratus colloquium amicum ac familiare quæri, manente memoria [3], etiam in discidio publicorum fœderum, privati juris, paulum a cæteris processit. Postquam in conspectum venere, « Provoco te, inquit, ad pugnam, Crispine, Badius : « conscendamus equos, submotisque aliis, uter bello « melior sit [4], decernamus. » Ad ea Crispinus, *nec sibi, nec illi*, ait, *hostes deesse, in quibus virtutem ostendant : se, etiamsi in acie occurrat, declinaturum, ne hospitali cæde dextram violet;* conversusque abibat. Enimvero ferocius tum Campanus increpare mollitiem ignaviamque, et se digna probra in insontem jacere, *hospitalem hostem* appellans, *simulantemque parcere, cui sciat parem se non esse. Si parum publicis fœderibus ruptis dirempta simul et privata jura esse putet, Badium campanum T. Quintio Crispino romano, palam*

n. 2. Ad seqq. conf. Val. Max. V, 1, n. 3. — *T. Quintio Crispino*, etc. Vide ad XXIV, 39, n. 7. — Dukerus contendit eum non esse, quem l. c. a Marcello classi castrisque veteribus in Sicilia præfectum fuisse vidimus : nam is eo tempore adhuc in Sicilia erat; vide infra cap. 26; nec in eum convenit quod paulo post dicit, *diu cunctantem Crispinum pepulere turmales.* Mox Putean. lib. *Stum Badius;* velut nempe *Is tum Badius;* et sic melius connexa est oratio. Ed.

3. *Manente memoria*, quum retineret memoriam, memor adhuc esset, *privati juris*, hospitii et jurium ejus. — *Discidio* (violatione) optimi MSS. *Dissidio* edd. ante Gron. qui subtiliter et copiose docet, *discidium* esse distractionem seu disjunctionem corporum, aut quasi corporum, locorum, ædium, rerum; *dissidium* vero, dissensionem animorum. Conf. ad Tac. Annal. II, 86, n. 2, et Ruhnken. ad Mureti Orat. p. 33.

4. *Uter bello melior sit;* conf. ad II, 51, n. 3. — *Hospitali cæde*, cæde hospitis. — *Se digna probra*, ipsi convenientia, in ipsum cadentia, ignavia ipsius digna; Doer.

duobus exercitibus audientibus, renuntiare[5] *hospitium. Nihil sibi cum eo consociatum, nihil fœderatum hosti cum hoste, cujus patriam ac penates publicos privatosque*[6] *oppugnatum venisset. Si vir esset, congredere-tur.* Diu cunctantem Crispinum perpulere turmales, ne impune insultare Campanum pateretur. Itaque tantum moratus, dum imperatores consuleret, permitterentne sibi extra ordinem in provocantem hostem pugnare, permissu eorum arma cepit, equumque conscendit, et Badium, nomine compellans, ad pugnam evocavit. Nulla mora a Campano facta est : infestis equis[7] concurrerunt. Crispinus supra scutum sinistrum humerum Badio hasta transfixit, superque delapsum cum vulnere ex equo desiluit, ut pedes jacentem conficeret. Badius, prius quam opprimeretur, parma atque equo relicto, ad suos aufugit. Crispinus, equum, armaque capta, et cruentam cuspidem insignis spoliis ostentans, cum magna laude et gratulatione militum, ad consules est deductus, laudatusque ibi magnifice, et donis donatus.

XIX. Hannibal ex agro beneventano castra ad Campuam quum movisset, tertio post die, quam venit, copias in aciem eduxit; haudquaquam dubius, quod Campanis, absente se, paucos ante dies secunda fuisset

5. *Palam duobus exercitibus audientibus, renuntiare hospitium;* conf. XXXVI, 3; XXVIII, 31; XLII, 25, et ad Tac. Ann. II, 70, n. 3. *Palam* abundat, ut apud Cicer. Verr. V, 26. *Ducibus* pro *duobus* conj. Jac. Gron. quia Claudiani, Fulviani, campani ac punici exercitus adfuerint. Forte pro *duobus* leg. *omnibus,* quod post *palam* adjiciunt edd. ante Drak. Sed duos romanos exercitus ab una parte pro uno, et Campanum immixtis Pœnis ab altera itidem pro uno exercitu haberi posse, bene monet Duk. — De renunciatione amicitiæ, vel hospitii, vide apud Lipsium ad Tac. Annal. II, 70 : quædam etiam videnda sunt apud Sigonium ad Liv. XLII, 25. Ed. — *Consociatum;* cf. XXIV, 24, n. 2.

6. *Penates publicos privatosque;* vide ad III, 17, n. 4.

7. *Infestis equis concurrerunt;* vide ad I, 13, n. 2. — *Conficeret;* vid. II, 40, n. 8. — *Armaque capta,* parmam.

pugna, quin multo minus se suumque toties victorem exercitum sustinere Romani possent. Cæterum, postquam pugnari cœptum est, equitum maxime incursu, quum jaculis obrueretur, laborabat romana [1] acies; donec signum equitibus datum est, ut in hostem admitterent equos: ita equestre prælium erat, quum procul visus Sempronianus exercitus, cui Cn. Cornelius quæstor præerat [2], utrique parti parem metum præbuit, ne hostes novi adventarent. Velut ex composito utrinque signum receptui datum; reductique in castra prope æquo Marte discesserunt. Plures tamen ab Romanis primo incursu equitum ceciderunt. Inde consules, ut averterent Capua Hannibalem, nocte, quæ sequuta est, diversi, Fulvius in agrum cumanum, Claudius in Lucanos [3] abiit. Postero die, quum vacua castra esse Romanorum nuntiatum Hannibali esset, et duobus agminibus diversos abiisse; incertus primo, utrum sequeretur, Appium institit sequi. Ille, circumducto hoste [4], qua voluit, alio itinere ad Capuam rediit. Hannibali alia in his locis bene gerendæ rei fortuna oblata est. M. Centenius fuit cognomine Penula, insignis inter primipili centuriones, et magnitudine corporis, et animo. Is, perfunctus militia, per P. Cornelium Sul-

Cap. XIX. 1. *Equitum* punicorum *maxime incursu laborabat rom. acies;* vide ad III, 31, n. 1. — *Admitterent equos;* vide ad II, 19, n. 4.

2. *Sempronianus exercitus, cui Cn. Cornelius quæstor præerat*, interfecto duce, Ti. Sempronio Graccho. Conf. cap. 17 extr. Quæstor provincialis, magistratus populi romani, supra legatos erat, et proconsule aut proprætore mortuo, vel absente, vel ante adventum successoris provincia decedente, ejus obibat munus.

3. *Diversi, Fulvius in agrum cumanum, Claudius in Lucanos abiit;* vide ad III, 60, n. 1. *Abierunt* edd. a Frob. ad Drak. rectius, opinor. — *Vacua castra esse Romanorum.* Voc. *esse* a Gronovio e suis Codd. additum, fere omnes Drakenborchii ignorant, et facile abesse potest. Ed. — *Appium institit sequi;* v. ad XXIV, 26, n. 7.

4. *Circumducto hoste*, circumducendo eluso; Doer. — *Qua voluit*, scil. parte, seu via. — *M. Centenius*, etc. Vide ad XXII, 8, n. 1. — *Primi-*

lam prætorem in senatum introductus, petit a Patribus, uti sibi quinque millia militum darentur : *se, peritum et hostis et regionum, brevi operæ pretium facturum; et, quibus artibus ad id locorum*[5] *nostri et duces et exercitus capti forent, iis adversus inventorem usurum.* Id non promissum magis stolide, quam stolide creditum; tanquam eædem militares et imperatoriæ artes essent. Data, pro quinque, octo millia militum; pars dimidia cives, pars socii : et ipse aliquantum voluntariorum[6] itinere in agris concivit, ac, prope duplicato exercitu, in Lucanos pervenit; ubi Hannibal, nequidquam sequutus Appium, substiterat. Haud dubia res est[7], quippe inter Hannibalem ducem et centurionem, exercitusque, alterum vincendo veteranum, alterum novum totum, et magna ex parte etiam tumultuarium ac semiermem. Ut conspecta inter se agmina sunt, et neutra pars detrectavit pugnam, extemplo instructæ acies: pugnatum tamen, ut in nulla pari re[8], duas amplius horas, concitata et, donec dux stetisset, romana acie. Postquam is, non pro vetere fama solum[9], sed etiam metu futuri dedecoris, si sua temeritate contractæ cladi superesset, objectans se hostium telis, cecidit; fusa extemplo est romana acies : sed adeo ne fugæ quidem iter patuit, omnibus viis ab equite insessis, ut

pili centuriones; vide ad II, 27, n. 7.

5. *Ad id locorum;* vid. ad IX, 45, n. 1. Mox alterum *stolide* vacare puto; Gron. Conf. tamen ad I, 3, n. 8.

6. *Aliquantum voluntariorum;* vide ad II, 39, n. 1.

7. *Haud dubia res est*, eventus rei. — *Vincendo veteranum*, diu exercitatum. — *Tumultuarium;* vide supra ad I, 37, n. 4.

8. *Ut in nulla pari re*, quamvis hostili exercitui in nulla re par esset romanus; Doer. Cf. ad II, 38, n. 3. — Locus mirifice vexatus, cui tamen intulisse lucem videntur viri doctiss. Secundum Drak. dedimus *concitata et, donec*, reposita particula quam Gron., Crev. aliique plures perperam neglexerant; nam sensus est : Romana acies non tantum aggredientem hostem repulit, sed in eum *vicissim concitata* incurrit. Ed.

9. *Non pro vetere fama solum;* vide ad VII, 33, n. 2.

ex tanta multitudine vix mille evaserint; cæteri passim, alii alia peste, absumpti [10] sint.

XX. Capua a consulibus iterum summa vi obsideri cœpta[1] est; quæque in eam rem opus erant, comportabantur parabanturque. Casilinum frumentum convectum[2]: ad Vulturni ostium, ubi nunc urbs est, castellum communitum (ante Fabius Maximus munierat): præsidium impositum, ut mare proximum et flumen in potestate essent. In ea duo maritima castella frumentum, quod ex Sardinia nuper missum erat, quodque M. Junius prætor[3] ex Etruria coemerat, ab Ostia convectum est, ut exercitui per hiemem copia esset. Cæterum super eam cladem, quæ in Lucanis accepta erat, volonum quoque exercitus[4], qui, vivo Graccho, summa fide stipendia fecerat, velut exauctoratus morte ducis, ab signis discessit. Hannibal non Capuam neglectam, neque, ut tanto discrimine, desertos volebat

10. *Alii alia peste absumpti sint*; vide ad II, 44, n. 5.

Cap. XX. 1. *Capua a consulibus iterum.....obsideri cœpta*: de prima obsidione conf. cap. 15, 18, et infra cap. 22 extr.

2. *Casilinum frumentum convectum* (vide ad XXII, 13, n. 6): *ad Vulturni ostium, ubi nunc urbs est* (vide ad XXII, 14, n. 1), *castellum communitum (ante Fabius Maximus munierat): præsidium impositum*; verba mutila, saltem corrupta. Nam *duo maritima castella*, in quæ mox *frumentum* Livius *convectum* dicit, sunt *Vulturnum* et *Puteolos*, quos *Fabius munierat* (videatur ad XXIV, 7, n. 7); et de *Casilino*, *Vulturno* ac *Puteolis* idem traditur cap. 22. Hinc *Puteolis* post *communitum* inserit Cluver. Ital. Ant. I, 2, et *alteri* Stroth. *alterum Fabius*, etc. vel *castello communito, quodque Fabius*, etc. conj. Gronov. Forte legend. *castellum communitum, utque Puteolis (Maximus munierat), præsidium impositum*: nam Puteolis, a Fabio munitis, præsidium simul ab eo jam impositum erat (vid. ad XXIV, 7, n. 7), et Fabius passim simpl. *Maximus* dicitur, v. c. XXIV, 12 med. Hinc facile ex *Puteolis* fieri potuit *Fabius*, vel per socordiam librariorum, vel ex glossa, quæ deinde in contextum recepta, extrusa voce *Puteolis*.

3. *M. Junius* Silanus *prætor*, provinciam sortitus *Etruriam*; vide cap. 2, 3. — *Ab Ostia convectum*, forte *congestum*, ne idem repetatur verbum. At vide ad I, 3, n. 8.

4. *Volonum exercitus*, etc.; confer XXIV, 14 seq., et ad XXII, 57, n. 12. — *Velut exauctoratus*; vide ad VIII, 34, n. 8. Mox *in tanto discri-*

socios; sed, prospero ex temeritate uniŭs romani ducis [5] successu, in alterius ducis exercitusque opprimendi occasionem imminebat. Cn. Fulvium prætorem Apuli legati nuntiabant, primo, dum urbes quasdam Apulorum, quæ ad Hannibalem descivissent, oppugnaret, intentius rem egisse; postea nimio successu et ipsum et milites, præda impletos, in tantam licentiam socordiamque effusos, ut nulla disciplina militiæ esset. Quum sæpe alias, tum paucis diebus ante expertus [6], qualis sub inscio duce exercitus esset, in Apuliam castra movit.

XXI. Circa Herdoniam [1] romanæ legiones et prætor Fulvius erant: quo ubi allatum est, hostes adventare, prope est factum, ut injussu prætoris signis convulsis in aciem exirent; nec res ulla magis tenuit, quam spes haud dubia, suo id arbitrio, ubi vellent, acturos. Nocte insequenti Hannibal, quum tumultuatum in castris, et plerosque ferociter, signum ut daret, institisse duci ad arma vocantes sciret, haud dubius prosperæ pugnæ occasionem dari, tria millia expeditorum militum [2] in villis circa vepribusque et silvis disponit, qui, signo dato, simul omnes e latebris [3] exsisterent;

mine edd. ante Drak. *ut in tanto d.* MS Hav. prob. Doer. ut sensus sit: quippe vel præcipue in tanto discr. Conf. ad VIII, 30, n. 7.

5. *Ex temeritate unius rom. ducis;* vide cap. 19. — *In occasionem imminebat,* intentus erat; Stroth.; vide ad XXIII, 16, n. 1.

6. *Quum sæpe alias... expertus,* scil. Hannibal; quam vocem edd. ab Ascens. ad Gron. ante *quum* addunt.

Cap. XXI. 1. *Circa Herdoniam;* vide ad XXIV, 20, n. 5. — *Signis convulsis;* vide ad III, 54, n. 5. — *Tenuit;* vide ad II, 63, n. 3.

2. *Expeditorum militum;* vide ad V, 16, n. 2.

3. *Omnes e latebris exsisterent* optimi MSS; *exsilirent* edd. ante Gron. *Exsistere* est emergere, et repente in conspectum venire, apparere, et hinc quoque eminere, conspici, ut *exire, exstare, surgere, exsurgere, adsurgere, erigi, se attollere:* unde *sub exsistentibus* (aratro erectis, sublatis) *glebis pisces emersisse* dicitur XLII, 2, n. 3, ubi nolim cum Dukero reponere *exstantibus*. Confer ad XXII, 4, n. 3; XXXIX, 37; Gron. et Drak. ad h. l., Ernesti Clav. Cic., ad Sil.

et Magonem ac duo ferme millia equitum, qua fugam inclinaturam credebat, omnia itinera insidere jubet : his nocte præparatis, prima luce in aciem copias educit. Nec Fulvius est cunctatus, non tam sua ulla spe, quam militum impetu fortuito tractus. Itaque eadem temeritate, qua processum in aciem est, instruitur ipsa acies ad libidinem militum forte procurrentium consistentiumque, quo loco ipsorum tulisset animus, deinde per libidinem aut metum deserentium locum. Prima legio et sinistra ala[4] in primo instructæ, et in longitudinem porrecta acies : clamantibus tribunis, *nihil introrsus roboris ac virium esse, et, quacumque impetum fecisset hostis, perrupturos*[5]; nihil, quod salutare esset, non modo ad animum, sed ne ad aures

I, 585; XIV, 301. — *Omnia itinera.* A Livio non prodiise τὸ *omnia* facile crederet Jac. Gronovius, quum illud in Cantabr. libro non legerit : alii tamen codd. hoc vocabulum tuentur. Ed.

4. *Prima legio et sinistra ala* socialis exercitus, qui in duo corpora, in *alam dextram* et *sinistram* dividebatur, et in quo *ala* erat, quod *legio* in Romano; Dacier. et Doer.; vide ad X, 40, n. 7; XXVII, 2, n. 4; XXXI, 21, n. 3; XXXV, 5, n. 1, 3; XL, 40, n. 1; ad Tac. Ann. IV, 73, n. 4; et Lips. de Mil. Rom. II, n. 7, ubi docet, *alam dextram et sinistram* vocari duas partes peditatus sociorum, quia plurimum, ut alæ in avibus, corpus illud legionum utrimque texerint. Conf. Gell. XVI, 4 extr. Hinc *cohortes alariæ*, seu *alares* sociorum peditatus X, 40, n. 7, ut *alarii equites* eorum equitatus XXXV, 5, et XL, 40, n. 6, quibus locis ab *legionariis equitibus* distinguuntur. Plerumque quidem *ala* de sociorum, sed nonnumquam de Romanorum quoque equitibus dicitur, v. c. II, 49, n. 11; VIII, 39, n. 1; XXIII, 45, n. 4; XXIX, 1, n. 4. Cur vero altera ala dicta sit *dextra*, altera *sinistra*, non satis constat, nec docuit nos Polyb. VI, 26. Dukeri nota ad XXVII, 14, est hæc : « Alas non a loco, quem in acie tenebant, ita vocatas fuisse, et tam dextram in sinistro, quam sinistram in dextro cornu pugnasse, vel unus locus XXVII, 2, ostendit. Suspicor potius, hæc nomina illis pro arbitrio imperatorum imposita fuisse a locis, quæ in castris occupabant, id est, ex eo, quod altera earum in dextra, altera in sinistra parte castrorum tendebat. » Confer ad XXVI, 14, n. 4; XXVII, 14, n. 2, et XXXI, 21, n. 3. — *In primo instructæ*; vide ad II, 20, n. 3. Τὸ *in* addunt optimi MSS, non edd. ante Gron.

5. *Quacumque* parte *impetum fecisset hostis, perrupturos* (propr. *perruptarum*) in MSS; *fecissent hostes* in edd. ante Drak. Confer ad I, 41, n. 1, et XXII, 4, n. 2.

quidem admittebant. Et Hannibal, haudquaquam similis dux, neque simili exercitu, neque ita instructo aderat. Ergo ne clamorem quidem atque impetum primum eorum Romani sustinuere. Dux, stultitia et temeritate Centenio par, animo nequaquam comparandus, ubi rem inclinatam ac trepidantes suos vidit, equo arrepto, cum ducentis ferme equitibus effugit: cætera a fronte pulsa, a tergo atque alis circumventa, acies eo usque est cæsa, ut ex duodeviginti[6] millibus hominum duo millia haud amplius evaserint. Castris hostes potiti sunt.

XXII. Hæ clades, super aliam alia, Romam quum essent nuntiatæ, ingens quidem et luctus et pavor civitatem cepit: sed tamen, quia consules, ubi summa rerum esset[1], ad id locorum prospere rem gererent, minus his cladibus commovebantur. Legatos ad consules mittunt C. Lætorium, M. Metilium, qui nuntiarent, ut reliquias duorum exercituum cum cura colligerent, darentque operam, ne per metum ac desperationem hosti se dederent (id quod post cannensem accidisset cladem), et ut desertores de exercitu volonum[2] conquirerent. Idem negotii P. Cornelio datum, cui et delectus mandatus erat: isque per fora conciliabulaque[3] edixit, ut conquisitio volonum fieret, iique

6. *Ex duodeviginti millibus*, etc.; confer ad Sil. XII, 469.

Cap. XXII. 1. *Ubi summa rerum esset;* vide ad III, 5, n. 6. — *Ad id locorum;* vide ad IX, 45, n. 1. Mox *rem* inseruit Gron. quia in Put. et Pet. est *prosperem*. Confer ad XXXIX, 54, n. 4. — *Legatos ad consules mittunt C. Lætorium* (*Lectorium* edd. vett.) et *M. Metilium, qui nuntiarent*, iis indicarent desiderium et mandatum, mandarent, *ut*, etc. Sic *nuntiare* passim seq. *ut* (v. c. III, 50 pr.; XXVII, 29, n. 2) et *ne* vel conjunctivo. Verba *qui nuntiarent* suspecta videbantur Gron. ob ea, quæ notavi ad VIII, 19, n. 10.

2. *Desertores de exercitu volonum*, confer cap. 20, et ibi not. 4. — *P. Cornelio* Sullæ præt. urb. Confer cap. 2, et 3.

3. *Per fora conciliabulaque;* vide ad cap. 5, n. 3. — *Conquisitio volonum;* vide supra ad librum XXI,

ad signa reducerentur. Hæc omnia intentissima cura acta. Ap. Claudius consul, D. Junio ad ostium[4] Vulturni, M. Aurelio Cotta Puteolis præposito, qui, ut quæque naves ex Etruria ac Sardinia accessissent, extemplo in castra mitterent frumentum, ipse ad Capuam regressus, Q. Fulvium collegam invenit Casilini, omnia inde portantem molientemque ad oppugnandam Capuam. Tum ambo circumsederunt urbem, et Claudium Neronem prætorem ab Suessula ex Claudianis castris[5] exciverunt. Is quoque, modico ibi præsidio ad tenendum locum relicto, cæteris omnibus copiis ad Capuam descendit. Ita tria prætoria circa Capuam erecta, tres et exercitus, diversis partibus opus aggressi, fossa valloque circumdare urbem parant, et castella excitant[6] modicis intervallis; multisque simul locis cum prohibentibus opera Campanis eo eventu pugnant, ut postremo portis muroque se contineret Campanus. Prius tamen, quam hæc continuarentur opera, legati ad Hannibalem missi, qui quererentur, desertam ab eo Capuam, ac prope redditam Romanis; obtestarenturque, ut tunc saltem[7] opem non circumsessis modo, sed etiam circumvallatis, ferret. Consulibus literæ a P. Cornelio prætore missæ, *Ut, prius quam claderent Capuam operibus, potestatem Campanis facerent, ut, qui eorum vellent, exirent ab Capua, suasque res secum auferrent. Liberos fore suaque omnia habituros, qui ante idus martias exissent: post eam diem, quique*

cap. 11, n. 10, et ad XXII, 57, n. 12.

4. *Ad ostium Vulturni*, etc.; vide ad cap. 20, n. 2. — *Invenit Casilini, omnia inde portantem :* hæc lectio debetur Perizonio, mox ab aliis recepta, quum antea legeretur, *invenit, Casilino omnia importantem.* Ed.

5. *Ab Suessula ex Claudianis castris;* vide ad XXIII, 31, n. 3. — *Cæteris omnibus copiis ad Capuam d.;* vide ad I, 14, n. 4.

6. *Et castella excitant,* Gall. *des forts*, vel, si angustiora sunt, *des redoutes;* Doer. Confer ad V, 5, n. 2.

7. *Ut tunc saltem,* etc., forte leg. *ut nunc s....consulibus literæ...mis-*

exissent, quique ibi mansissent, hostium futuros numero. Ea pronuntiata Campanis, atque ita spreta, ut ultro dicerent contumelias, minarenturque. Hannibal ab Herdonia Tarentum duxerat legiones; spe, aut vi, aut dolo, arcis tarentinæ potiundæ. Quod ubi parum processit, ad Brundusium flexit iter, prodi id oppidum ratus. Ibi quoque quum frustra tereret tempus, legati campani ad eum venerunt, querentes simul orantesque : quibus Hannibal magnifice respondit, et antea solvisse obsidionem, et nunc adventum suum consules non laturos. Cum hac spe dimissi legati vix regredi Capuam, jam duplici fossa valloque cinctam, potuerunt.

XXIII. Quum maxime Capua circumvallaretur, Syracusarum oppugnatio ad finem venit, præterquam[1] vi ac virtute ducis exercitusque, intestina etiam proditione adjuta. Namque Marcellus initio veris incertus, utrum Agrigentum ad Himilconem et Hippocraten verteret bellum, an obsidione Syracusas premeret, quanquam nec vi capi videbat posse inexpugnabilem terrestri ac maritimo situ urbem, nec fame, quam prope liberi ab Carthagine commeatus alerent; tamen, ne quid inexpertum relinqueret, transfugas syracusanos (erant autem apud Romanos aliqui nobilissimi viri, inter defectionem ab Romanis, quia ab novis consiliis abhorrebant, pulsi) colloquiis suæ partis tentare ho-

sæ ex senatusconsulto, *ut*, etc.; vide ad VIII, 19, n. 10.— Clericus, caussatus prætorem consulibus nihil imperare posse, scribendum conjecit, *literæ a P. C. a P. Cornelio :* non vidit intelligi *ex senatusconsulto*, quod expresse additur XII, 33 : *ex senatusconsulto literæ ad consules missæ* Ed.

Cap. XXIII. 1. *Præterquam vi*, etc. vid. ad V, 14, n. 5. — *Incertus, utrum...Syrac. obs. premeret.* Priore anno assederat Syracusis solus Appius (eum enim sub finem demum ejusdem anni dimissum esse Romam Creverius existimat), dum Marcellus arma per Siciliam circumferebat, et adversus Himilconem et Hippocratem res gerebat. Hic igitur dubitat Marcellus, utrum ad eosdem hostes versurus sit bellum, ut priore anno, an remansurus ad premendas obsidione Syracusas. Ed.

minum animos jussit, et fidem dare, si traditæ forent Syracusæ, liberos eos ac suis legibus victuros [2] esse. Non erat colloquii copia, quia multorum animi suspecti omnium curam oculosque [3] converterant, ne quid falleret tale admissum. Servus unus exsulum, pro transfuga intromissus in urbem, conventis paucis, initium colloquendi de tali re fecit. Deinde in piscatoria quidam navi, retibus operti, circumvectique ita ad castra romana, colloquutique cum tranfugis; et idem sæpius eodem modo alii atque alii: postremo ad octoginta facti. Et, quum jam composita omnia ad proditionem essent, indicio delato ad Epicyden per Attalum quemdam, indignantem sibi rem creditam non esse, necati omnes cum cruciatu sunt. Alia subinde spes, postquam hæc vana evaserat, excepit [4]. Damippus quidam Lacedæmonius, missus ab Syracusis ad Philippum regem, captus ab romanis navibus erat: hujus utique redimendi et Epicydæ cura erat ingens; nec abnuit Marcellus, jam tum Ætolorum, cujus gentis socii Lacedæmonii erant, amicitiam affectantibus Romanis. Ad colloquium de redemptione ejus missis, medius maxime atque utrisque opportunus locus, ad portum Trogiliorum [5], propter turrim, quam vocant Galeagram, est visus. Quo quum sæpius commearent, unus ex Romanis, ex propinquo murum contemplatus, numerando lapides

2. *Liberos ac suis legibus victuros;* vide ad cap. 16, n. 4.

3. *Omnium curam oculosque converterant* (vide ad XXII, 51, n. 3), *ne quid falleret tale admissum;* vide ad III, 8, n. 2. Mox legere malim *circumvecti* vel *circumvecti sunt ita*, et deinde: *At* vel *Sed*, *quum jam composita*, etc. — *Postremo ad octoginta facti*, etc. Confer XXVI, 30.

4. *Alia subinde spes excepit*, scil. hanc, statim quasi sequuta; vel Marcellum et Romanos. Confer ad I, 53, n. 5. — *Damippus* in MSS (aut *Damnippus*) apud Plut. in Marcello pag. 308, et Polyb. VII, 5, n. 3. *Damasippus* edd. ante Gron.

5. *Ad portum Trogiliorum* pro vulg. *Trogilorum* ex emend. Cluverii, qui monet, *Trogilum* fuisse vicum in ipso maris litore, et vicanos ab eo dictos *Trogilios*, ab his vero navium statio-

æstimandoque ipse secum, quid in fronte[6] paterent singuli, altitudinem muri, quantum proxime conjectura poterat, permensus, humilioremque aliquanto pristina opinione sua et cæterorum omnium ratus esse, et vel mediocribus scalis superabilem, ad Marcellum rem defert. Haud spernenda visa. Sed, quum adiri locus, qui ob id ipsum intentius custodiebatur[7], non posset, occasio quærebatur: quam obtulit transfuga, nuntians, diem festum Dianæ per triduum agi[8], et, quia alia in obsidione desint, vino largius epulas celebrari, et ab Epicyde præbito universæ plebei, et per tribus a principibus diviso. Id ubi accepit Marcellus, cum paucis tribunorum militum colloquutus, electisque per eos ad rem tantam agendam audendamque idoneis centurionibus militibusque, et scalis in occulto comparatis, cæteris signum dari[9] jubet, ut mature corpora curarent, quietique darent: nocte in expeditionem

nem *portum Trogiliorum*. Τρώγιλος χώρα ἐν Σικελίᾳ· τὸ ἐθνικὸν Τρωγίλιος, Steph. Byzant. Ὁ Τρώγιλος καλούμενος, ἧπερ βραχύτατον ἐγίγνετο αὐτοῖς ἐκ τοῦ μεγάλου λιμένος ἐπὶ τὴν ἑτέραν θάλασσαν τὸ ἐπιτείχισμα, Thucyd. lib. VI. Portus ad exitum majoris portus Syracus. situs erat, et turris nomen *Galeagra* exprimi possit nostro *Wieselfang*; Stroth.

6. *Quid in fronte paterent*, quam ampli essent (conf. Gron. et ad XXIV, 3, n. 1), *singuli* lapides: subducta lapidum ratione, de muri altitudine concludebat; Doer. Confer loc. simil. Thucyd. III, 20, et Fragm. Polyb. tom. V, pag. 32, 33, ed. Schweigh. et hujus not.

7. *Qui ob id ipsum intentius custodiebatur*: at πύργον φυλαττόμενον μὲν ἀμελῶς dicit Plut. et Polyæn. VIII, 11. Utroque loco ἐμμελῶς legendum esse, vix crediderim. — *Transfuga*, Sosistratus; vide Frontin. Strat. III, 3, 2.

8. *Diem festum Dianæ* (τὰ Ἀρτεμίσια) *per triduum agi*, etc.; confer Meurs. Græc. feriat. lib. I, ὅτι ἑορτὴν ἄγουσιν πάνδημον (πανδημεὶ ap. Heronem) ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας, καὶ τοῖς μὲν σιτίοις λιτοῖς χρῶνται διὰ τὴν σπάνιν, τῷ δὲ οἴνῳ δαψιλεῖ, Polyb. loco laud. Vox *diem* delenda videbatur Crev. et Jac. Gron. Sed Latini fortassis etiam plurium dierum solennia *diem festum* dicunt, ut unius diei plur. num. *dies festos*; nec locus Front. III, 3, 2, juvat conjecturam; Duker. — *Alia*, scil. ad victum pertinentia; Stroth.

9. *Signum dari*, sc. per tesseram. Ed. — *Ut mature corpora curarent qu. d.*; vide Schel. ad Polyb. cap. 8. — *De die epulatis*; vide ad IX, 44, n. 5.

eundum esse. Inde ubi id temporis visum, quo de die epulatis jam vini satias principiumque somni esset, signi unius milites ferre scalas jussit; et ad mille fere armati tenui agmine per silentium eo deducti. Ubi sine strepitu ac tumultu primi evaserunt in murum, sequúti ordine alii, quum priorum audacia dubiis etiam animum faceret.

XXIV. Jam mille armatorum ceperant partem, quum cæteræ admotæ [1], pluribusque scalis in murum evadebant, signo ab Hexapylo dato; quo per ingentem solitudinem [2] erat perventum, quia magna pars, in turribus epulati, aut sopiti vino erant, aut semigraves potabant: paucos tamen eorum oppressos in cubilibus interfecerunt. Prope Hexapylon est portula magna vi refringi cœpta; et e muro ex composito tuba datum signum erat. Et jam undique, non furtim, sed vi aperta, gerebatur res: quippe ad Epipolas, frequentem custodiis locum [3], perventum erat, terrendique magis hostes erant, quam fallendi; sicut territi sunt: nam simul ac

— *Vini satias* antique pro *satietas*, ut XXVII, 49, et XXX, 3. — *Signi*, manipuli, *unius milites;* quod olim dicebatur *vexillum:* sed hoc tempore jam *vexillum* sociorum, *signum* Romanorum erat; Stroth. Conf. ad VIII, 8, n. 2; XXXIII, 1, n. 2; XXX, 9, n. 5; XLI, 2, n. 3; XLIV, 37, n. 1. His autem temporibus manipulus, tricesima pars legionis, constabat 130 militibus.

Cap. XXIV. 1. *Jam mille armatorum ceperant partem* urbis, *quum cæteræ admotæ*, scil. cohortes: sed cum Gron. leg. *cæteri admoti*, vel cum Mureto *cæteri admotis pluribus scalis.* — *Hexapylo;* vide ad XXIV, 21, n. 3.

2. *Per ingentem solitudinem*, nusquam vigiliis custodiisque obstantibus, ut contra mox *ad Epipolas, frequentem custodiis locum;* Stroth. — *Semigraves;* vide ad IV, 37, n. 2. Confer Polyb. loco laud. pag. 34. — Pro *semigraves* Lipsius, Ep. Quæst. IV, 16, conjiciebat leg. *somno graves.* Sed nihil mutandum videtur: quum enim *semigraves* dicit Livius, facile ex eo, quod præcedit, suppleri potest *vino*. Nempe alii jam sopiti erant vino, alii eo gravati, sed ita tamen ut adhuc vigilare et perseverare in potando possent. *Semigravis* fortassis alibi non inveniri putat Duker. Sed etiam alia cum *semis* composita æque rara sunt. Ed.

3. *Epipolas frequentem c. l.;* vide supra ad librum X, cap. 11, n. 3; XXIV, 21, n. 3.

tubarum est auditus cantus, clamorque tenentium muros partemque urbis, omnia teneri custodes rati, alii per murum fugere, alii salire de muro, præcipitarique turba paventium. Magna pars tamen ignara tanti mali erat, et gravatis omnibus vino somnoque, et, in vastæ magnitudinis urbe, partium sensu non satis pertinente in omnia [4]. Sub luce, Hexapylo effracto, Marcellus, omnibus copiis urbem ingressus, excitavit convertitque omnes ad arma capienda, opemque, si quam possent, jam captæ prope urbi ferendam. Epicydes, ab Insula, quam ipsi Nason vocant [5], citato profectus agmine, haud dubius, quin paucos, per negligentiam custodum transgressos murum, expulsurus foret, occurrentibus pavidis, tumultum augere eos, dictitans, et majora ac terribiliora vero afferre, postquam conspexit omnia circa Epipolas completa, lacessito tantum hoste paucis missilibus, retro in Achradinam agmen convertit, non tam vim multitudinemque hostium metuens, quam ne qua intestina fraus per occasionem oriretur, clausasque inter tumultum Achradinæ [6] atque Insulæ inveniret portas. Marcellus, ut, mœnia ingressus, ex superioribus locis urbem, omnium ferme illa tempestate pulcherrimam, subjectam oculis vidit, illacrymasse dicitur, partim gaudio tantæ perpetratæ rei, partim vetusta gloria urbis. Atheniensium [7] classes de-

4. *Partium sensu non satis pertinente in omnia;* vide ad XXIII, 49, n. 3. — *Omnibus copiis u. i.;* vide ad I, 14, n. 4.

5. *Insula, quam ipsi Nason vocant;* vide ad XXIV, 21, n. 3. — *Expulsurus foret;* vide ad VI, 42, n. 7.

6. *Clausasque inter tumultum Achradinæ* (vide ad XXIV, 21, n. 3), etc., adeoque excluderetur ipse cum suis; Stroth. — *Illacrymasse dicitur;* conf. XLV, 4, n. 2; Sil. XIV, 665 seq., et Plut. loco laud.

7. *Atheniensium classes demersæ* (vide Cic. Verr. V, 37), *et duo ingentes exercitus cum d. c. ducibus*, Demosthene et Nicia, *deleti* tempore belli Pelopon. a Gylippo, qui Spartanis, Syracusanorum sociis, præerat; vide Justin. IV, 4, n. 5; Diodor. XIII, 7 seq.; Thucyd. VII, 2 seq.; Plut. in Nicia et Alcib. Præter hos etiam La-

mersæ, et duo ingentes exercitus cum duobus clarissimis ducibus deleti occurrebant, et tot bella cum Carthaginiensibus [8] tanto cum discrimine gesta; tot tam opulenti tyranni regesque; præter cæteros Hiero, quum recentissimæ memoriæ rex, tum ante omnia, quæ virtus ei fortunaque sua dederat, beneficiis in populum romanum insignis. Ea quum universa occurrerent animo, subiretque cogitatio, jam illa momento horæ arsura omnia, et ad cineres reditura; prius quam signa Achradinam admoveret [9], præmittit Syracusanos, qui [10] intra præsidia romana, ut ante dictum est, fuerant, ut alloquio leni perlicerent hostes ad dedendam urbem.

XXV. Tenebant Achradinæ portas murosque maxime transfugæ, quibus nulla erat per conditiones veniæ spes. Ii nec adire muros, nec alloqui quemquam passi: itaque Marcellus, postquam id inceptum irritum fuit, ad Euryalum [1] signa referri jussit. Tumulus est in extrema parte urbis versus a mari, viæque imminens ferenti in agros, mediterraneaque insulæ, percommode situs ad commeatus excipiendos. Præerat huic arci Philodemus Argivus [2], ab Epicyde impositus, ad quem missus a Marcello Sosis, unus ex interfectoribus tymachum et Eurymedontem, non ignobiles duces Atheniensium ad Syracusas periisse, monet Duk. coll. Thucyd. VI, 101, et VII, 52. — *Occurrebant;* vide ad V, 54, n. 2.

8. *Tot bella cum Carthagin.;* vide Diodor. 11 seq., 19, 20. Mox *tot ac tam opulenti tyranni regesque* (Hiero, Gelo, Dionysii et alii) edd. ante Gron. forte rectius, vel *et* pro *ac.*

9. *Signa* ad *Achradinam admoveret* optimi MSS ut XXVI, 30; XXVII, 25; XXVIII, 46; *Achradinæ* edd. ante Crev.

10. *Syracusanos, qui intra* (al. *inter,* ut et cap. 31 pr., et XXXVIII, 11, 48) *præsidia Rom. fuerant* (ut ter cap. 31), *ut ante dictum est* cap. 23 pr. Confer ad XXXVIII, 11, n. 4.

Cap. XXV. 1. *Ad Euryalum;* Εὐρύηλος ἡ ἀκρόπολις τῶν Ἐπιπολῶν, πολίχνιον δὲ τοῦτο Συρακουσῶν ἀπόκρημνον, Steph. Confer Thucyd. VI. — *Versus a mari*, aversus, remotus, a mari longius discedens, et versus in mediterranea insulæ. Ed. — *Viæque imminens;* vide ad III, 51, n. 3. — *Insulæ*, Siciliæ.

2. *Philodemus Argivus;* vide ad XXIV, 6, n. 1.

ranni, quum, longo sermone habito, dilatus per frustrationem esset [3], retulit Marcello, tempus eum ad deliberandum sumpsisse. Quum is diem de die differret, dum Hippocrates atque Himilco admoverent castra legionesque, haud dubius, si in arcem accepisset eos, deleri romanum exercitum inclusum muris posse; Marcellus, ut Euryalum neque tradi, neque capi vidit posse, inter Neapolim et Tycham [4] (nomina partium urbis et instar urbium sunt) posuit castra, timens, ne, si frequentia intrasset loca, contineri ab discursu miles avidus prædæ non posset. Legati eo ab Tycha et Neapoli cum infulis et velamentis [5] venerunt, precantes, ut a cædibus et ab incendiis parceretur [6]. De quorum precibus, quam postulatis, magis consilio habito, Marcellus ex omnium sententia edixit militibus, *ne quis liberum corpus violaret : cætera præda futura.* Castraque tectis parietum pro muro septa [7]. Portis

3. *Dilatus per frustrationem;* vide ad XXI, 53, n. 3.

4. *Neapolim et Tycham;* vide ad XXIV, 21, n. 3. — *Nomina partium urbis.* Putean. exhibet *nomine a partium;* alius item probæ notæ, *nomine apertium.* Scribe igitur *nomina ea partium;* Gron. quem improbat Drak. quia Livius in simili per parenthesin addita enunciatione pronomen *ea* vel addere, vel omittere solet. Ed. — *Si frequentia intrasset loca;* vide ad X, 11, n. 3.

5. *Cum infulis et velamentis;* vide ad II, 54, n. 6.

6. *Ut a cædibus et ab incendiis parceretur,* abstineretur, temperaretur; rarum dictionis genus; Stroth.

7. *Castraque tectis parietum pro muro septa,* castra Marcelli, inter Neapolin ac Tychen posita, ædificiorum parietes pro muro aut vallo habuere; nisi *tecta parietum* sunt parietes ipsi ad tegendas ædes structi, seu potius leg. *tectorum parietibus;* Gron. Omnino ita potius dicendum erat; et incommoda etiam est copula *que :* quare lego : *Castra objectu parietum* vel *objectis parietibus* (ut IV, 9; XXXI, 39; XXXVIII, 7; XLII, 63, et quater infra cap. 36) *pro muro septa;* Stroth. At sic vox *tectorum* vel *domorum* desideratur; et malim delere τὸ *parietum* ac reponere : *castra undique tectis pro muro* (muro quasi, muri loco) *septa;* Doer. *Castra pro tectis parietum muro septa* conj. Cluver. Forte leg. *Castra pæne tectis parietumque muro septa;* hoc est, longe maxima eorum pars, præter *portas, regione platearum* (vide ad III, 66, n. 3) *patentes,* in eas spectantes et apertas : unde ad portas *stationes disposuit* militum. *Portis r. p. patentibus* (ablat.

regione platearum patentibus stationes præsidiaque disposuit, ne quis in discursu militum impetus in castra fieri posset. Inde, signo dato, milites discurrerunt: refractisque foribus, quum omnia terrore ac tumultu streperent, a cædibus tamen temperatum est. Rapinis nullus ante modus fuit, quam omnia diuturna felicitate cumulata bona egessere. Inter hæc et Philodemus, quum spes auxilii nulla esset, fide accepta, ut inviolatus ad Epicyden rediret, deducto præsidio, tradidit tumulum Romanis. Aversis omnibus ad tumultum ex parte captæ urbis, Bomilcar, noctem eam [8] nactus, qua propter vim tempestatis stare ad ancoram in salo romana classis non posset, cum triginta quinque navibus ex portu syracusano profectus, libero mari vela in altum dedit, quinque et quinquaginta navibus Epicydæ et Syracusanis relictis; edoctisque Carthaginiensibus, in quanto res syracusana discrimine esset, cum centum navibus post paucos dies redit, multis (ut fama est) donis ex Hieronis gaza ab Epicyde donatus.

XXVI. Marcellus, Euryalo recepto præsidioque addito, una cura erat liber, ne qua ab tergo vis [1] hostium in arcem accepta inclusos impeditosque mœnibus suos turbaret. Achradinam inde, trinis castris per idonea dispositis loca, spe ad inopiam omnium rerum inclusos redacturum, circumsedit. Quum per aliquot dies quietæ stationes utrinque fuissent, repente adventus Hippocratis et Himilconis, ut ultro undique oppugnarentur

conseq.) *stationes p. disposuit*, scil. ad eas, aut *portis* dictum pro *ad portas*. — *Portis...patentibus*. Creverii nota est : « Portis castrorum apertis e regione latarum utriusque urbis viarum. Si quis tamen velit intelligere ipsarum urbium portas non magnopere repugnabimus. » Ed.

8. *Noctem eam nactus*, opportunitatem, quam ea dabat, amplexus.

Cap. XXVI. 1. *Vis hostium*, multitudo host. v. Sil. IV, 599. — *Inclusos redacturum*, subaudito pronomine *se*, quod abigunt plurimi et optimæ notæ codices. Posset et cum J. Fr. Gronovio legi, *inclusos redactum iri*. Ed.

Romani, fecit. Nam et Hippocrates, castris ad magnum portum [2] communitis, signoque iis dato, qui Achradinam tenebant, castra vetera Romanorum adortus est, quibus Crispinus præerat; et Epicydes eruptionem in stationes Marcelli fecit; et classis punica litori, quod inter urbem et castra romana erat, appulsa est, ne quid præsidii Crispino submitti a Marcello posset. Tumultum tamen majorem hostes præbuerunt, quam certamen: nam et Crispinus Hippocraten non repulit tantum munimentis, sed insequutus etiam est trepide fugientem; et Epicyden Marcellus in urbem compulit: satisque jam etiam in posterum videbatur provisum, ne quid ab repentinis eorum excursionibus periculi foret. Accessit et pestilentia, commune malum, quod facile utrorumque animos averteret a belli consiliis. Nam tempore autumni et locis natura gravibus [3], multo tamen magis extra urbem, quam in urbe, intoleranda vis æstus per utraque castra omnium ferme corpora movit. Et primo temporis ac loci vitio et ægri erant, et moriebantur: postea curatio ipsa et contactus ægrorum vulgabat morbos [4]; ut aut neglecti desertique, qui incidissent, morerentur, aut adsidentes curantesque eadem vi morbi repletos secum traherent; quotidianaque funera et mors ob oculos esset, et undique dies noctesque ploratus audirentur. Postremo ita assuetudine mali efferaverant animos, ut non modo lacrymis [5] justoque comploratu prosequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem, aut sepelirent, jacerentque

2. *Ad magnum portum;* vide ad XXIV, 21, n. 3.

3. *Locis natura gravibus;* vide ad III, 6, n. 2, et XXIII, 34, n. 6. — *Corpora movit,* vexavit, graviter affecit. Confer ad XXI, 39, n. 2. In hac pestilentiæ descriptione Livium respexisse Thucyd. II, 51 seq. jam monuit Duker. Cf. ad Sil. XIV, 580 seqq.

4. *Contactus ægrorum vulgabat morbos;* vide ad II, 29, n. 5. — *Qui incidissent,* scil. in morbum.

5. *Ut non modo lacrymis* (*non modo non* edd. ante Gron., non optimi

strata exanima corpora in conspectu similem mortem exspectantium; mortuique ægros, ægri validos, quum metu, tum tabe ac pestifero odore corporum conficerent[6]. Et, ut ferro potius morerentur, quidam invadebant soli hostium stationes. Multo tamen vis major pestis Pœnorum castra, quam romana (diu circumsedendo Syracusas, cælo aquisque assuerant magis), affecerat. Ex hostium exercitu Siculi, ut primum videre ex gravitate loci[7] vulgari morbos, in suas quisque propinquas urbes dilapsi sunt. At Carthaginienses, quibus nusquam receptus erat, cum ipsis ducibus Hippocrate atque Himilcone, ad internecionem omnes perierunt. Marcellus, ut tanta vis ingruebat mali, traduxerat in urbem suos; infirmaque corpora tecta et umbræ recreaverant. Multi tamen ex romano exercitu eadem peste absumpti sunt.

XXVII. Deleto terrestri punico exercitu, Siculi, qui Hippocratis milites fuerant, in haud magna oppida, cæterum et situ et munimentis tuta (tria millia alterum[1] ab Syracusis, alterum quindecim abest), eo et commeatus e civitatibus suis comportabant, et auxilia arcessebant. Interea Bomilcar, iterum cum classe profectus Carthaginem, ita exposita fortuna sociorum, ut spem faceret, non ipsis modo salutarem opem ferri

MSS; vide ad I, 40, n. 1) *justoque comploratu*, quem mortuis debet humanitas (unde *justa facere* et *persolvere* de officio sepulturæ), *prosequerentur mortuos*; confer ad cap. 38, n. 4; Mitscherl. ad Hor. Od. II, 6, 23 (*debita sparges lacryma favillam vatis amici*), et II, 9, n. 9. — *Efferrent*; vide ad II, 16, n. 5. — Quis non statim, ea legens, recentem Barcinonis pestilentiam, Medicorumque gallicorum virtutem vel in ipsa morte sublimem admirans reminiscitur! Ed.

6. *Tabe ac pestifero odore corporum conficerent*; vide ad II, 40, n. 8, et IV, 30, n. 4. — *Cælo aquisque assuerant magis*; vide Gron. Obss. IV, 8, ubi corruptum restituit locum.

7. *Ex gravitate loci vulgari morbos*; vide ad II, 29, n. 5; III, 6, n. 2, et VII, 39, n. 5. — *Receptus*, confer ad XXII, 12, n. 9.

Cap. XXVII. 1. *Tria millia alterum*, etc. vid. ad IX, 24, n. 2. Mox

posse, sed Romanos quoque in capta quodammodo urbe capi, perpulit, ut onerarias naves quam plurimas omni copia rerum onustas secum mitterent classemque suam augerent. Igitur, centum triginta navibus longis et septingentis onerariis profectus [2] a Carthagine, satis prosperos ventos ad trajiciendum in Siciliam habuit. Sed iidem venti superare eum Pachynum [3] prohibebant. Bomilcaris adventus, fama primo, dein præter spem mora, quum gaudium et metum in vicem Romanis Syracusanisque præbuisset, Epicydes metuens, ne, si pergerent iidem, qui tum tenebant [4], ab ortu solis flare per dies plures venti, classis punica Africam repeteret, tradita Achradina mercenariorum militum ducibus, ad Bomilcarem navigat. Classem in statione versa in Africam habentem, atque timentem navale prælium, non tam quod impar viribus aut numero navium esset (quippe etiam plures habebat), quam quod venti aptiores romanæ, quam suæ, classi flarent, perpulit tandem, ut fortunam navalis certaminis experiri vellet. Et Marcellus, quum et siculum exercitum ex tota insula conciri videret, et cum ingenti commeatu classem punicam adventare, ne simul terra marique inclusus urbe hostium urgueretur, quanquam impar numero navium erat, prohibere aditu Syracusarum Bomilcarem constituit. Duæ classes infestæ circa pro-

τὸ *eo* supervacuum videtur. Sed vide ad I, 19, n. 1.

2. *CXXX navibus longis et DCC onerariis profectus;* vide ad I, 14, n. 4, et XXI, 17, n. 5. *DCC*, non *LXX*, optimi MSS, et onerariarum navium numerus solet esse major; Gron.

3. *Superare eum Pachynum*; vid. ad II, 50, n. 4. — Carthagine Pachynum petentes ventus ab occasu ferme flans vexerat. Auster necessarius erat navigaturis ab Pachyno ad Syracusas. Ed.

4. *Si pergerent iidem* venti, *qui tum tenebant*, retinebant classem in cursu, vel durabant; Doer. Confer ad II, 3, n. 6, et II, 63, n. 3. — *Ab ortu solis flare.* Venti ergo mutati fuerant ex quo Bomilcar ad Pachynum pervenerat: sed ita, ut non minus, quam prius, prohiberent superari promontorium, et classem Carthaginem versus impellerent. Ed. — *Habentem* Bomilcarem.

montorium Pachynum stabant, ubi prima tranquillitas maris in altum evexisset, concursuræ. Itaque, cadente jam Euro, qui per dies aliquot sævierat, prior Bomilcar movit [5]: cujus prima classis petere altum visa est, quo facilius superaret promontorium. Cæterum, postquam tendere ad se romanas naves vidit, incertum qua subita territus re, Bomilcar vela in altum dedit, missisque nuntiis Heracleam, qui onerarias retro in Africam repetere juberent, ipse, Siciliam prætervectus, Tarentum petit. Epicydes, a tanta repente destitutus spe, ne in obsidionem magna ex parte captæ urbis rediret, Agrigentum navigat, exspectaturus magis eventum, quam inde quidquam moturus.

XXVIII. Quæ ubi in castra Siculorum sunt nuntiata, Epicyden Syracusis excessisse, a Carthaginiensibus relictam insulam, et prope iterum Romanis [1] traditam; legatos de conditionibus dedendæ urbis, explorata prius per colloquia voluntate eorum, qui obsidebantur, ad Marcellum mittunt. Quum haud ferme discreparet, quin, quæ ubique regum fuissent, Romanorum essent, Siculis cætera cum libertate ac legibus suis servarentur; evocatis ad colloquium his, quibus ab Epicyde creditæ res erant, *missos se simul ad Marcellum, simul ad eos ab exercitu Siculorum* [2], aiunt, *ut una omnium, qui obsiderentur quique extra obsidionem essent, for-*

5. *Prior Bomilcar movit;* vide ad II, 3, n. 2. Verba seqq. *cujus prima classis p. a. v. est* horum glossam redolent. — « *Prima*, prior quam Romana: nec cum Dukero leg. *primo* », Doer. — *Missisque nuntiis Heracleam* Minoam; vide ad XXIV, 35, n. 3. — *Onerarias* scil. naves, quam vocem addunt edd. vett., sed optimi MSS h. l. ut et XXXII, 18; XXXIV, 50 extr., et XXXV, 37, n. 3, omittunt, quum tamen nullo horum capp. loco exstet; Gron. — *Retro repetere*, scil. cursum vel viam. Confer ad II, 45, n. 10, et IX, 2, n. 5.

Cap. XXVIII. 1. *Iterum Romanis traditam* Siciliam, ut olim bello punico primo. — *Discreparet;* vide ad I, 3, n. 4.

2. *Simul ad eos ab exercitu Siculorum* pro vulg. *simul ab eo ad exercitum S.* ex emend. Perizonii, cujus

tuna esset ; neve alteri proprie sibi paciscerentur quidquam. Recepti deinde ab iis, ut necessarios hospitesque alloquerentur, expositis, quæ pacta jam cum Marcello haberent, oblata spe salutis perpulere eos, ut secum præfectos Epicydis[3], Polyclitum et Philistionem et Epicyden, cui Sindon cognomen erat, aggrederentur. Interfectis iis et multitudine ad concionem vocata, et inopiam, qua ipsi inter se fremere occulte soliti erant, conquesti, *quanquam tot mala urguerent*, negarunt, *fortunam accusandam esse, quod in ipsorum esset potestate, quam diu ea paterentur*[4]. *Romanis causam oppugnandi Syracusas fuisse caritatem Syracusanorum, non odium : nam, ut occupatas res ab satellitibus Hannibalis, deinde Hieronymi, Hippocrate atque Epicyde audierint, tum bellum movisse, et obsidere urbem cœpisse, ut crudeles tyrannos ejus, non ut ipsam urbem, expugnarent. Hippocrate vero interempto, Epicyde intercluso ab Syracusis, et præfectis ejus occisis, Carthaginiensibus omni possessione Siciliæ*

nota est : « Missi erant e castris Siculorum ad Marcellum de conditionibus dedendæ urbis, sed ita ut explorarent prius obsessorum voluntatem, quam pacta confirmarentur. Nihil igitur attinebat ad obsessos memorare, se remissos esse a Marcello ad exercitum, quod neque factum erat, et, si maxime factum esset, non poterat inde colligi, id agi, ut una omnium esset fortuna, quod his legationibus quæri affirmabant. Tum neque opus erat, Marcellum ea de re legatos mittere ad Siculos, qui ultro id rogatum venissent, neque illum id sibi curæ habere conveniens erat, sed solos Syracusanorum socios, qui erant in castris. »

3. *Præfectos Epicydis ;* vide ad XXVIII, 30, n. 1. — *Epicydem, cui Sindon cognomen erat :* ita omnes fere MSS. *Sidon* edd. ante Drak. — *Et inopiam, qua ipsi inter se fremere o. s. erant :* in cod. Put. *quæ ipsi*, et in quibusdam MSS *quam ipsi*, quod loco III, 38, n. 9, non satis firmatur. *Qua et ipsi* conj. Crev. et *de qua et ipsi* Doer. Ego potius crediderim, verba *et inopiam* parum apta h. l. esse, et vel ea delenda, vel legendum : *ob inopiam quæ ipsi inter se fremere*, etc., ut *fremere aliquid* III, 38, n. 9, et passim pro : cum fremitu et murmure dicere ac queri.

4. *Quam diu ea* mala *paterentur*, pati vellent; Doer. — *Caritatem Syracusanorum, non odium*, id est, adversus eos. — *Hipp. vero interempto* peste; nisi leg. *interea mortuo*. Cf. c. 26 extr.

terra marique pulsis, quam superesse causam Romanis, cur non, perinde ac si Hiero ipse viveret, unicus romanæ amicitiæ cultor [5], *incolumes Syracusas esse velint? Itaque nec urbi nec hominibus aliud periculum, quam ab semetipsis, esse, si occasionem reconciliandi se Romanis prætermisissent (eam autem, qualis illo momento horæ sit, nullam deinde fore), simul libertas ab impotentibus tyrannis apparuisset* [6].

XXIX. Omnium ingenti assensu audita ea oratio est. Prætores tamen prius creari, quam legatos nominari, placuit : ex ipsorum deinde prætorum numero missi oratores ad Marcellum. Quorum princeps, « Neque « primo, inquit, Syracusani a vobis defecimus, sed « Hieronymus, nequaquam tam in vos impius, quam « in nos : nec postea pacem, tyranni cæde composi- « tam [1], Syracusanus quisquam, sed satellites regii Hip- « pocrates atque Epicydes, oppressis nobis hinc metu, « hinc fraude, turbaverunt. Nec quisquam dicere po- « test, aliquando nobis libertatis [2] tempus fuisse, quod « pacis vobiscum non fuerit. Nunc certe cæde eorum, « qui oppressas tenebant Syracusas, quum primum « nostri arbitrii esse cœpimus [3], extemplo venimus ad « tradenda arma ; dedendos nos, urbem, mœnia ; nul- « lam recusandam fortunam, quæ imposita a vobis fue-

5. *Un. r. am. cultor ;* v. I, 21, n. 3.

6. *Simul* (simul ac) *libertas ab impotentibus tyrannis apparuisset ;* vide ad III, 36, n. 2; III, 62, n. 4, et mox ad cap. 29, n. 2. Parenthesin induximus cum Stroth. et tum post *prætermisissent* comma pro puncto posuimus, tum delevimus τὸ *si* ante *simul*, quod omnes fere MSS respuunt. Idem jam expunxerat Gron. cujus tamen emendationibus : *deinde fore, simul liberatos ab i. t. a.* et *quam libertas ab i. t. aperuisset*, vix ulla, ne dum aptior, continetur sententia. — *Liberatas* legitur in optimis MSS et *aperuisset* in uno Palat.

Cap. XXIX. 1. *Pacem, tyranni cæde compositam*, factam (ut II, 13, et XXX, 40), restitutam. — *Satellites ;* vide ad XXIII, 12, n. 7.

2. *Aliquando nobis libertatis*, etc. ; confer ad cap. 28, n. 6.

3. *Nostri arbitrii esse cæpimus ;* vide ad III, 62, n. 5. — *Nullam recusan-*

« rit. Gloriam captæ nobilissimæ pulcherrimæque urbis « græcarum[4] dii tibi dederunt, Marcelle. Quidquid un- « quam terra marique memorandum gessimus, id tui « triumphi titulo accedit. Famæ ne credi velis, quanta « urbs a te capta sit, quam posteris quoque eam spe- « ctaculo esse (quo quisque terra, quisque mari venerit, « nunc nostra de Atheniensibus Carthaginiensibusque « tropæa, nunc tua de nobis ostendat), incolumesque « Syracusas familiæ vestræ sub clientela nominis Mar- « cellorum tutelaque habendas tradas[5]. Ne plus apud « vos Hieronymi, quam Hieronis, memoria momenti « faciat. Diutius ille multo amicus fuit, quam hic hostis : « et illius etiam benefacta persensistis; hujus amentia « ad perniciem tantum ipsius valuit. » Omnia et impe-

dam fortunam. Recusando Lor. 2, Hafn. Hav. Perizonius ad oram Livii legebat *recusantes;* sed mutationis causam non video. Ed.

4. *Nobilissimæ pulcherrimæque urbis græcarum* urbium : nam Syracusæ a Corinthiis conditæ, qui duce Archia in Siciliam trajecerant; vide ad Sil. XIV, 50 seq., et Strab. VI, 269; VIII, 380. Iisdem pæne verbis utitur Cic. Verr. IV, 52, ex quo loco *urbium* suspicari possis, quod tamen ibi suspectum. — *Ne velis*, scilicet magis seu potius (vide ad I, 25, n. 11), ne malis (*Sigonius* legere videtur *ne credi malis.* Ed.), *famæ credi*, posteros fama accipere, *quanta urbs a te capta sit, quam posteris quoque eam spectaculo esse*, gratum mirificumque præbere adspectum, *quo quisque*, ut quicumque (vide ad I, 24, n. 4) eo *venerit*, huic *nunc nostra de Atheniensibus et Carth. tropæa*, victorias earumque monimenta (vide ad cap. 24, n. 7, 8), *nunc tua de nobis ostendat*, scil. hæc urbs. Confer Cic. Verr. II, 2, quem ex eodem cum Livio fonte hausisse suspicabatur Stroth.

5. *Syracusas familiæ vestræ* (forte *tuæ*) *sub clientela nominis Marcellorum tutelaque habendas tradas;* conf. XXVI, 32 extr.; Cic. Verr. I, 51, 55; II, 2, n. 21 seq.; IV, 54, ex quo notum est, Marcellos fuisse *patronos Siculorum* (ut Fabii erant Allobrogum, Cicero Campanorum, Cato Cappadocum et Cypriorum, etc.; de quo vide ad Tac. Ann. III, 55, n. 4), et propter Marcelli clementiam humanitatemque a Siculis in ejus honorem quotannis celebrata fuisse Marcellea, hisque Verrem substituisse Verrea. De tali clementia Marcelli nihil pæne apud Livium legitur : et notatur potius inhumanitas ejus XXIV, 35; XXV, 31, 40; XXVI, 26-32. Confer tamen ad Sil. XIV, 665-689, et Plut. Marcell. pag. 311, 312, qui ob libertatem a Marcello Syracusanis redditam clientelamque receptam (confer XXVI, 32 extr.) tum illos tum alios ei honores a Siculis decretos dicit. — Hæc oratio

trabilia[6] et tuta erant apud Romanos. Inter ipsos plus belli ac periculi erat: namque transfugæ, tradi se Romanis rati, mercenariorum quoque militum auxilia in eumdem compulere metum; arreptisque armis prætores primum obtruncant, inde ad cædem Syracusanorum discurrunt, quosque fors obtulit, irati interfecere, atque omnia, quæ in promptu erant[7], diripuerunt. Tum, ne sine ducibus essent, sex præfectos creavere, ut terni Achradinæ ac Naso præessent. Sedato tandem tumultu, exsequentibus sciscitando mercenariis[8], quæ acta cum Romanis essent, dilucere, id quod erat, cœpit; aliam suam ac perfugarum causam esse.

XXX. In tempore[1] legati a Marcello redierunt, falsa eos suspicione incitatos memorantes, nec causam expetendæ pœnæ eorum ullam Romanis esse. Erat ex tribus Achradinæ præfectis Hispanus, Mericus nomine. Ad eum inter comites legatorum de industria unus ex Hispanorum auxiliaribus est missus; qui, sine arbitris Mericum nanctus[2], primum, quo in statu reliquisset Hispaniam (et nuper inde venerat), exponit: *Omnia Romanis ibi obtineri armis. Posse eum, si operæ pretium faciat, principem popularium esse; seu militare cum Romanis, seu in patriam reverti libeat. Contra,*

Syracusanorum ad Marcellum aliqua ex parte defecta Glareano videtur, illaque verba non bene cohærere superioribus; sed nihil desiderari putat Sigonius, subaudito tantum voc. *oramus*, et alibi sic apud Livium. Ed.

6. *Omnia et impetrabilia*, facile impetranda et votis consentanea, *et tuta erant*, sine fraude et *periculo*.

7. *Quæ in promptu erant*, conspicua vel ad manum et ante oculos. — *Achradinæ ac Naso*; vide ad XXIV, 21, n. 3.

8. *Exsequentibus sciscitando mercenariis*; vide ad V, 15, n. 8. Vox ultima abest ab optimis MSS et facile intell.; Gron. — Pro *exsequentibus* Lipsius e libro suo *anquirentibus* legendum censebat, quam conjecturam rejecit Gronovius. Ed.

Cap. XXX. 1. *In tempore*; vide ad II, 47, n. 4. — *Unus ex Hispanorum auxiliaribus*, Belligenes; vide infra ad XXVI, 21.

2. *Sine arbitris Mericum nanctus*; vide ad V, 45, n. 1, et VI, 33, n. 3. — *Si operæ pretium faciat*; confer ad Præf. n. 2.

si malle obsideri pergat, quam spem esse terra marique clauso? Motus his Mericus, quum legatos ad Marcellum mitti placuisset, fratrem inter eos mittit; qui, per eumdem illum Hispanum secretus ab aliis ad Marcellum deductus[3], quum fidem accepisset composuissetque agendæ rei ordinem, Achradinam redit. Tum Mericus, ut ab suspicione proditionis averteret omnium animos, negat *sibi placere, legatos commeare ultro citroque, neque recipiendum quemquam, neque mittendum; et, quo intentius custodiæ serventur, opportuna dividenda*[4] *præfectis esse, ut suæ quisque partis tutandæ reus sit*[5]. Omnes assensi sunt partibus dividundis: ipsi regio evenit ab Arethusa fonte[6] usque ad ostium magni portus. Id ut scirent Romani, fecit. Itaque Marcellus nocte navem onerariam cum armatis remulco quadriremis trahi ad Achradinam jussit, exponitque milites regione portæ, quæ prope fontem

3. *Secretus ab aliis ad M. deductus;* vide ad VI, 25, n. 1, *secretum* MSS fere omnes: unde *secretim*, seu *in secretum* conj. Gron. probantibus Crev. et Drak. At repugnant adjecta *ab aliis;* Doer.

4. *Opportuna dividenda;* vide ad I, 54, n. 4. Vocem *loca*, quam edd. addunt, delevi, quia abest a MSS; vide ad V, 38, n. 4.

5. *Ut suæ quisque partis tutandæ reus sit*, hoc est, nisi eam tutetur: *dass ein jeder für die Vertheidigung seines ihm angewiesenen Postens haften müsse;* Doer. — *Omnes assensi sunt partibus dividundis*, ut suus cuique locus tuendus assignaretur; Ern.

6. *Ipsi regio evenit ab Arethusa fonte* in Insula extrema (vid. Cic. Verr. IV, 53, et ad Sil. XIV, 53) *usque ad ostium magni portus;* vide ad XXIV, 21, n. 3. Ex præc. et seqq. patet, *Mericum* præfuisse Achradinæ, sed XXVI, 21, ab eo Nasum Marcello proditam legimus; quam inconstantiam Livii sui obliviscentis errori tribuit Periz. anim. hist. cap. 8, pag. 341. Verum insuper, quum fons Arethusa nihil ad Achradinam pertinuerit, sed in extrema Insula fuerit sita, Crev. et Drak. verentur, ne Livius totam hanc de Merici proditione narrationem valde turbaverit. Similes difficultates in h. l. et tota Achradinæ Nasique expugnatione animadvertit et removere conatus est Cluver. Sicil. ant. I, 12, pag. 164 seq. — *Remulco*, funibus, ῥύμασι, *quadriremis trahi navem*, quod nobis *bogsiren* et græce ῥυμουλκεῖν τὰς ναῦς dicitur. Confer XXXII, 16, et XXXVII, 24, ad XXVII, 15, n. 2, et Scheffer. de Mil. nav. II, 5. *Scaphæ remis navis magna sic trahitur*, Fest. propr. funibus alius navis,

Arethusam est. Hoc quum quarta vigilia factum esset, expositosque milites porta, ut convenerat, recepisset Mericus, luce prima Marcellus omnibus copiis mœnia Achradinæ aggreditur, ita ut non eos solum, qui Achradinam tenebant, in se converteret, sed ab Naso etiam agmina armatorum concurrerent, relictis stationibus suis, ad vim et impetum Romanorum arcendum. In hoc tumultu actuariæ naves[7], instructæ jam ante circumvectæque, ad Nasum armatos exponunt, qui, improviso adorti semiplenas stationes et adapertas fores portæ, qua paulo ante excurrerant armati, haud magno certamine Nasum cepere, desertam trepidatione et fuga custodum : neque ullis minus præsidii aut pertinaciæ ad manendum, quam transfugis, fuit[8], quia, ne suis quidem satis credentes se, medio certamine effugerunt. Marcellus ut captam esse Nasum didicit, et Achradinæ regionem unam teneri Mericumque cum præsidio suis adjunctum, receptui cecinit; ne regiæ opes, quarum fama major, quam res, erat, diriperentur.

XXXI. Suppresso impetu militum, et iis, qui in Achradina erant, transfugis spatium locusque fugæ datus est; et Syracusani, tandem liberi metu, portis Achradinæ apertis, oratores ad Marcellum mittunt, nihil petentes aliud, quam incolumitatem sibi liberis-

quæ remis agitur. — Recte observat Sigonius naves onerarias velis agi solitas, non remis : itaque ubi venti usus non erat, alligatæ ad naves, quæ agerentur remis, ab iis trahebantur. Ed. — *Exponitque milites.* Crev. et Drak. dederunt *exponi*, ex multis codicibus, et e nota Jac. Gronovii, quæ est hæc : si ad hoc exsequendum Marcellus ipse descendisset, profecto temerarie ducis summi personam periclitatus fuisset. Tum non ipsum exposuisse ostendit Livius, quod eum luce prima post venisse dicat. Denique sufficit auctoritas libri Putean. ad affirmandam veram scripturam *exponi*, cui etiam multi accedunt. Ed. — *Regione portæ;* vide ad III, 66, n. 3.

7. *Actuariæ naves;* vide ad XXI, 28, n. 10.

8. *Quam transfugis, fuit, quia;* forte *qui*.

que suis. Marcellus, consilio advocato, et adhibitis etiam Syracusanis, qui per seditiones pulsi ab domo intra præsidia romana erant[1], respondit; *non plura per annos quinquaginta benefacta Hieronis, quam paucis his annis maleficia eorum, qui Syracusas tenuerint, erga populum romanum esse. Sed pleraque eorum, quo*[2] *debuerint, recidisse; fœderumque ruptorum ipsos ab se graviores multo, quam populus romanus voluerit, pœnas exegisse. Se quidem tertium annum circumsedere Syracusas: non ut populus romanus servam civitatem haberet, sed ne transfugarum duces captam et oppressam tenerent. Quid potuerint Syracusani facere, exemplo vel eos Syracusanorum esse, qui intra præsidia romana fuerint, vel hispanum ducem Mericum, qui præsidium tradiderit, vel ipsorum Syracusanorum postremo, serum quidem, sed forte consilium. Omnium sibi laborum periculorumque, circa mœnia syracusana terra marique tam diu exhaustorum, nequaquam tantum fructum esse*[3]*, quam capere Syracusas potuisse.* Inde quæstor cum præsidio ad Nasum ad

Cap. XXXI. 1. *Intra præsidia rom.* e.; vide ad cap. 24, n. 10.

2. *Sed pleraque eorum, quo*, in quos (nisi ita leg.) *debuerint, recidisse*, pœnas eorum in capita auctorum.

3. *Omnium sibi laborum periculorumque...nequaquam tantum fructum esse*, ex iis sibi, aut ad se redire, *quam* quantum *capere Syracusas*, Syracusanos ipsos, *potuisse*, si scilicet in tempore sibi consuluissent fecissentque, *quod potuissent facere;* cf. verba præc. Eodem sensu verba hæc cepere Ruben., Gron., Drak., Doer. qui tamen ita *fructum sese* (scil. *capere aut capere potuisse*) pro *fructum esse* legendum putarunt; quod necesse non est, quoniam jungenda sunt sibi *fructum esse*. Malim: *quam capere Syracusæ potuissent*, quod lectione optimorum MSS *potuisset* firmatur. — *Quam si parcere Syracusis potuisset* conj. Gron. Sed hæc omnia parum faciunt ad mentem Marcelli, cujus tota oratio severitatem spirat: quæ quum notaret Creverius, conjecturam quoque suam attulit, legendumque suasit, *nequaquam dignum fructum esse, quod capere Syracusas potuisset.* Scripti et vetustissimi editi exhibent, *quod...potuisset.* Hæc igitur foret sententia, tantos a Marcello in obsidione Syracusarum exhaustos labores esse, ut exigua sit eorum merces vel ipsæ Syracusæ captæ. Videant periti. Ed.

accipiendam pecuniam regiam custodiendamque missus. Urbs diripienda militi data est, custodibus divisis per domos eorum, qui intra præsidia romana fuerant. Quum multa iræ, multa avaritiæ, fœda exempla ederentur, Archimeden, memoriæ proditum est [4], in tanto tumultu, quantum capta urbs in discursu diripientium militum ciere poterat, intentum formis, quas in pulvere descripserat [5], ab ignaro milite, quis esset, interfectum : ægre id Marcellum tulisse, sepulturæque curam habitam [6]; et propinquis etiam inquisitis honori præsidioque nomen ac memoriam ejus fuisse. Hoc maxime modo Syracusæ captæ : in quibus prædæ tantum fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuisset, cum qua viribus æquis certabatur. Paucis ante diebus, quam Syracusæ caperentur, T. Otacilius cum quinqueremibus octoginta Uticam ab Lilybæo transmisit, et, quum ante lucem portum intrasset, onerarias frumento onustas [7] cepit ; egressusque in terram, depopulatus est aliquantum agri circa Uticam, prædamque omnis generis retro ad naves egit. Lilybæum tertio die, quam inde profectus erat, cum centum triginta onerariis navibus frumento prædaque onustis rediit; idque frumentum extemplo Syracusas misit. Quod ni tam in tempore subvenisset, victoribus victisque pariter perniciosa fames instabat.

XXXII. Eadem æstate in Hispania, quum biennio

4. *Archimeden, memoriæ proditum est*, etc. Confer Cic. Fin. V, 19; Sil. XIV, 676 seq.; Valer. Max. VIII, 7, ext. 7, et, qui diversas scriptorum narrationes memorat, Plut. Marcell. pag. 188, 189. Mox Wakef. ad Lucret. II, 642, emend. *quantus captæ urbis ... cieri poterat*, quia in pluribus MSS legitur *captæ urbis*.

5. *Formis, quas in pulvere descripserat;* vide ad Silium loco laud.

6. *Sepulturæque curam habitam;* confer Cic. Tusc. IV, 23. — *Præsidioque*, scil. a vi hostili; Doer.

7. *Onerarias frumento onustas;* vid. ad cap. 27, n. 5. — *Aliquantum agri;* vide ad II, 39, n. 1. — *In tempore;* vide ad II, 47, n. 4.

ferme nihil admodum memorabile factum esset, consiliisque magis, quam armis, bellum gereretur, romani imperatores egressi hibernis copias conjunxerunt. Ibi consilium advocatum, omniumque in unum congruerunt sententiæ: quando ad id locorum[1] id modo actum esset, ut Hasdrubalem tendentem in Italiam retinerent, tempus esse id jam agi, ut bellum in Hispania finiretur: et satis ad id virium credebant accessisse, viginti millia Celtiberorum ea hyeme ad arma excitata. Tres exercitus erant: Hasdrubal Gisgonis filius et Mago, conjunctis castris, quinque ferme dierum iter ab Romanis aberant. Propior erat Hamilcaris filius Hasdrubal, vetus in Hispania imperator. Ad urbem nomine Anitorgin[2] exercitum habebant. Eum volebant prius opprimi duces romani: et spes erat satis superque ad id virium esse. Illa restabat cura, ne, fuso eo perculsi, alter Hasdrubal et Mago, in avios saltus montesque recipientes sese, bellum extraherent[3]. Optimum igitur rati, divisis bifariam copiis, totius simul Hispaniæ amplecti bellum, ita inter se diviserunt, ut P. Cornelius duas partes exercitus Romanorum sociorumque adversus Magonem duceret atque Hasdrubalem; Cn. Cornelius cum tertia parte veteris exercitus

Cap. XXXII. 1. *Ad id locorum;* vide ad IX, 45, n. 1. — *Tendentem in Italiam;* vide ad IV, 19, n. 1. — *Viginti millia Celtib.* optimi MSS; *triginta melt. Cill.* edd. ante Drak. mox pro *excitata* nonnulli *excitati*. Ed. — *Tres exercitus* Pœnorum.

2. *Ad urbem nomine Anitorgin* incerti situs; nisi forte leg. *Conistorgin*, opp. Celticorum aut Lusitaniæ, quod Κονίστωρσις dicitur Strab. III, 2, p. 141; sed Κονίστοργις aut Κουνίστοργις Appiano b. Hispan. 57, 58 (ubi vide Schweigh.), qui etiam *Cuneos* populum memorat, ut *Cuneum* agrum ac prom. Celt. Strabo, lib. III, pr.; Plin. IV, 22, et Mela, III, 1. Conf. ad XXVIII, 37, n. 1. — Quæ fuerit ea urbs, frustra quæri Glareanus contendit, monetque lectorem, ne se incassum torqueat: multa enim in Livio nomina esse, quæ non apud alios reperias: sive quod pleraque oppida longa ætate defecerint; sive, ut ipse putat, corruptis temporum injuria codicibus. Ed.

3. *Bellum extraherent;* vide ad II, 61, n. 6. — *Ita inter se diviserunt,* intell. ex sup. *copias,* vel ex seq. *exer-*

Celtiberis adjunctis, cum Hasdrubale Barcino bellum gereret. Una profecti ambo duces exercitusque, Celtiberis prægredientibus, ad urbem Anitorgin in conspectu hostium, dirimente amni, ponunt castra. Ibi Cn. Scipio, cum quibus ante dictum est copiis, substitit, et P. Scipio profectus ad destinatam belli partem.

XXXIII. Hasdrubal postquam animadvertit, exiguum romanum exercitum in castris, et spem omnem in Celtiberorum auxiliis esse; peritus omnis barbaricæ et præcipue omnium [1] earum gentium, in quibus per tot annos militabat, perfidiæ, facili linguæ commercio, quum utraque castra plena Hispanorum essent, per occulta colloquia paciscitur magna mercede cum Celtiberorum principibus, ut copias inde abducant. Nec atrox visum facinus: non enim, ut in Romanos verterent arma, agebatur; et merces, quanta vel pro bello satis esset, dabatur, ne bellum gererent; et quum quies ipsa, tum reditus domum fructusque videndi suos suaque, grata vulgo erant. Itaque non ducibus facilius, quam multitudini, persuasum est: simul ne metus quidem ab Romanis erat, quippe tam paucis, si vi retinerent. Id quidem cavendum semper romanis

citus; Stroth. — *Dirimente amni.* Incerto urbis situ, nomen hujus amnis, quod Livius apponere neglexit, suppleri nequit. Ed.

Cap. XXXIII. 1. *Omnium.* Hanc vocem delendam pronuntiant J. Fr. Gronovius et Creverius: quum tamen in omnibus codicibus adsit, non video cur ejicienda sit. Ed. — *Facili linguæ commercio.* Omnes omnino scripti ignorant τὸ *commercio*, quod tamen sensus requirit. Sed quid sit, quod a MSS abest hoc vocabulum, nullus interpretum perspicere potuit: ego quoque aliis cogitandum relinquo. Hoc exemplum Creverius iis adnumerat, ex quibus colligi potest, non usquequaque ita fidem habendam scriptis, vel compluribus et optimis, ut omnis auctoritas editis dissentientibus detrahatur. Ed. — *Quanta vel pro bello satis esset*, scil. una contra Romanos gerendo; Doer. — *Quippe tam paucis, si vi retinerent*, si per vim eos tenere castris vellent seu conarentur Romani; Gron.; vide ad III, 21, n. 3. In MSS *sibi retinerent;* in edd. ante Gron. *sibi ne tinerent* et *se ne retinerent.* Mox dicitur: *socii nec precibus, nec vi retineri poterant.*

ducibus erit, exemplaque hæc vere pro documentis habenda [2], ne ita externis credant auxiliis, ut non plus sui roboris suarumque proprie virium in castris habeant. Signis repente sublatis, Celtiberi abeunt, nihil aliud quærentibus causam, obtestantibusque ut manerent, Romanis respondentes, quam domestico se avocari bello. Scipio, postquam socii nec precibus, nec vi retineri poterant, nec se, aut parem sine illis hosti esse, aut fratri rursus conjungi vidit posse, nec ullum aliud salutare consilium in promptu esse, retro, quantum posset, cedere statuit; id in omni cura intentus, necubi hosti æquo se committeret loco [3]; qui, transgressus flumen, prope vestigiis abeuntium insistebat.

XXXIV. Per eosdem dies P. Scipionem par terror, periculum majus ab novo hoste, urgebat. Masinissa erat juvenis, eo tempore socius Carthaginiensium, quem deinde clarum potentemque romana fecit amicitia. Is tum cum equitatu Numidarum et advenienti P. Scipioni occurrit, et deinde assidue dies noctesque infestus aderat, ut non vagos tantum, procul a castris lignatum pabulatumque progressos, exciperet, sed ipsis obequitaret castris, invectusque in medias sæpe stationes omnia ingenti tumultu turbaret. Noctibus quoque sæpe incursu repentino in portis valloque trepidatum est; nec aut locus, aut tempus ullum vacuum a metu ac sollicitudine erat Romanis: compulsisque intra vallum, adempto rerum omnium usu, quum prope justa obsidio esset, futuramque arctiorem eam appareret, si se Indibilis, quem cum septem millibus et quingentis Suessetanorum adventare fama erat, Pœnis conjunxisset; dux cautus et providens Scipio, vi-

2. *Exempla hæc vere pro documentis habenda*, confer ad Præf. n. 14. — *Signis sublatis*; vide ad III, 54, n. 5.

3. *Necubi hosti æquo se committeret loco*, ei occasionem pugnandi daret; vide ad XXII, 2, n. 3.

ctus necessitatibus, temerarium capit consilium, ut nocte Indibili obviam iret, et, quocumque occurrisset loco, prælium consereret. Relicto igitur modico præsidio in castris, præpositoque T. Fonteio legato, media nocte profectus, cum obviis hostibus manus conseruit. Agmina magis, quam acies, pugnabant [1] : superior tamen, ut in tumultuaria pugna, Romanus erat. Cæterum et equites Numidæ repente, quos fefellisse se dux ratus erat [2], ab lateribus circumfusi, magnum terrorem intulere. Contracto adversus Numidas certamine novo, tertius insuper advenit hostis, duces pœni, assequuti ab tergo jam pugnantes; ancepsque prælium Romanos circumsteterat, incertos in quem potissimum hostem, quamve in partem conferti eruptionem facerent. Pugnanti hortantique imperatori et offerenti se, ubi plurimus labor erat, latus dextrum lancea trajicitur : cuneusque is hostium [3], qui in confertos circa ducem impetum fecerat, ut exanimem labentem ex equo Scipionem vidit, alacres gaudio cum clamore per totam aciem nuntiantes discurrunt, imperatorem romanum cecidisse. Hæc pervagata passim vox, ut et hostes haud dubie pro victoribus, et Romani pro victis essent, fecit. Fuga confestim ex acie, duce amisso, fieri cœpta est : cæterum ut ad erumpendum inter Numidas leviumque armorum [4] alia auxilia haud difficilis erat; ita

Cap. XXXIV. 1. *Agmina magis, quam acies p.;* vide ad X, 45, n. 6. — *Tumultuaria pugna;* vide ad I, 37, n. 4. — *Cæterum et equites.* Quum nihil τῷ *et* respondeat, suspicatur Walchius, Em. pag. 169, copulam excidisse, itaque legendum : *Cæterum et eq....intulere; et contracto.* Ed.

2. *Quos fefellisse se dux ratus erat;* vide ad III, 8, n. 2. — *Tertius insuper advenit hostis,* scil. *duces Pœni,* etc., Hasdrubal Gisgonis filius et Mago. Confer cap. 32.

3. *Cuneusque is hostium* (vide ad II, 50, n. 8), *alacres gaudio discurrunt;* vide ad I, 41, n. 1. — *Pervagata vox,* scil. exercitus Pœnorum. — *Pro victoribus, pro victis;* vide ad II, 7, n. 4.

4. *Inter Numidas leviumque armorum* (vide ad XXII, 37, n. 3) *alia* (cætera; vide ad IV, 10, n. 2) *auxilia*

effugere tantum equitum, æquantiumque equos velocitate peditum vix poterant; cæsique prope plures in fuga, quam in pugna, sunt. Nec superfuisset quisquam, ni præcipiti jam ad vesperum die [5] nox intervenisset.

XXXV. Haud segniter inde duces pœni fortuna usi, confestim e prælio, vix necessaria quiete data militibus, ad Hasdrubalem Hamilcaris [1], citatum agmen rapiunt, non dubia spe, quum conjunxissent, debellari posse. Quo ubi est ventum, inter exercitus ducesque, victoria recenti lætos, gratulatio ingens facta, imperatore tanto cum omni exercitu deleto, et alteram pro haud dubia parem victoriam exspectantes. Ad Romanos nondum quidem fama tantæ cladis pervenerat, sed mœstum quoddam silentium erat et tacita divinatio, qualis jam præsagientibus animis imminentis mali esse solet; imperator ipse, præterquam quod ab sociis se desertum, hostium tantum auctas copias sentiebat, conjectura etiam et ratione ad suspicionem acceptæ cladis, quam ad ullam bonam spem, pronior erat: *Quonam modo enim Hasdrubalem ac Magonem, nisi defunctos suo bello* [2], *sine certamine adducere exerci-*

haud difficilis erat, scil. fuga. Ita optimi MSS non, ut edd. ante Gron., *aliaque levium armatorum a. h. d. res erat.*

5. *Præcipiti ad vesperum die;* vide ad IV, 9, n. 6.

Cap. XXXV. 1. *Hasdrubalem Hamilcaris*, scil. filium, ut XXVI, 17, n. 2, al. Sic et *Hasdr. Gisgonis* XXV, 37; XXVI, 20; XXVII, 22; XXVIII, 12, n. 8, forte et *Seleucus Antiochi* XXXVII, 18 pr. ubi in tribus tantum MSS primumque in ed. Ald. adjectum *filius*. Confer Duker. ad Flor. II, 6, n. 19; Burm. ad Suet. Cæs. 4, et gramm. 10. Cæterum id magis obtinere in peregrinis, docet Gron. ad XXVIII, 12. — *Quum conjunxissent*, scil. se (ut tot alia verba; vide ad II, 3, n. 2) e plurimis MSS recepi. Vox *copias*, quam edd. ante Gron. post *quum* addunt, ab omnibus fere MSS abest, et τὸ *quum* a quibusdam tantum, sed optimis. Hinc *quum juncti essent* e conj. edidere Gron., Drak., Ern. Similiter mox inter *sed mœstum* edd. ante Gron. inseruere *tamen*, ut sæpe alia; vide ad VII, 19, n. 3.

2. *Nisi defunctos suo bello*, nisi illud feliciter perfecissent (confer ad I, 25, n. 7), nisi suam partem in bel-

tum potuisse? Quomodo autem non obstitisse, aut ab tergo sequutum fratrem? ut, si prohibere, quo minus in unum coirent et duces et exercitus hostium, non posset, ipse certe cum fratre conjungeret copias. His anxius curis, id modo esse salutare in præsens credebat, cedere inde, quantum posset[3]: et inde una nocte, ignaris hostibus, et ob id quietis, aliquantum emensus est iter. Luce, ut senserunt profectos hostes, præmissis Numidis, quam poterant maxime citato agmine sequi cœperunt: ante noctem assequuti Numidæ, nunc ab tergo, nunc in latera incursantes. Consistere cœperunt, ac tutari agmen, quantum possent; tamen, tuto ut simul pugnarent procederentque[4], Scipio hortabatur, prius quam pedestres copiæ assequerentur.

XXXVI. Cæterum nunc agendo[1], nunc sustinendo agmen, quum aliquamdiu haud multum procederetur, et nox jam instaret, revocat e prælio suos Scipio; et collectos in tumulum quemdam, non quidem satis tutum (præsertim agmini perculso), editiorem tamen

lo, partem belli sibi attributam (ut passim *suum bellum*), et voto confecissent, scil. fratre Publio exercituque ejus cæso et profligato; Gron.

3. *Salutare in præsens credebat, cedere inde, quantum posset; et* vere *inde*, etc. Ita alterum *inde* tuetur Doer., quod spurium aliis visum. Me et τὸ *inde* et τὸ *una* offendit, malimque *et ingruente* vel *illuni*, seu *illuna nocte*. « Mox *emensus est* dicitur de Cn. Scipione, *senserunt* et *cœperunt* de Pœnis; dein iterum *cœperunt* de Romanis, quum tamen nusquam compareant nominativi: sed placuit auctori, sic attentum lectorem suum facere »; Gron. ad XLIII, 15. Confer ad XXXVII, 20, n. 4.

4. *Tuto ut simul pugnarent procederentque*, hoc est, sine periculo et metu, ut apud Cæs. B. G. III, 24, al. 25, *propter multitudinem* suam *paucitatemque* hostium *se tuto dimicaturos existimabant*. Vox *tuto* suspecta erat Strothio. — Walchio, Em. pag. 199, non placet ea explicatio τοῦ *tuto*: « sine periculo et metu »; nam quomodo hoc efficitur *sine periculo*? Imo *tuto* procedere est ita progredi, ut hosti nulla parte invadendi occasio sit: quemadmodum *tuta acies* dicitur IX, 21, quæ et locum haud facilem ad circumveniendum cepit, et diversa signa statuit. Eodem sensu Galli dicunt, *il fit couvrir sa marche, sa marche était couverte*. Ed.

Cap. XXXVI. 1. *Nunc agendo*, propellendo, *nunc sustinendo*, reti-

quam cætera circa erant, subducit. Ibi primo, impedimentis et equitatu in medium receptis, circumdati pedites haud difficulter impetus incursantium Numidarum arcebant : dein, postquam toto agmine tres imperatores cum tribus justis exercitibus aderant, apparebatque, parum armis ad tuendum locum sine munimento valituros esse ; circumspectare atque agitare dux cœpit [2], si quo modo posset vallum circuminjicere. Sed erat adeo nudus tumulus et asperi soli, ut nec virgulta vallo cædendo [3], nec terra cespiti faciendo aut ducendæ fossæ, aliive ulli operi apta inveniri posset : nec natura quidquam satis arduum aut abscissum erat, quod hosti aditum ascensumve difficilem præberet ; omnia fastigio leni subvexa [4]. Ut tamen aliquam imaginem valli objicerent, clitellas [5] illigatas oneribus, velut struentes ad altitudinem solitam, circumdabant ; cumulo sarcinarum omnis generis objecto, ubi ad moliendum clitellæ defuerant. Punici exercitus postquam advenere, in tumulum quidem perfacile agmen erexere ; munitionis vero facies nova

nendo, *agmen :* nos : *das Corps vorwärts marschiren und Halte machen lassen;* Doer.

2. *Agitare dux cœpit;* confer ad II, 32, n. 2. — *Vallum circuminjicere,* forte *circumjicere,* ut XXXV, 4, et XXXVIII, 19, Periz.

3. *Vallo cædendo ;* vide ad III, 27, n. 4. — *Cespiti faciendo,* propr. vallo e cespite. — *Nec natura quidquam satis arduum,* etc. bene : nam Livius vult, nec fuisse materiam munitioni, nec locum ita natum, ut quidquam in eo præsidii esset non manu facti; Gron. Mox *abscisum* pro *abscissum* reposuit Drak. more suo; vide ad IV, 19, n. 5.

4. *Omnia fastigio leni subvexa,* paulum acclivia et assurgentia (sic fere *subtristis, subviridis,* etc.), ut *devexa* declivia. Similiter XXVII, 18, *planities submissa fastigio,* a fastigio deorsum, seu in proclive sensim vergens, vel ubi, ut Virg. Ecl. IX, 8, loquitur, fastigium *se subduxit et jugum demisit* »; Doer. Confer XXIV, 34. *Subnixa* et *subnexa* quidam MSS. — *Objicerent* hosti. Confer ad cap. 25, n. 7.

5. *Clitellas* (vide ad VII, 14, n. 4) *illigatas oneribus, velut struentes* vallum, etc., quod munimentum quovis vallo firmius fuisse dicit Polyb. reliq. VIII, 3 ; tom. V, pag. 45 ed. Schweigh. apud Suid. v. Καινθήλιος. — *Ad moliendum* tale valli genus.

primo eos velut miraculo quodam tenuit, quum duces undique vociferarentur, *Quid starent? et non ludibrium illud, vix feminis puerisve morandis satis validum, distraherent diriperentque? Captum hostem teneri, latentem post sarcinas.* Hæc contemptim duces increpabant: cæterum, neque transilire, neque moliri onera objecta [6], nec cædere stipatas clitellas ipsisque obrutas sarcinis, facile erat. Tardatis diu, quum amolita objecta onera armatis dedissent viam, pluribusque idem partibus fieret, capta jam undique castra erant: pauci ab multis perculsique a victoribus passim cædebantur. Magna pars tamen militum, quum in propinquas refugisset silvas, in castra P. Scipionis, quibus T. Fonteius legatus præerat, perfugerunt. Cn. Scipionem alii in tumulo primo impetu hostium cæsum tradunt: alii cum paucis in propinquam castris turrim perfugisse; hanc igni circumdatam, atque ita exustis foribus, quas nulla moliri potuerunt vi [7], captam; omnesque intus cum ipso imperatore occisos. Anno octavo [8], postquam in Hispaniam venerat, Cn. Scipio, undetrigesimo die post fratris mortem, est interfectus. Luctus ex morte eorum non Romæ major, quam per totam Hispaniam, fuit. Quin apud cives, partem doloris et exercitus amissi et alienata provincia et publica

6. *Moliri onera objecta;* vide ad VI, 11, n. 5. — *Amolita* passive dictum. *Amoliti* optimi MSS et quædam edd. — Hic Creverium offendit pingue nescio quid et impeditius orationis filum, quam pro Liviana elegantia et perspicuitate. Et suspicionem augent scripti plerique corrupti et multum a vulgata lectione recedentes: nihil tamen inde elucet. Ed.

7. *Quas* (fores) *nulla moliri potuerunt vi;* vide ad VI, 11, n. 5. Τὸν πύργον ἐνέπρησαν οἱ Λίβυες, καὶ ὁ Σκιπίων κατεκαύθη μετὰ τῶν συνόντων Appian. Hisp. 16, qui etiam milites primum, frumenti a P. Scipione petendi causa emissos, ab Afris cæsos dicit, et deinde repulsum Cn. Scipionem, suis auxilio accurrentem. Confer Sil. XIII, 688 seq.

8. *Anno octavo*, al. *septimo;* rectius opinor. Confer XI, 32. Hinc et cap. 38, Sigonius legit: *invictos per VII annos.*

trahebat clades [9] : Hispaniæ ipsos lugebant desiderabantque duces; Cnæum tamen magis, quo [10] diutius præfuerat iis, priorque et favorem occupaverat, et specimen justitiæ temperantiæque romanæ primus dederat.

XXXVII. Quum deletus exercitus amissæque Hispaniæ viderentur, vir unus res perditas restituit. Erat in exercitu L. Marcius Septimi filius, eques romanus, impiger juvenis, animique et ingenii aliquanto, quam pro fortuna, in qua erat natus, majoris. Ad summam indolem accesserat Cn. Scipionis disciplina, sub qua per tot annos omnes militiæ artes edoctus fuerat. Hic, et ex fuga collectis militibus, et quibusdam de præsidiis deductis, haud contemnendum exercitum fecerat, junxeratque cum T. Fonteio P. Scipionis legato. Sed tantum præstitit eques romanus auctoritate inter milites atque honore, ut, castris citra Iberum communitis, quum ducem exercituum comitiis militaribus [1] creari placuisset, subeuntes alii aliis in custodiam valli stationesque, donec per omnes suffragium iret, ad L. Marcium cuncti summam imperii detulerint. Omne inde tempus (exiguum id fuit) muniendis castris convehendisque commeatibus consumptum; et

9. *Quin apud cives partem doloris ... et publica trahebat clades*, producebat, diuturniorem faciebat; Ern. secum ferebat; Stroth. *Quin* delendum vel leg. *quum ... traheret clades, Hispanias*, etc., et mirum est loquendi genus *hæc res apud illum trahit partem doloris* pro *cum dolore afficit;* Duk. Sed Livius, qui Romæ Hispaniæque parem fuisse dolorem dixerat, nunc se corrigit additque: immo Romanis pars tantum doloris ob exercitus amissos, etc., contracta est: at *Hispani lugebant ipsos duces*, hoc est, ipsorum ducum personam et virtutes; Doer.

10. *Cnæum tamen* eo *magis, quo diutius*, etc.; vide ad II, 45, n. 12: *quo* optimi MSS, *quod* edd. ante Gron. — *Priorque* quam frater, et *primus* omnium Romanorum: nam primus eorum in Hispaniam venit; Sigon.

Cap. XXXVII. 1. *Comitiis militaribus*, a militibus, eorum suffragiis. — *Subeuntes in custodiam*, succedentes, vicissim agentes custod. Stroth.

omnia imperia milites, quum impigre, tum haudquaquam abjecto animo, exsequebantur. Cæterum postquam Hasdrubalem Gisgonis[2], venientem ad reliquias belli delendas, transire Iberum et appropinquare allatum est, signumque pugnæ propositum ab novo duce milites viderunt; recordati, quos paulo ante imperatores habuissent, quibusque et ducibus et copiis freti prodire ad pugnam soliti essent, flere omnes repente et offensare capita; et alii manus ad cælum tendere, deos incusantes; alii, strati humi, suum quisque nominatim ducem implorare: neque sedari lamentatio poterat, excitantibus centurionibus manipulares, et ipso mulcente et increpante Marcio[3], *quid in muliebres et inutiles se projecissent fletus potius, quam ad tutandos semet ipsos et rempublicam secum acuerent animos? et ne inultos imperatores suos jacere sinerent:* quum subito, clamor tubarumque sonus (jam enim prope vallum hostes erant) exauditur. Inde, verso repente in iram luctu, discurrere ad arma, ac, velut accensi rabie, discurrunt ad portas, et in hostem, negligenter atque incomposite venientem, [4] incurrunt. Extemplo improvisa res pavorem incutit Pœnis; mirabundique, unde tot hostes tam subito exorti, prope deleto exercitu, forent, unde tanta audacia, tanta fi-

2. *Hasdrubalem Gisgonis;* vide ad cap. 35, n. 1. — Ita primus edidit Aldus, eamque lectionem omnes fere manuscripti firmant. Priores edd. consentientes Ber. legunt *Gisgonis filium:* male; græcismus est. Ed. — *Reliquias belli;* v. ad IV, 27, n. 1. — *Offensare capita;* v. ad VIII, 6, n. 1. — Hoc illustrarunt viri docti ad Suet. Aug. c. 23. Ed.

3. *Ipso mulcente* (consolante) *et increpante Marcio*, ut *animos nunc consolando, nunc castigando sedavit* XXVI, 21 extr. *mulcente* et *mulctante* MSS, *minitante* edd. ante Gron. — *Mulcente*, ut apud Virgilium, Æneid. I, 197: *dictis mœrentia pectora mulcet.* Ed.

4. *Discurrere ad arma... discurrunt ad portas... incurrunt:* prius *discurrere* abest a MS Gud. recte, et intell. *conclamant;* Jac. Gron. Malim *concurrunt ad portas:* nam ibi paulo ante dispersi ad arma capienda rursus jungebantur; J. Fr. Gron. — *Mirabundi-*

ducia sui victis ac fugatis, quis imperator duobus Scipionibus cæsis exstitisset, quis castris præesset, quis signum dedisset pugnæ, ad hæc tot tam nec opinata, primo omnium incerti stupentesque referunt pedem; dein, valida impressione pulsi, terga vertunt. Et aut fugientium cædes fœda fuisset, aut temerarius periculosusque sequentium impetus, ni Marcius propere receptui dedisset signum, obsistensque ad prima signa, quosdam et ipse retinens, concitatam repressisset aciem. Inde in castra avidos adhuc cædisque et sanguinis reduxit. Carthaginienses, trepide primo ab hostium vallo acti, postquam neminem insequi viderunt, metu substitisse rati, contemptim rursus et sedato gradu in castra abeunt. Par negligentia in castris custodiendis fuit: nam, etsi propinquus hostis erat, tamen reliquias eum esse duorum exercituum ante paucos dies deletorum succurrebat [5]. Ob hoc quum omnia neglecta apud hostes essent, exploratis iis, Marcius ad consilium, prima specie temerarium magis, quam audax, animum adjecit, ut ultro castra hostium oppugnaret: facilius esse ratus, unius Hasdrubalis expugnari castra, quam, si se rursus tres exercitus ac tres duces junxissent, sua defendi: simul aut, si successisset cœptis, recepturum se afflictas res; aut, si

que; vide ad III, 47, n. 5. Copula *postulat*, suppleri *requirebant* vel simile verbum: nisi leg. *mirabundis;* Duk. *Mirabundique* jungi potest cum seqq. *referunt pedem.* Sed et ipse malim legere *mirabundis*, et post verba *dedisset pugnæ* στιγμὴν τελείαν ponere. Mox *tam nec opinata* (hoc est, inopinata, ut II, 22; XXV, 24, n. 38; XXVI, 51 al.) ex emend. Sigon. pro *jam n.*

5. *Tamen reliquias eum esse ... succurrebat;* vide ad V, 54, n. 2. — *Si successisset cœptis;* vide ad VIII, 25, n. 6, et XXI, 7, n. 4. — *Recepturum se afflictas res:* sed *res amissæ*, non *afflictæ recipi* dicuntur, et forte leg. *erecturum* cum Periz. aut potius *refecturum* cum Duk. et Drak. Contra Ern. monet, *reficere* minus respondere *afflictis*, hoc est, projectis, proculcatis, ad terram adactis, inclinatis, quam *recipere*, id est, suscipere, sublevare, erigere.

pulsus esset, tamen ultro inferendo arma, contemptum sui dempturum.

XXXVIII. Ne tamen subita res et nocturnus terror etiam non suæ fortunæ cónsilium[1] perturbaret, allo-quendos adhortandosque sibi milites ratus, concione advocata isa disseruit: « Vel mea erga imperatores no-« stros vivos mortuosque pietas, vel præsens omnium « nostrum, milites, fortuna fidem cuivis facere potest, « mihi hoc imperium, ut amplum judicio vestro, ita « re ipsa grave ac sollicitum esse. Quo enim tempore, « nisi metus mœrorem obstupefaceret[2], vix ita compos « mei essem, ut aliqua solatia invenire ægro animo « possem; cogor vestram omnium vicem (quod diffi-« cillimum in luctu est) unus consulere: et ne tum « quidem, ubi, quonam modo has reliquias duorum « exercituum patriæ conservare possim, cogitandum « est, avertere animum ab assiduo mœrore libet. Præ-« sto est enim acerba memoria, et Scipiones me ambo

Cap. XXXVIII. 1. *Etiam non suæ fortunæ* afflictæ consilium, ei parum conveniens; Stroth. — Lipsius in suo libro legi *et non suæ* testatur; et Perizon. ad oram Livii conjecit, *et jam non suæ*, casu primo *consilium* accipiens, et voc. *milites* subaudiens ad *turbaret*. Quum autem in Putean. et Pet. inveniatur *terrorem*, inde suspicatur J. Fr. Gronovius *et nocturnus terror metu jam non suæ fortunæ*: ne ista interponerent metum incepto, quod per se satis erat ambiguum, quia non fortunæ illius afflictæ et propemodum desperatæ videbatur, ultro aggredi hostium castra. En.

2. *Nisi metus mœrorem obstupefaceret*; vide ad V, 39, n. 3. — *Cogor vestram omnium vicem unus consulere*, de ea consulere, consilium capere, deliberare, ut *consultare aliquid* I, 21 et 55. Sed *consulere* potius absolute positum est h. l. et *vestram omnium vicem* pro: ob vicem, fortunam, conditionem vestram, seu quod ad eam attinet (confer ad I, 25, n. 5); vel pro, *ad*, seu *in vicem v.*, hoc est; vestro, seu vestrum loco, pro vobis (*an eurer Statt oder Stelle*) ita ut non vos consulatis, neque ego consulam, hoc est, consilia capiam (vide ad XXI, 16, n. 3) vobiscum, sed *unus* et solus pro vobis. Sic *ne nostram vicem irascaris* XXXIV, 32. Conf. ad XXXIX, 14, n. 3, et XL, 9, n. 6. *Consolari* pleræque edd. ante Gron. prob. Doer. ut sensus sit: ego unus vos omnes, lugens ipse lugentes, *quod difficillimum in luctu est, consolari cogor*, ut *consolari alicujus dolorem* apud Cic. ad Div. IV, 8. Mox pro *libet* cum Gron. leg. *licet*.

« dies noctesque curis insomniisque agitant et excitant « sæpe somno; neu se, neu invictos per octo [3] annos « in his terris milites suos, commilitones vestros, neu « rempublicam patiar inultam, et suam disciplinam « suaque instituta sequi jubent; et, ut imperiis vivo- « rum nemo obedientior me uno fuerit, ita post mor- « tem suam, quod quaque in re facturos illos fuisse « maxime censeam, id optimum ducere [4]. Vos quoque « velim, milites, non lamentis lacrymisque, tanquam « exstinctos prosequi (vivunt vigentque fama rerum « gestarum), sed, quotiescumque occurret memoria « illorum, velut si adhortantes signumque dantes vi- « deatis eos, ita prælia inire. Nec alia profecto species, « hesterno die oculis animisque vestris oblata, memo- « rabile illud edidit prælium; quo documentum de- « distis hostibus, non cum Scipionibus exstinctum esse « nomen romanum, et, cujus populi vis atque virtus « non obruta sit cannensi clade, ex omni profecto « sævitia fortunæ emersuram esse [5]. Nunc, quia tantum « ausi estis sponte vestra, experiri libet, quantum au- « deatis duce vestro auctore. Non enim hesterno die, « quum signum receptui dedi sequentibus effuse vobis « turbatum hostem, frangere audaciam vestram, sed « differre in majorem gloriam atque opportunitatem, « volui; ut postmodo præparati incautos, armati iner- « mes, atque etiam sopitos, per occasionem aggredi « possetis. Nec hujus occasionis spem, milites, forte « temere [6], sed ex re ipsa conceptam habeo. A vobis « quoque profecto si quis quærat, quonam modo pauci

3. *Invictos per octo annos;* confer ad cap. 36, n. 8.

4. *Id optimum ducere* scil. jubent. — *Lamentis lacrymisque exstinctos prosequi;* vide ad cap. 26, n. 5.

5. *Ex omni p. sævitia fortunæ emersuram* eam (quæ vox forte excidit) *esse;* confer ad II, 29, n. 7. Sic apud Horat. Od. IV, 4, 65 sqq. Ed.

6. *Forte temere;* vide ad II, 31, n.

« a multis, victi a victoribus castra tutati sitis ; nihil « aliud respondeatis, quam id ipsum timentes vos om- « nia et operibus firmata habuisse, et ipsos paratos « instructosque fuisse. Et ita se res habet : ad id, quod, « ne timeatur, fortuna facit, minime tuti sunt homines; « quia, quod neglexeris, incautum atque [7] apertum « habeas. Nihil omnium nunc minus metuunt hostes, « quam ne obsessi modo ipsi atque oppugnati castra « sua ultro oppugnemus. Audeamus, quod credi non « potest ausuros nos : eo ipso, quod difficillimum vi- « detur, facillimum erit. Tertia vigilia noctis silenti ag- « mine ducam vos : exploratum habeo, non vigiliarum « ordinem, non stationes justas esse : clamor in portis « auditus et primus impetus castra ceperit. Tum inter « torpidos somno paventesque ad nec opinatum tu- « multum, et inermes in cubilibus suis oppressos, illa « cædes edatur, a qua vos hesterno die revocatos ægre « ferebatis. Scio, audax videri consilium : sed in rebus « asperis et tenui spe fortissima quæque consilia tutis- « sima sunt ; quia, si in occasionis momento, cujus « prætervolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, « nequidquam mox omissam quæras [8]. Unus exercitus « in propinquo est : duo haud procul absunt. Nunc « aggredientibus spes aliqua est : et jam tentastis ve- « stras atque illorum vires. Si diem proferimus [9], et

3. — *Id ipsum timentes*, scil. ne castra oppugnarentur et tutanda essent.

7. *Incautum atque apertum* periculis; vide ad cap. 16, n. 12. — *Facillimum erit;* MSS optimi *facilius e.*, probb. Gron. et Stroth. — *Tertia vigilia;* vide ad VII, 35, n. 2. — *Non vigiliarum ordinem, non stationes justas esse;* vide ad X, 32, n. 3.

8. *Nequidquam mox omissam* e manibus, prætermissam, *quæras* occasionem; confer ad V, 20, n. 1; IX, 19, n. 5, et loca similia XXXI, 15; XXXVIII, 33, n. 5; LIV, 8, n. 2. *Amissam quæraris* al.

9. *Si diem proferimus* (vide ad III, 20, n. 7), *et hesternæ eruptionis fama contemni* (*contenti* edd. ante Gron.) *desierimus* ab hoste; confer ad IV, 35, n. 4. Quia contemnebantur, prior eruptio illis cesserat feliciter : durante eo contemptu, negligentem hostem

« hesternæ eruptionis fama contemni desierimus ; pe-
« riculum est, ne omnes duces, omnes copiæ conve-
« niant. Tres deinde duces, tres exercitus sustinebimus
« hostium, quos Cn. Scipio, incolumi exercitu, non
« sustinuit? Ut dividendo copias periere duces nostri,
« ita separati ac divisi opprimi possunt hostes : alia
« belli gerendi via nulla est. Proinde nihil, præter no-
« ctis proximæ opportunitatem, exspectemus. Ite, diis
« bene juvantibus, corpora curate, ut integri vigen-
« tesque, eodem animo in castra hostium irrumpatis,
« quo vestra tutati estis. » Læti et audiere ab novo duce novum consilium, et, quo audacius erat, magis placebat. Reliquum diei expediendis armis et curatione corporum consumptum, et major pars noctis quieti data est : quarta vigilia movere [10].

XXXIX. Erant ultra proxima castra sex millium intervallo [1] distantes aliæ copiæ Pœnorum. Vallis cava intererat, condensa arboribus : in hujus silvæ medio ferme spatio, cohors romana arte punica abditur et equites. Ita, medio itinere intercepto [2], cæteræ copiæ silenti agmine ad proximos hostes ductæ; et, quum statio nulla pro portis, neque in vallo custodiæ essent, velut in sua castra, nullo usquam obsistente, penetravere : inde signa canunt, et tollitur clamor. Pars

iterum poterant cum spe fortunæ adoriri : at simul emanasset fama tam fortis felicisque audaciæ, cessante contemptu, intentiores futuri erant hostes et copias omnes contracturi; Gron.

10. *Quarta vigilia movere;* vide ad II, 3, n. 2, et VII, 35, n. 2. — Marcius in oratione dixit se *tertia vigilia* ducturum milites : sed parvi scilicet interest. Ed.

Cap. XXXIX. 1. *Sex millium intervallo;* vide ad IX, 24, n. 2. — *Vallis cava intererat condensa arboribus,* id est, condensis ; Ern. *Densi colles* simpl. dicuntur Tibull. IV, 3, n. 7, ut Græci δασὺς ὕλη, at et ὕλη δασὺς ἴδῃσι, πίτυσι, etc., Schæf.

2. *Ita medio itinere intercepto,* hostibus prærepto et intercluso, vel interrupto, impedito, ut IX, 43; XXIX, 9; apud Curt. IV, 2, n. 9, nisi malis cum Oudend. ad Front. I, 5, n. 11, legere *intersepto*, ut VI, 9; VIII,

semisomnos hostes cædunt : pars ignes casis, stramento arido tectis, injiciunt : pars portas occupant, ut fugam intercludant. Hostes simul ignis, clamor, cædes, velut alienatos sensibus, nec audire, nec providere quidquam sinunt. Incidunt inermes inter catervas armatorum : alii ruunt ad portas, alii obseptis itineribus super vallum saliunt ; et, ut quisque evaserat, protinus ad castra altera fugiunt : ubi ab cohorte et equitibus [3] ex occulto procurrentibus circumventi cæsique ad unum omnes sunt : quanquam, etiam si quis ex ea cæde effugisset, adeo raptim captis propioribus castris in altera transcursum castra ab Romanis est, ut prævenire nuntius cladis non posset. Ibi vero, quo longius ab hoste aberant, et quia sub lucem pabulatum [4], lignatum et prædatum quidam dilapsi fuerant, neglecta magis omnia ac soluta invenere : arma tantum in stationibus posita ; milites inermes, aut humi sedentes accubantesque, aut obambulantes ante vallum portasque. Cum his tam securis solutisque Romani, calentes adhuc ab recenti pugna ferocesque victoria, prælium ineunt : itaque nequaquam resisti in portis potuit. Intra portas, concursu ex totis castris ad primum clamorem et tumultum facto, atrox præ-

25 ; XXIV, 23, et aliis locis, quæ laudavit Duk. — *Signa canunt ;* vide ad VII, 40, n. 4. — *Casis, stramento a. tectis*, conf. XXX, 5, n. 5. — Sic apud *Fénélon, Télémaque*, l.VII. Ed.

3. *Ab cohorte et equitibus*, in silvæ medio abditis (confer princ. cap.) et *ex occulto* loco *procurrentibus :* ita optimi MSS, *proruentibus* edd. ante Gron. ; vide ad Tac. Ann. I, 68, n. 4. Mox *raptim a captis* conj. Gron.

4. *Sub lucem pabulatum*. Voss. Lov. I, 2, 4, 5 ; Harl. Ber. Hafn. Gærtn. Hav. Hearnii N. et edd. principes dant *sub luce publica pab.* quæ loquendi ratio, ait Sabellicus, ut nova ita apud Livium receptu difficilis : quare vide ne *pura* sit legendum, vel *prima*, vel *propinqua*. Primus Aldus dedit *sub lucem pabulatum*. Ed. — *Neglecta* eo *magis omnia ac soluta ;* ut mox *securis solutisque* hostibus ; vide ad II, 45, n. 12, et III, 8, n. 4. — *Arma tantum in stationibus posita*, scil. ubi milites ipsi armati esse debebant ; Stroth.

lium oritur; diuque tenuisset[5], ni cruenta scuta Romanorum visa, indicium alterius cladis Pœnis, atque inde pavorem injecissent. Hic terror in fugam avertit omnes; effusique, qua iter est, nisi quos cædes oppressit, exuuntur castris. Ita nocte ac die bina castra hostium expugnata ductu L. Marcii: ad triginta septem millia hostium cæsa, auctor est Claudius, qui annales Acilianos[6] ex græco in latinum sermonem vertit; captos ad mille octingentos triginta; prædam ingentem partam: in ea fuisse clypeum argenteum pondo centum triginta octo, cum imagine Barcini[7] Hasdrubalis. Valerius Antias[8] una castra Magonis capta tradit; septem millia cæsa hostium: altero prælio, eruptione pugnatum cum Hasdrubale; decem millia occisa, quatuor millia trecentos triginta captos. Piso quinque millia hominum, quum Mago cedentes nostros effuse

5. *Diuque tenuisset;* vide ad II, 3, n. 6. — *Hic terror in fugam avertit omnes;* al. *Hinc* et *vertit.* Confer ad III, 63, n. 1. — *Effusique, qua* parte *iter est,* ad fugam patet via. Confer ad I, 14, n. 7.

6. *Claudius, qui annales Acilianos,* etc. Confer XXXV, 14. C. Acilius tempore belli punici II, vixit, ejusque annales non modo ex Græco in latinum sermonem vertit, sed etiam ad ætatem suam continuavit Q. Claudius Quadrigarius; nam hic videtur esse *Claudius,* Sisennæ æqualis, cujus annales laudant Liv. VI, 42; VII, 10; VIII, 19; IX, 5; XXXIII, 10; XXXV, 14; Gell. I, 7, 16, 25; II, 2, 19; III, 7, 8; V, 17; VII, 11; IX, 1, 13, 14, al.; Appian. b. Gall. I, ubi vide Schweigh. pag. 172, Voss. de hist. lat. I, 10, et de hist. I, 17; Vellei. II, 9. Idem Gellio et aliis simpl. *Claudius* et *Q. Claudius* et *Quadrigarius* dicitur.

7. *Clypeum argenteum pondo CXXXVIII cum imagine Barcini* (vide ad XXI, 2, n. 5) *Hasdrubalis:* nam clypeis continebantur imagines virorum illustrium (vide ad Sil. I, 407); et ipsæ eorum *imagines* dicebantur *clypei, clypea, imagines clypeatæ* (*Schilderungen, Conterfeis, Portraits en médaillon, gegossene oder in Relief gegrabene Bildnisse*) a forma rotunda, aut rectius forte *glypei* a γλύφειν, cælare, insculpere. Confer. XXXIV, 52; XXXV, 10, n. 41; XXXVIII, 35; XL, 51; ad Tac. Ann. II, 83, n. 8; Plinius, XXXIV, 4; XXXV, 2 seqq., et Dodwelli Prælectt. ad Spartiani Hadr. pag. 6. — *Pondo centum triginta octo.* Si Creverianas rationes sequamur, marcæ argenti nostrates erunt 215 cum unciis quinque. Ed.

8. *Valerius Antias;* vide ad III, 5, n. 9. — *Piso* Calpurnius; vide ad lib. I, 55, n. 8.

sequeretur, cæsa ex insidiis scribit. Apud omnes magnum nomen Marcii ducis est; et veræ gloriæ ejus etiam miracula addunt [9]: flammam ei concionanti fusam e capite, sine ipsius sensu, cum magno pavore circumstantium militum: monimentumque victoriæ ejus de Pœnis, usque ad incensum [10] Capitolium, fuisse in templo clypeum, Marcium appellatum, cum imagine Hasdrubalis. Quietæ deinde aliquandiu in Hispania res fuere, utrisque, post tantas acceptas in vicem illatasque clades, cunctantibus periculum summæ rerum facere [11].

XL. Dum hæc in Hispania geruntur, Marcellus captis Syracusis, quum cætera in Sicilia tanta fide atque integritate composuisset, ut non modo suam gloriam, sed etiam majestatem populi romani, augeret, ornamenta urbis, signa, tabulasque, quibus abundabant Syracusæ, Romam devexit. Hostium quidem illa spolia et parta belli jure: cæterum inde primum initium mirandi græcarum artium opera [1], licentiæque huic sacra profanaque omnia vulgo spoliandi factum est:

9. *Et veræ gloriæ ejus etiam miracula addunt*, historici modo laudati: qualia de summis viris fingi solent, verbi causa *flammam e capite fusam* esse (vel *eluxisse*, ut Valer. Max. I, 6, 2, de eadem re dicit) de Servio; vide ad I, 39, n. 1.

10. *Usque ad incensum Capitolium*, quod arsit primum bello civili, deinde Vitellio regnante; vide Tac. Hist. I, 2; III, 72; IV, 53. — *Clypeum Marcium cum imagine H.* Confer n. 7.

11. *Periculum summæ rerum facere*; vide ad I, 38, n. 2.

Cap. XL. 1. *Inde primum initium mirandi græcarum artium opera*: quod studium crevit post Corinthi excidium. Confer XXXIX, 6; Cic. ad Div. VIII, 14, ibique Manut. — Nihil variant hoc loco scripti et editi, et tamen suspicatur Creverius vocem *opera* a manu mala esse. « Etenim *mirandi græcarum artium* proba locutio est, ut supra XXI, 41, *vestri adhortandi*, et apud Cic. Phil. V, 6, *agrorum suis latronibus condonandi*, et al. Jam vero *artes* eleganter dicuntur pro *artefactio*. » Posset et huc græcismus afferri, *Justitiæne prius mirer*, apud Virg. Æn. XI, 126. Sed hanc locutionem nullius cod. auctoritate nisam, neque Livio usitatam, ipsi obtrudere non audet Drakenborchius. Ed. — *Licentiæque huic*, temporis hujus, Liviani; vide ad I, 5, n. 1, *huic* ex emend. Gron. pro vulg. *hinc*,

quæ postremo in romanos deos[2], templum id ipsum primum, quod a Marcello eximie ornatum est, vertit. Visebantur enim ab externis ad portam Capenam dedicata a Marcello templa, propter excellentia ejus generis ornamenta, quorum perexigua pars[3] comparet. Legationes omnium ferme civitatium Siciliæ ad eum conveniebant. Dispar ut causa earum, ita conditio erat : qui ante captas Syracusas aut non desciverant, aut redierant in amicitiam, ut socii fideles accepti cultique; quos metus post captas Syracusas dediderat, ut victi a victore leges acceperunt. Erant tamen haud parvæ reliquiæ belli[4] circa Agrigentum Romanis; Epicydes et Hanno duces reliqui prioris belli, et tertius novus ab Hannibale in locum Hippocratis missus, Libyphœnicum generis[5] Hipponiates (Mutinem popu-

— *Sacra profanaque omnia* Græcorum provincialiumque *spoliandi;* vide ad Juvenal. VIII, 94 seq.

2. *Quæ postremo in romanos deos,* ad eorum templa, *vertit se* (vide ad II, 3, n. 2), et *primum* ad *templum id ipsum, quod a Marcello eximie ornatum est,* scilicet Honoris et Virtutis, quod jam monuit Dukerus. Illud ἐκ τῶν Σικελικῶν λαφύρων ὠκοδομημένον dicit Plut. in Marcello p. 314, et a Marcello in primo consulatu prælioque cum Insubribus ad Clastidium (de quo vide Polyb. II, 34) votum, a filio autem ad (extra) portam Capenam dedicatum Liv. XXVII, 25, et XXIX, 11 extr. Iidem tradunt, a Marcello Honori Virtutique unam tantum ædem votam, sed duas postea pontificum consilio exstructas et proxime junctas fuisse: quo eum indicare voluisse, ibi esse præmia honoris, ubi sint merita virtutis, monet Symm. Ep. I, 14. Hinc modo unum memoratur templum, ut h. l. et XXIX, 11, modo duo, ut mox *templa ad portam Capenam dedicata a Marcello,* scilicet filio. Confer et Cic. Verr. IV, 54, ac Plin. XXXV, 10, seu 37 extr.

3. *Quorum perexigua pars comparet* nunc: nam ablata erant reliqua bellis civilibus; Stroth. Confer ad VI, 1, n. 6.

4. *Haud parvæ reliquiæ belli;* vide ad IV, 27, n. 1.

5. *Libyphœnicum generis* (vide ad XXI, 22, n. 2) *Hipponiates,* id est, Hippone (vide XXIX, 3, 4, 32) oriundus, ut *Crotoniates;* Sigon. Sed Jac. Gron. jam bene monuit, Livium ita dicturum fuisse *Hipponitis,* vel *Hipponensis,* et ne hoc quidem simpl. nec satis distincte, quia duplex fuerit Hippo, Regius et Diarrhytus; præterea utrumque opp. longe abfuisse ab Libyphœnicibus; denique in primis edd. legi *Hippocinatis* et *Hipponatis,* in Put. et Cantabr. *Hippacinates,* in aliis MSS *Hippacinantis, Hippaciates* et similia. Hinc emendat. *Hippacrites,* Ἱππακρινοὶ memorantur Diodor. tom.

Bayerische Staatsbibliothek München

lares vocabant), vir impiger, et sub Hannibale magistro omnes belli artes edoctus. Huic ab Epicyde et Hannone Numidæ dati auxiliares : cum quibus ita pervagatus est hostium agros, ita socios, ad retinendos in fide animos eorum ferendumque in tempore cuique auxilium [6], adiit, ut brevi tempore totam Siciliam impleret nominis sui, nec spes alia major apud faventes rebus Carthaginiensium esset. Itaque inclusi ad tempus mœnibus Agrigenti dux pœnus syracusanusque, non consilio Mutinis, quam fiducia [7] magis ausi egredi extra muros, ad Himeram amnem posuerunt castra. Quod ubi perlatum ad Marcellum est, extemplo copias movit, et ab hoste quatuor ferme millium intervallo consedit, quid agerent pararentve exspectaturus. Sed nullum neque locum, neque tempus cunctationi consiliove dedit. Mutines transgressus amnem, ac stationibus hostium cum ingenti terrore ac tumultu invectus. Postero die prope justo prælio compulit hostem intra munimenta. Inde revocatus seditione Numida-

II, pag. 567, et Ἱππακρίται Steph. et Polyb. I, 70, n. 9, ubi Schweigh. docet, ita appellatos fuisse incolas Hipponis Diarrhyti. — *Mutinem populares vocabant;* Μυττονὸς dicitur Polyb. IX, 22, n, 4, et Μουτίνας Zonaræ.

6. *Ferendumque in tempore cuique auxilium;* vide ad II, 47, n. 4. Optimi MSS *ferendoque*, et quidam *ferendosque*. Illud recepit Drak. Sed tum τὸ *que* delendum. Mox τὸ *tempore* male repetitur et glossatori debetur. Confer ad I, 3, n. 8.

7. *Non magis consilio Mutinis, quam fiducia*, ob fiduciam in eo repositam. — *Ad Himeram amnem;* vide ad XXIV, 6, n. 5. — Quis sit hic amnis, dubium videtur Glareano : eum tamen existimat, quem Ptolem. III, 4, eo in loco ponit, ubi alii Gelam. Est etiam Himera, quem Strabo VI, 266, ait per mediam fluere Siciliam, exonerarique in mare ad occiduam insulæ partem. Meminit et Plinius III, 8. Ed. — *Quatuor ferme millium;* vide ad IX, 24, n. 2. — *Sed nullum neque locum... dedit.* Hanc impigri viri imaginem egregie expressit *Voltaire, Henriade, chant IV :*

La fleur de la jeunesse en tout temps l'accompagne ;
Avec eux sans relâche il fond dans la campagne,
Tantôt dans le silence, et tantôt à grand bruit,
A la clarté des cieux, dans l'ombre de la nuit,
Chez l'ennemi surpris portant partout la guerre ;
Du sang des assiégeans son bras couvrait la terre.

Sic Mutines nullum tempus Romanis ad respirandum relinquebat. Ed.

rum in castris facta, quum trecenti ferme eorum Heracleam Minoam[8] concessissent, ad mitigandos revocandosque eos profectus, magnopere monuisse duces dicitur, ne absente se cum hoste manus consererent. Id ambo ægre passi duces, magis Hanno, jam ante anxius gloria ejus: *Mutinem sibi modum facere*[9], *degenerem Afrum imperatori carthaginiensi, misso ab senatu populoque.* Is perpulit cunctantem Epicyden, ut, transgressi flumen, in aciem exirent: nam si Mutinem opperirentur, et secunda pugnæ fortuna evenisset, haud dubie Mutinis gloriam fore.

XLI. Enimvero indignum ratus Marcellus, se, qui Hannibalem subnisum victoria cannensi[1] ab Nola repulisset, his terra marique victis ab se hostibus cedere, arma propere capere milites, et efferri[2] signa jubet. Instruenti exercitum decem effusis equis advolant ex hostium acie Numidæ, nuntiantes, populares suos, primum ea seditione motos, qua trecenti ex numero suo concesserint Heracleam, dein quod præfectum suum ab obtrectantibus ducibus gloriæ ejus sub ipsam certaminis diem allegatum videant, quietu-

8. *Heracleam Minoam;* vide ad XXIV, 35, n. 3.

9. *Mutinem sibi modum facere* (vide ad IX, 14, n. 4), scil. dicebat. — *Degenerem Afrum*, non sinceri punici sanguinis: nam Libyphœnices mixtum punicum Afris genus; Duker.; confer not. 5, et ad XXI, 22, n. 2. Non puri punici sanguinis, sed in afrum degenerati; nam *degenerem* refertur ad id, quod fuerit primum genus ejus, *Afrum* indicat, quod inde factus sit; Stroth. Mox MSS plerique *secundæ pugnæ.*

Cap. XLI. 1. *Hannibalem subnisum* (vulg. *subnixum*) *victoria cannensi*, fretum ac superbum: nam utrumque significat *subnisus*, tum fiduciam, tum arrogantiam, inpr. in incessu: unde *ejus artis arrogantia subnixi bulant* apud Cic. Orat. I, 58. Subnixum, *hoc est, susum nixum, sublime;* Non: Subnixo animo quasi sublimi et supra nixo, animi altitudine *fiduciaque; quoniam, quibus innitimur, iis quasi erigimur attollimurque,* Gell. XVII, 2. Confer supra IV, 42, n. 4, et infra lib. XXVI, cap. 13; XLI, 19.

2. *Efferri signa*, scil. e castris, ut libro XXX, cap. 5, et libro XL, cap. 25.

ros in pugna. Gens fallax promissi fidem[3] præstitit : itaque et Romanis crevit animus, nuntio celeri per ordines misso, destitutum ab equite hostem esse, quem maxime timuerant : et territi hostes, præterquam quod[4] maxima parte virium suarum non juvabantur, timore etiam incusso, ne ab suo et ipsi equite oppugnarentur: itaque haud magni certaminis fuit[5]. Primus clamor atque impetus rem decrevit. Numidæ, quum in concursu quieti stetissent in cornibus, ut terga dantes suos viderunt, fugæ tantum parumper comites facti, postquam omnes Agrigentum trepido agmine petentes viderunt, ipsi metu obsidionis passim in civitates proximas dilapsi. Multa millia hominum cæsa captaque et octo elephanti. Hæc ultima in Sicilia Marcelli pugna fuit; victor inde Syracusas rediit : jam ferme in exitu annus erat. Itaque senatus Romæ decrevit, ut P. Cornelius prætor literas Capuam ad consules mitteret[6]; dum Hannibal procul abesset, nec ulla magni discriminis res ad Capuam gereretur, alter eorum, si ita videretur, ad magistratus subrogandos Romam veniret. Literis acceptis, inter se consules compararunt[7], ut Claudius comitia perficeret, Fulvius ad Capuam maneret. Consules Claudius creavit Cn. Fulvium Centumalum et P. Sulpicium Servii fi-

3. *Gens fallax* alias *fidem promissi præstitit*, ut XXX, 12, vel *promissum præstare* XXVI, 4, et *fides promissi* XXVI, 19. J. Gron. Mox *per ordinem* MSS et edd. ante Drak. — Veterem hanc lectionem ita intelligi posse opinatur Doujatius, nuncium ad omnes copias ordinatim missum esse. Præstat vero Tan. Fabri, et Gronovii conjectura *per ordines;* nempe militum. Ed.

4. *Præterq. quod;* vid. XXII, 3, n. 8.

5. *Itaque haud magni certaminis fuit* (ita optimi MSS) scil. id, vel e seqq. intell. *res.* Confer ad XXI, 43, n. 4, *haud magna vis c. f.* edd. ante Gron. — *Rem decrevit*, vide ad V, 55, n. 1.

6. *Literas Capuam ad consules mitteret*, ut *alter veniret;* vid. VIII, 19, n. 10. — *Ad magistratus subrogandos;* vide ad II, 8, n. 4.

7. *Inter se consules compararunt, ut;* vide ad III, 2, n. 1.

lium Galbam, qui nullum antea curulem magistratum gessisset. Prætores deinde creati, L. Cornelius Lentulus, M. Cornelius Cethegus, C. Sulpicius, C. Calpurnius Piso. Pisoni[8] jurisdictio urbana, Sulpicio Sicilia,

8. *Pisoni jurisdictio urbana, Sulpicio Sicilia, Cethego Apulia, Lentulo Sardinia evenit:* verba, quæ et mutila et corrupta esse putabant intpp. et Pigh. in Annal. ad an. 542, quoniam et *peregrina jurisdictio* haud memoratur, et in libro seq. sæpius Cethegi in Sicilia, nunquam in Apulia fit mentio, ut nec Sulpicii in Sicilia. Hos nodos solvit disputatio Perizon. ad h. l. et in Anim. hist. cap. 4, pag. 167, qua pluribus simul Livii locis lux affunditur: «Peregrina jurisdictio haud dubie conjuncta fuit cum urbana, ut sæpissime in hoc bello; vide XXIV, 44; XXV, 3; XXVII, 36; XXXIX, 38, 39. Hic et prorsus, ut h. l., omittitur XXVIII, 38; XXXI, 1, 27, 40, et al. *Sulpicio* evenit *Sicilia*, scil. ea, quam P. Cornelius Lentulus prætor ante habuerat. Divisa enim fuit in duas provincias ab anno 538 ad 548, quo P. Scipio in Africam trajecit; in *veterem* et *novam;* vide ad XXIV, 44, n. 3. Anno 538 in illam missus P. Cornelius Lentulus prætor (vide XXIV, 9, 10), et in hanc exorto bello syracusano M. Marcellus consul, XXIV, 21. Utrique anno 539 prorogatæ provinciæ (XXIV, 44), et anno 540 (XXV, 3, 6; XXVI, 1). Hoc an. 541 uterque decessit, et Siciliam obtinuere *C. Sulpicius* et primo Marcellus, dein, postquam hic Romam rediit, *Cethegus.* Hos exceperunt an. 542. L. Cincius Alimentus prætor et M. Valerius Lævinus consul (vide XXVI, 28, 29; XXVII, 7), aliique deinceps. Successisse vero P. Cornelio C. Sulpicium, ut et in Sardinia Q. Mucio L. Cornelium Lentulum, constat ex XXVI, 1, neque obstat, quod nunquam deinde Sulpicius nominatur in Siciliæ rebus narrandis: nam in vetere illa Siciliæ provincia neque tribus annis superioribus ullam rem a P. Cornelio Lentulo gestam refert auctor; eamque quietam plane fuisse satis ostendunt cannensium militum, eo ignominiæ pœnæque causa traductorum (vide ad XXIII, 25, n. 5), verba XXV, 6, n. 11. (Confer XXVI, 2 extr.) Major videtur esse difficultas in sorte *Cethegi*, cujus in libro seq. sæpius fit mentio in Sicilia, nunquam in *Apulia*. Sed Apuliam primo Cethegus, dein consules habuerunt. Marcello prorogatum fuit imperium in Sicilia, ut reliquias belli perficeret. XXVI, 1. Decessit tamen eodem anno *exercitum successori tradere jussus.* XXVI, 21. Qui non alius potuit esse, quam *Cethegus*, quum is non cannenses milites, sed Marcelli habuerit legiones, nec usquam ante, sed statim post illius discessum legatur fuisse in Sicilia. XXVI, 21, 26, 28. Sortitus quidem fuerat *Apuliam:* verum sæpe permutarunt provincias, ex alia in aliam profecti. Sic Nero primo ad Capuam fuit, eaque capta in Hispaniam est missus, XXVI, 5, 17. Ibi successit ei M. Junius Silanus XXVI, 20, cui imperium in Etruria prorogatum fuerat XXVI, 1.

«Post abitum Marcelli e Sicilia effectum, Apuliam obtinuerunt consules primum ambo, dein alter Macedoniam est sortitus. Eas autem mutationes, immo et sortitiones provinciarum, sæ-

Cethego Apulia, Lentulo Sardinia evenit. Consulibus prorogatum in annum imperium est.

pe Livius neglexit memoriæ mandare, satis existimans, si eas factas esse ex rebus gestis discere per occasiones possimus. Sic A. Cornelium Mammulam XXIII, 21, 32, 34, proprætorem in Sardinia invenimus, sed nullum alicubi verbum de ejus prætura et profectione in eam provinciam. M'. Pomponio prætori prorogatur imperium in Gallia XXIV, 10. Quando vero in eam sit missus, an in prætura, quam biennio ante gesserat, an post eam, ex Livio ignoramus. C. Lætorius cui præesset provinciæ, nusquam traditum est. At C. Hostilius ab eo provinciam exercitumque accipere jubetur XXVII, 7. M. Valerius Falto prætor sortitur Bruttios XXX, 40, 41, et dicitur XXXI, 8, *priore anno Campaniam habuisse provinciam;* quam qua de causa acceperit relictis Bruttiis, in Livio frustra quis quæret.» Hæc recte disputari monet Duk. sed addit: « Unus superest scrupulus, quod Livius hic, contra quam solet, de provinciis consulum mentionem non facit, sed demum XXVI, 22. Conjici potest, consulibus initio anni provincias non decretas, eosque deinde religionibus aliisque impedimentis, maxime fama adventus Hannibalis in Urbe, in qua adventante Hannibale eos fuisse, ex XXVI, 9, 10, 11, patet, retentos fuisse. Sed eos non multo post, dempto terrore Hannibalis, in Apuliam profectos, ex XXVI, 16, colligitur. Eodemque Cethegum, qui ante Apuliam habuerat, Marcello, quem exitu æstatis ex Sicilia ad Urbem venisse XXVI, 21, dicit, succedere jussum fuisse, omnino probabile est.» Idem Dukerus ad XXVIII, 38 extr. hæc notavit: « Ad loca Livii, a Periz. laudata, in quibus nulla peregrinæ prætoræ mentio fit, adeoque prætor urbanus utramque juris dictionem obtinuisse censendus est, adde XXXI, 6; XXXII, 1, 8. Est tamen intelligendum, hoc semper ex senatusconsulto factum fuisse, quod etiam XXXV, 41 significat Livius: nam et ita prætor peregrinus, si deinde ad bellum gerendum mitteretur, prætori urbano juris dictionem ex senatusconsulto mandabat; v. XXVIII, 10. Id quoque in hac re animadverti potest, Livium, quum antea sæpe peregrinam sortem prætereat, atque interdum etiam prætorem, cui ea evenerat, una cum illa provincia sortitum narret, ut XXVII, 7, et XXIX, 13, post XXXI, 8, id est, post an. Urb. 555, nunquam omittere sortem peregrinam, nec cum ea provinciam aliam conjunctam, ac bis tantum, ni fallor, post an. Urb. 556, quo primum sex prætores creati sunt, XXXII, 27, unum prætorem utramque juris dictionem sortitum fuisse, tradere; primum an. Urb. 562, lib. XXXV, 41, et XXXVI, 2, deinde biennio post XXXVII, 50. Nam quod XXXIX, 39, legitur, post sortitionem factum est. Nimirum crescentibus cum imperio negotiis et litibus, sine dubio animadversum fuit, unum prætorem utrique juris dictioni non sufficere; eaque etiam, inter alias, sex prætorum creandorum causa esse potuit.»

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXVI.

BREVIARIUM.

Cap. I; Dividuntur provinciæ et XXIII legiones. — II; L. Marcius, sumpto proprætoris titulo, offendit Patres, et hi cum tribunis plebis agunt, ut ad plebem ferant, quem cum imperio mitti placeat in Hispaniam. Sed plebis animos occupat certamen, a C. Sempronio Blæso trib. pl. motum, qui Cn. Fulvio diem dicit ob exercitum in Apulia amissum. — III; Reus frustra ab se culpam in milites transfert, et perduellionis judicatus exsulatum Tarquinios abit. — IV; Capua acrius obsidetur, et equitatu quoque superior est romana res, ex quo, auctore Q. Navio centurione, equitibus immiscentur pedites, vehentes post illos signoque dato equis perniciter desilientes. — V; Romanorum duces et Navius fortiter pugnant cum Campanis et Hannibale, qui iis auxilio venerat. — VI; Tandem obsessi Pœnique fugantur : et ultimum hoc prælium ante deditionem Capuæ, hujusque ultimus est medixtuticus Seppius Lesius, homo obscurus, qui summum magistratum, ab omnibus spretum, ceperat. — VII; Hannibal castra movere a Capua statuit Romamque petere, ut duces romani ad defendendam hanc urbem ab oppugnanda illa abstrahantur. — VIII; Eodem cum electis militibus tendit Q. Fulvius Flaccus proconsul, senatusconsulto accitus, collegamque Appium Claudium ex vulnere ægrum in castris ad Capuam positis relinquit. — IX; Iter utriusque describitur et ingens terror, quem nuntius fregellanus Romam affert. — X; Fulvius Romam ingreditur et Hannibal,

stativis ad Anienem fluvium, tria millia passuum ab Urbe, positis, cum duobus equitum millibus mœnia situmque Romæ obequitans contemplatur : sed submovetur ab equitibus, a Fulvio immissis, multique tumultus, temere excitati, comprimuntur. — XI; Acies Pœnorum Romanorumque bis instructæ tempestatibus dirimuntur. Quo omine aliisque causis motus Hannibal ad Tutiam flumen castra refert, et templum Feroniæ omnibus spoliat donis. — XII; Inde celeri cursu in bruttium agrum contendit, et Fulvius redit Capuam : ubi principes domibus inclusi patriæ occasum in dies exspectant, præfectique præsidii punici, Bostar et Hanno, literas, aspere ad Hannibalem conscriptas, perferendas tradunt Numidis, qui specie quidem transfugarum in castra romana veniunt, ut inde abeant tempore capto, sed a muliere campana proditi comprehenduntur et mulcati virgis manibusque præcisis rediguntur Capuam. — XIII; Major jam senatus pars legatos de pace mittendos censet, nequidquam refragante Vibio Virrio, defectionis ab Romanis auctore, qui suadet, ut morte honesta ac leni cruciatus effugiant. — XIV; Senatores XXVII cum Virrio epulantes exemplo ejus venenum hauriunt, et portæ aperiuntur hostibus. Tum reliqui comprehenduntur senatores, et XXV Cales in custodiam, XXVIII Teanum mittuntur. — XV; De eorum supplicio Appius per literas senatum romanum consulit : at Q. Fulvius illos virgis cædi securique percuti jubet, et sumpto demum supplicio literas legit Roma allatas. Eamdem mortem postulat Taurea Jubellius campanus, eaque negata se gladio ipse transfigit. — XVI; Atella et Calatia in deditionem accipiuntur, et severe animadvertitur in Campanos maxime noxios : Capuam vero ipsam servari placet, et præfectum eo ad jura reddenda quotannis ab Roma mitti. — XVII; C. Nero cum electis militibus in Hispaniam mittitur, ubi exercitum ab T. Fonteio ac L. Marcio accipit et Hasdrubalem claudit quidem saltu, sed dolo ejus captus emittit. — XVIII; Comitia habentur proconsuli creando in Hispaniam, et, nemine nomen profiteri audente, imperium hoc petit, omnibusque suffragiis accipit P. Cornelius Scipio, Publii, qui in Hispania ceciderat, filius XXIV ferme annos natus. — XIX; Hic juvenis, qui virtutibus easque ostentandi arte mirabilis erat, et divinæ stirpis esse credebatur, in Hispaniam proficiscitur cum novo exercitu et M. Junio Silano proprætore, qui adjutor ei ad res gerendas datus erat. — XX; Tarraconem concedit, et

civitates sociorum veterisque exercitus hiberna adit. Interea classis punica, ex Sicilia Tarentum accita, claudit quidem omnes ad arcem a mari aditus, sed mox dimittitur, quia arctiorem sociis annonam facit quam hosti. — XXI; M. Marcellus, ex Sicilia reversus, triumphat in monte Albano, et inde Urbem ovans init. Post ejus profectionem militum in provincia illa relictorum animi inclinant ad seditionem, et civitates aliquot deficiunt ad Pœnos et Numidas, qui duce Mutine sociorum rom. agros urunt: sed res afflictas restituit M. Cornelius prætor. — XXII; In comitiis consularibus prærogativa centuria, quæ T. Otacilium et T. Manlium Torquatum declaraverat, hoc postulante redit in suffragium atque M. Claudium Marcellum et M. Valerium Lævinum consules dicit. — XXIII; Prætoria habentur comitia: ludi Apollinares in perpetuum voventur: procurantur prodigia, et sacerdotibus demortuis novi sufficiuntur. — XXIV; M. Valerius Lævinus cum Scopa et Dorimacho, principibus Ætolorum, facit fœdus, bellumque prospere movet adversus Philippum et Acarnanas. — XXV; Res a Philippo gestæ et conjuratio Acarnanum. — XXVI; Lævinus Anticyram expugnat, et diuturno ibi morbo implicitus serius spe omnium Romam venit: eo vero absente Marcellus collega nihil se de republica aut provinciis acturum profitetur. — XXVII; Incendium Romæ oritur conflatum a Campanis juvenibus, quorum parentes a Q. Fulvio securi erant percussi. Campanorum Siculorumque legati Romam veniunt questuri de Fulvii et Marcelli crudelitate. — XXVIII; Novis magistratibus provinciæ legionesque decernuntur. — XXIX; Sicilia Marcello et Italia Lævino evenit; sed consules permutant provincias, moti querelis Siculorum. — XXX; Hi in senatu accusant Marcellum. — XXXI; Is respondet. — XXXII; Illi benigne ab hoc Patribusque appellantur et dimittuntur. — XXXIII; Campanorum oratio in senatu miserabilior duriorque causa. — XXXIV; Ob decreta senatus in familias singulas facta mœstiores aliquanto, quam Romam venere, discedunt. — XXXV; Quoniam pecuniæ nihil est in ærario, privati ex censu ordinibusque remiges dare cum stipendio cibariisque jubentur; quod ægerrime ferunt homines: — XXXVI; sed Patrum exemplo incitati certatim aurum, argentum et æs in publicum conferunt. — XXXVII; Pœnorum Romanorumque anceps spes ac metus, adversa secundis æquante fortuna. — XXXVIII; Avaritia et crudelitate Hannibalis aba-

lienantur ab eo sociorum animi; et Salapia cum præsidio punico Marcello proditur a Blattio, Dasio nequidquam repugnante. — XXXIX; Classis romana ab Rhegio profecta fugatur a tarentina: ad Tarentum vero C. Persius, a M. Livio ex arce emissus, passim cædit hostes per agros palantes. — XL; Lævinus Syracusis componit res, et plurima Siciliæ oppida in ditionem romanam redigit, in his Agrigentum, traditum ei a Mutine, Numidarum duce, cui Hanno invidebat gloriam belli injuriamque intulerat. — XLI; In Hispania P. Scipio oratione accendit militum animos.—XLII; Tum copias trajicit Iberum, et Carthaginem Novam oppugnare statuit, urbem in tumulo ad sinum maris sitam. — XLIII; Ejus potiundæ spem cohortando militibus facit. — XLIV - XLV; Romani, exemplo et hortatione ducis incitati, summa illam vi, sed frustra aggrediuntur terra. — XLVI; At per stagnum sine certamine intratur, et mox tum ipsa, tum arx, a Magone dedita, capitur. — XLVII; Victores præda ingenti omnis generis potiuntur. — XLVIII; Milites, prout cuique meritum virtusque fuit, donantur. — XLIX; Scipio obsides civitatium Hispaniæ suis restituit, precibusque uxoris Mandonii motus curam feminarum committit viro spectatæ integritatis. — L; Reddit sponsam Allucio, principi Celtiberorum, qui lætus domum dimissus mox cum delecta equitum manu revertit. — LI; Copiæ ejus navales pedestresque exercentur, et captæ urbis muri reficiuntur; armamentaria autem, officinæ et navalia strepunt apparatu belli. His ordinatis dispositisque præsidiis Scipio Tarraconem redit, quo legationibus sociisque edixerat conventum.

Cn. Fulvius Centumalus, P. Sulpicius Galba consules, quum idibus martiis magistratum inissent, senatu in Capitolium vocato, de republica, de administratione belli, de provinciis exercitibusque Patres consuluerunt. Q. Fulvio, Ap. Claudio [1], prioris anni consulibus, prorogatum imperium est, atque exercitus, quos habebant, decreti; adjectumque, ne a Capua, quam obsidebant, abscederent, prius quam expugnassent.

Cap. I. 1. *Q. Fulvio, Ap. Claudio* optimi MSS omissa copula: quæ est ratio elegantior collegas nominandi; Gron.

Ea tum cura maxime intentos habebat Romanos; non ab ira tantum [2], quæ in nullam unquam civitatem justior fuit, quam quod urbs tam nobilis ac potens, sicut defectione sua traxerat aliquot populos, ita recepta inclinatura rursus animos videbatur ad veteris imperii respectum. Et prætoribus prioris anni, M. Junio in Etruria, P. Sempronio in Gallia, cum binis legionibus quas habuerant, prorogatum est imperium. Prorogatum et M. Marcello, ut pro consule in Sicilia reliqua belli perficeret eo exercitu [3], quem haberet. Si supplemento opus esset, suppleret de legionibus, quibus P. Cornelius proprætor in Sicilia præesset; dum ne quem militem legeret ex eo numero, quibus senatus missionem reditumque in patriam negasset ante belli finem. C. Sulpicio, cui Sicilia evenerat [4], duæ legiones, quas P. Cornelius habuisset, decretæ, et supplemen-

2. *Non ab ira tantum*, non tam ob iram, *quam*, etc. Vide ad I, 1, n. 5. — Non raro *tantum* et *quam* sibi respondere notat Crever. verbi causa, Terent. Hec. Act. III, scen. 4: « Non hercle verbis dici potest tantum, quam reipsa navigare incommodum est. » Ed. — *Defectione sua traxerat* secum vel ad suas Pœnorumque partes. — *Ad veteris* romani *imperii respectum*, curam et reverentiam. — *Prætoribus prioris anni*, hoc est, præfectis provinciarum et ducibus: nam Junius quidem an. Urb. 540, sed Sempronius an. Urb. 539 prætor fuerat. Conf. XXIV, 44; XXV, 2, n. 3, et ad VI, 42, n. 7. — *M. Junio in Etruria, P. Sempronio*, etc. « Etiam Cn. Fulvius et C. Claudius Nero priore anno prætores fuerant, XXV, 11. De Fulvio nihil dicit ideo fortasse, quod is mox ob rem superiore anno male gestam damnatus est; vide cap. 11 seq. Neroni itidem, ut Junio et Sempronio, prorogatum fuisse imperium, eumque una cum proconsulibus in obsidione Capuæ, ad quam ab iis accitus erat (vide XXV, 21), manere jussum, et Capua capta in Hispaniam missum, constat ex cap. 5, 8, 17. Hoc quoque est exemplum moris Livii; de quo v. ad XXV, 41, n. 8. » Duker. — *P. Sempronio in Gallia;* vide ad XXIV, 44, n. 2.

3. *Reliqua belli perficeret eo exercitu;* vide ad I, 14, n. 4; IV, 27, n. 1, et XXII, 38, n. 4, *reliqua* MS Put. *reliquias* edd. ante Drak. — *P. Cornelius proprætor in Sicilia*, in vetere ejus provincia, ut *Marcellus* in nova. Confer ad XXV, 41, n. 8. — *Dum ne*, dummodo non, *quem militem*, aliquos milites, *legeret ex eo numero*, scilicet militum cannensium; ex iis, *quibus*, etc. Confer supra ad lib. XXIII, cap. 25, n. 5.

4. *C. Sulpicio, cui Sicilia evenerat*; vide ad XXV, 41, n. 8.

tum de exercitu Cn. Fulvii, qui priore anno in Apulia fœde cæsus fugatusque erat. Huic generi militum senatus eumdem, quem cannensibus [5], finem statuerat militiæ; additum etiam utrorumque ignominiæ est, ne in oppidis hibernarent, neve hiberna propius ullam urbem decem millibus passuum ædificarent. L. Cornelio in Sardinia duæ legiones datæ, quibus Q. Mucius præfuerat. Supplementum, si opus esset, consules scribere jussi. T. Otacilio et M. Valerio [6] Siciliæ Græciæque ora cum legionibus classibusque, quibus præerant, decretæ. Quinquaginta Græci, cum legione una, centum Siculi cum duabus legionibus habebant naves. Tribus et viginti legionibus [7] romanis eo anno bellum terra marique est gestum.

II. Principio ejus anni quum de literis L. Marcii referretur [1], res gestæ magnificæ senatui visæ : titulus honoris (quod, imperio non populi jussu, non ex auctoritate Patrum dato, *Proprætor senatui*, scripserat) magnam partem hominum offendebat. Rem mali exempli esse, imperatores legi ab exercitibus, et solenne auspicatorum comitiorum [2] in castra et provincias, procul ab legibus magistratibusque, ad militarem teme-

5. *Quem cannensibus* militibus; cf. n. 3.

6. *T. Otacilio et M. Valerio* Lævino *Siciliæ Græciæque ora* (confer XXIV, 40, 44; XXV, 3) *cum legionibus ... decretæ*, scil. provinciæ; Gron. Sed forte leg. *oræ*, aut potius *ora cum legionibus*, etc., dictum pro *ora et legiones classesque;* vide ad XXI, 60, n. 5, *decreta* reposuit Glarean. — *Græci habebant naves*, hoc est, in Græcia ejusque ora erant naves rom.

7. *XXIII legionibus*, MSS et edd. ante Ald. *XXXIII leg.*

Cap. II. 1. *De literis L. Marcii referretur* a consulibus ad senatum. — *Imperio non populi jussu*, sed a militibus *dato ;* vide tamen ad librum XXV, cap. 37.

2. *Solenne auspicatorum comitiorum*, solennitatem, solennem ritum curiatorum comitiorum auspicato habendorum. Confer ad V, 21, n. 1, et V, 46, n. 8. Hoc intell. de comitiis curiatis, et etiam iis, qui ex privatis ad bella mittebantur, necessariam fuisse legem curiatam, ex h. l. patere monent Duk. ad h. l. et Gruch. in Responsis ad binas Sigonii reprehensiones pag. 724, et in Refutat. ad poster.

ritatem transferri. Et, quum quidam referendum ad senatum [3] censerent, melius visum differri eam consultationem, donec proficiscerentur equites, qui ab Marcio literas attulerant. Rescribi de frumento et vestimentis exercitus placuit : *eam utramque rem curæ fore senatui.* Adscribi autem, *Proprætori L. Marcio*, non placuit; ne id ipsum, quod consultationi reliquerant, pro præjudicato ferret [4]. Dimissis equitibus, de nulla re prius consules retulerunt, omniumque in unum sententiæ congruebant, agendum cum tribunis plebis esse, primo quoque tempore ad plebem ferrent, quem cum imperio mitti placeret in Hispaniam ad eum exercitum, cui Cn. Scipio imperator præfuisset [5] : ea res cum tribunis acta promulgataque est. Sed aliud certamen occupaverat animos : C. Sempronius [6] Blæsus

Sigon. disputat. § 35, tom. I, Thes. Ant. Rom.

3. *Referendum ad senatum* de ea re ab consulibus : nam sine tali rerum relatione senatusconsultum de iis fieri non poterat; vide ad Tac. Ann. II, 33, n. 4. Similiter *referre ad consilium*, scil. militare XXX, 4, n. 4; XXX, 31, n. 4; XXXIII, 12, 1, *ad populum* apud Flor. III, 21, 9, et Valer. Maxim. IX, 10, 1, et simpliciter *referre*, scil. ad senatum XXI, 6, n. 4; XXVI, 27 extr.; XXX, 21, n. 4; XXXVIII, 42, vel ad concilium XXXII, 20; XXXIII, 12, n. 1; ad concionem XXXII, 22; *ad populum* XXXVIII, 47, n. 1; nisi quibusdam locis laudatis *referre* dictum pro *deferre*, ut XXXVII, 57; XXXIX, 44; XLIV, 4; ubi confer Drak. Sic et pro simpl. *ferre* XLV, 4, n. 1, et al. — *Proficiscerentur* Roma, abiissent.

4. *Quod consultationi reliquerant, pro præjudicato ferret*, acciperet Marcius; vide ad III, 40, n. 10. — Ne Marcius auferret, id est, assequeretur, tanquam aliquo jam præjudicio, sive priore quodam judicio in antecessum lato, sibi attributum eum ipsum honoris titulum, quem utrum ei concedere deberent, consultationi reliquerant. Hic τὸ *ferret* eodem sensu usurpatum esse notat Crev. quo supra lib. III, cap. 45 : *ut tacitum feras, quod celari vis.* Ed. — *agendum cum tribunis pl. esse*, tractandum de eo (*unterhandeln*), ut *primo q. t. ad plebem ferrent;* vide ad IV, 58, n. 10.

5. *Exercitum, cui Cn. Scipio imperator præfuisset*, sed et P. Scipio. At hic minori tantum exercitus parti præfuerat : multo major et Marcius ipse militaverant sub Cn. Scipione, et primi fuerant collecti; vide XXIV, 34; XXXVI, 37. Confer tamen et ad XXIV, 24, n. 2, et XXV, 3, n. 5. — *Promulgata* a tribunis in tabula publice proposita ante quam ad plebem ferretur.

6. *C. Sempronius Blæsus* C. fil. Ti.

die dicta Cn. Fulvium, ob exercitum in Apulia amissum, in concionibus vexabat; *multos imperatores temeritate atque inscientia exercitum in locum præcipitem perduxisse*[7] dictitans; *neminem, præter Cn. Fulvium, ante corrupisse omnibus vitiis legiones suas, quam prodere-ret. Itaque vere dici posse, prius eos perisse, quam viderent hostem; nec ab Hannibale, sed ab imperatore suo, victos esse. Neminem, quum suffragium*[8] *ineat, satis cernere, cui imperium, cui exercitum permittat. Quid interfuisse*[9] *inter Ti. Sempronium? Quum ei servorum exercitus datus esset, brevi effecisse disciplina atque imperio, ut nemo eorum generis ac sanguinis sui memor in acie esset, præsidio sociis, hostibus terrori essent. Cumas, Beneventum*[10] *aliasque urbes eos velut e faucibus Hannibalis ereptas populo romano restituisse. Cn. Fulvium Quiritium Romanorum exercitum, honeste genitos, liberaliter educatos, servilibus vitiis imbuisse. Ergo effecisse, ut feroces et inquieti inter socios, ignavi et imbelles inter hostes essent; nec impetum modo Pœnorum, sed ne clamorem quidem sustinere possent. Nec hercule mirum esse, milites in acie non stetisse*[11], *quum primus omnium imperator fuge-*

nep. tribunus pl. *die dicta* (v. ad II, 35, n. 1) *Cn. Fulvium*, etc.; vid. XXV, 20, 21.

7. *In locum præcipitem perduxisse;* vide ad Præf. n. 13. — *Cn. Fulvium ante corrupisse*, etc.; vide XXV, 20.

8. *Quum suffragium ineat* in comitiis, *satis cernere*, judicare, expendere; vel respicere, curare.

9. *Quid interfuisse*, quantum discrimen fuisse *inter Ti. Sempronium Gracchum et illum, Cn. Fulvium?* Dura ellipsis: nisi ex MS Pal. 2, leg. *inter hunc et Ti. Sempr.* vel cum Drak. *inter hunc et inter Ti. Sempr.* vel cum Gron. *Quid interfuisse hunc et Ti. Sempr.*—*Quum ei servorum*, volonum, *exercitus*, etc.; v. XXIII, 35 seq., et XXIV, 14 seq. — *Ut nemo eorum generis*, etc.; vide Gron. Obss. IV, 2, pag. 28.

10. *Cumas, Beneventum*, etc.; vide XXIII, 35 seq.; XXIV, 14 sq.; XXV, 1. — *Quiritium Romanorum;* vide ad I, 13, n. 5, et confer V, 41.

11. *Nec hercule mirum esse, milites in acie non stetisse*, verba *non stetisse* absunt ab omnibus fere MSS, unde Gron. non male conj. *Non, H., mirum, cessisse milites in acie.*

ret. Magis mirari se, aliquos stantes cecidisse, et non omnes comites Cn. Fulvii fuisse pavoris ac fugæ. C. Flaminium, L. Paulum, L. Postumium, Cn. ac P. Scipiones cadere in acie maluisse, quam deserere circumventos exercitus. Cn. Fulvium prope unum nuntium deleti exercitus Romam redisse. Facinus indignum esse, cannensem exercitum, quod[12] *ex acie fugerit, in Siciliam deportatum, ne prius inde dimittatur, quam hostis ex Italia decesserit, et hoc idem in Cn. Fulvii legionibus*[13] *nuper decretum : Cn. Fulvio fugam ex prælio, ipsius temeritate commisso, impunitam esse : et eum in ganea lustrisque, ubi juventam egerit, senectutem acturum : milites, qui nihil aliud peccaverint, quam quod imperatoris similes fuerint, relegatos prope in exsilium*[14]*, ignominiosam pati militiam. Adeo imparem libertatem Romæ diti ac pauperi, honorato atque inhonorato esse.*

III. Reus ab se culpam in milites transferebat : *Eos ferociter pugnam poscentes productos in aciem, non eo, quo voluerint (quia serum diei fuerit), sed postero die, et tempore et loco æquo*[1] *instructos, seu famam, seu vim hostium non sustinuisse. Quum effuse omnes fugerent, se quoque turba ablatum ; ut Varronem cannensi pugna, ut multos alios imperatores. Qui autem solum se restantem prodesse reipublicæ, nisi si mors sua remedio publicis cladibus futura esset, potuisse ? Non se inopia commeatus, non in loca iniqua incaute*

12. *Cannensem exercitum, quod,* etc.; vide ad XXIII, 25, n. 5. — *Deportatum ;* vide ad XXXVIII, 50, n. 2.

13. *In Cn. Fulvii legionibus n. d.;* vide cap. 1.

14. *Relegatos prope in exsilium,* etc.; confer ad XXV, 6, n. 11.

Cap. III. 1. *Et tempore et loco æquo*, commodo, idoneo. — *Qui* (quomodo) *autem solum se*, etc. — *Non se inopia commeatus*, etc., hæc ita ordinanda, *se non inopia commeatus, non incaute in loca iniqua deductum ;* Duk. Multo concinnior esset oratio, si vel *pressum*, *interclusum* simileve verbum post *commeatus* posi-

deductum, non agmine inexplorato euntem insidiis circumventum. Vi aperta, armis, acie victum : nec suorum animos, nec hostium, in potestate habuisse. Suum cuique ingenium audaciam aut pavorem facere. Bis est accusatus, pecuniaque anquisitum : tertio, testibus datis[2], quum, præterquam quod omnibus probris onerabatur, jurati permulti dicerent, fugæ pavorisque initium a prætore ortum ; ab eo desertos milites, quum haud vanum timorem ducis crederent, terga dedisse ; tanta ira accensa est, ut capite anquirendum concio succlamaret. De eo quoque novum certamen ortum : nam, quum tribunus bis pecunia anquisisset, tertio capitis se anquirere diceret ; tribuni plebis[3] appellati, *collegæ*, negarunt, *se in mora esse, quo minus, quod ei more majorum permissum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret, quoad vel capitis, vel pecuniæ judicasset privato.* Tum Sempronius, *perduel-*

tum, vel *non* ante *in* omissum fuisset ; Doer.

2. *Testibus datis ;* vide ad III, 71, n. 1.

3. *Tribuni plebis appellati* a reo Fulvio adversus *tribunum* Sempronium ; vide ad II, 27, n. 2. — *Collegæ se in mora esse ;* vide ad III, 24, n. 6. — *Ei more majorum permissum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret, quoad vel capitis vel pecuniæ judicasset privato...perduellionis se judicare Cn. Fulvio ;* vide ad I, 26, n. 4 ; II, 52, n. 6, et XXIV, 43, n. 2. Observat ad h. l. Crev., mores sæpe in jure opponi legibus, quia usu derogatum aliquando legibus fuerat, ac plerumque in mitiorem partem ; hic autem distributionem illam *seu legibus, seu moribus* evidenter respicere hanc, quæ sequitur, *vel capitis, vel pecuniæ :* leges enim, ut videatur, capite damnasse imperatorem, qui exercitum sua culpa amisisset, sed moribus institutum fuisse, ut pecunia lueret. Nota Dukeri est : « *Morem majorum* Noodt Probab. I, 11, hic interpretatur leges, et Ferrandus jus non scriptum. Negari nequit, tribunis pl. post an. Urb. 299, quo lex Ateria omnibus magistratibus mulctæ dicendæ jus dedit, ut scribit Dionys. X, 50, legibus licuisse pecunia anquirere. Sed vix credo, ostendi posse, illis legibus permissum fuisse, capite anquirere. Certe ex Dionys. VII, 31, 52, satis apertum est, hoc iis nulla lege concessum fuisse. Idemque VII, 63, tradit, post an. Urb. 262, in consuetudinem venisse, ut tribuni pl., quibuscumque civibus libuisset, diem dicerent. Unde intelligi potest, eos hoc, ut multa alia, sibi sine lege sumpsisse, ac deinde sæpe idem factitando morem pro jure

lionis se judicare Cn. Fulvio, dixit, diemque comitiis ab C. Calpurnio prætore Urbis petit [4]. Inde alia spes ab reo tentata est; si adesse in judicio Q. Fulvius frater

concesso habuisse. Sed utrumcumque est, tamen in hoc hæreo. Si decretum collegii tribunorum pl. appellationi Fulvii convenire debet, sententia illius est, licere tribuno pl., quum primo pecunia anquisisset, deinde capite anquirere, quod negabat Fulvius. Et hoc jam ante a tribunis pl. factum esse, ex Liv. II, 52, et XXV, 4, docet Sigon. de judic. III, 10. Sed quomodo hoc ei *more majorum* permissum esse, *seu legibus, seu moribus mallet anquirere*, dicant; mihi non liquet. Nam sive *mos majorum* hic est lex, sive jus non scriptum, non magis intelligo, quid sit *legibus permissum est tribuno anquirere, seu legibus, seu moribus*, id est, jure non scripto, *malit anquirere;* quam jure non scripto permissum est tribuno anquirere, seu legibus seu moribus, id est, jure non scripto, malit anquirere. — Quod ad verba proxime seqq. attinet, Budæus ad lib. III, D. ad leg. Jul. majest. et P. Faber Semestr. II, 23, *judicare* exponunt diem dicere. Sed ex multis Livii aliorumque locis patet, in judiciis populi primum diem dictam, deinde reum ad populum accusatum, ac denique de eo suffragiis populi judicatum fuisse. Ita h. l. tribunus pl. Fulvio primum diem dixit, deinde eum bis accusavit et pecuniæ anquisivit, tertia accusatione se capitis anquirere dixit. Confer Sigon. de judic. III, 6 seq. ubi hæc accurate distinguit, et cap. 10, recte scribit, *anquirere* dici accusatorem, quum in singulis accusationibus perorandis (nam post diem dictam accusatio per trinum nundinum instituebatur) reo mulctam pœnamve pro arbitrio dicebat. Itaque *anquirere pecunia* est mulctam dicere, *anquirere capite* pœnam capitis irrogare. Quum ergo hic tribunis pl. permissum dicitur, *anquirere, quoad vel capitis vel pecuniæ judicassent reo*, apertum est, *judicare* de eo dici, quod inter extrema horum judiciorum est, nec posse esse *diem dicere*, quod primum, nec *anquirere*, quod medium in iis est. Mihi hic *judicare capitis* videtur esse, postrema accusatione pœnam capitis irrogare; *judicare pecuniæ*, mulctam irrogare: quæ quum facta erant, ad populum de pœna mulctave certabatur. Confer Cic. Leg. III, 3. Ita I, 26, illud duumviri, nondum notis trinundini accusationibus, *P. Horati, tibi perduellionem judico*, nihil aliud esse puto, quam perduellionis pœnam tibi irrogo. Sic et XLIII, 16. In judiciis privatis quoque *judicatus* et *judicatus pecuniæ* dicitur, non qui in jus vocatus, sed qui condemnatus est. Cæterum in decreto tribunorum erat *capitis*, et Sempronius mox dicit *perduellionis* se judicare; quod idem est ex sententia Gruchii de Comit. I, 2 extr. » Verba *seu legibus, seu moribus mal'et*, etc. Doer. ita interpretatur: seu secundum leges de ejusmodi crimine constitutas, seu secundum exemplum majorum *anquirere* mallet, hoc est, in crimen illud pecuniæ aut capitis pœna luendum inquirere et de hac pœna irroganda judicium habere, *quoad*, etc., usque dum vel capitis vel pecuniæ pœnam reo (qui nunc homo privatus fuit) per judicium decernendam curasset; ut *perduellionis alicui judicare* pro: perduellionis pœnam alicui per judicium decernendam curare, ut I, 26.

4. *Diemque comitiis* centuriatis *ab*

posset, florens tum et fama rerum gestarum, et propinqua spe Capuæ potiundæ. Id quum per literas miserabiliter pro fratris capite scriptas petisset Fulvius, negassentque Patres e republica esse [5], abscedi a Capua; postquam dies comitiorum aderat, Cn. Fulvius exsulatum Tarquinios abiit. Id ei justum exsilium esse, scivit plebs.

IV. Inter hæc vis omnis belli versa in Capuam erat: obsidebatur tamen acrius, quam oppugnabatur; nec aut famem tolerare servitia ac plebs poterant, aut mittere nuntios ad Hannibalem per custodias tam arctas. Inventus est Numida, qui, acceptis literis, evasurum se professus, ut promissum præstaret, per media romana castra nocte egressus, spem accendit Campanis, quum aliquid virium superesset, ab omni parte eruptionem tentandi. Cæterum in multis certaminibus equestria prælia ferme prospera faciebant [1]; pedites superabantur. Sed nequaquam tam lætum vincere, quam

C. Calpurnio prætore Urbis (vide ad XXV, 1, n. 7) *petit*, ut XLIII, 16, n. 8, nam tribuni pl. non alia comitia, quam tributa, habere poterant; centuriata vero non nisi a magistratibus aut nonnunquam a pontifice max. habebantur, et semper in iis, etiam quæstionibus perpetuis jam institutis, peragebatur judicium perduellionis, ut de criminibus, ad caput civis rom. pertinentibus, ipse populus cognosceret. Conf. I, 26, n. 5; VI, 20; XLIII, 18; Cic. Verr. I, 5, et pro Rabir. perd. Gruch. de Comit. I, 2; Sigon. de judic. III, 13; Manut. de Comit. cap. 14. *A prætore Urbis petit diem comitiis*, non a consulibus: unde patet, hos absentes fuisse et jam ab Urbe profectos. Confer ad XXV, 41, n. 8; XXVI, 15, n. 5; XXVI, 21, n. 1; XXXVIII, 44, n. 3.

5. *E republica esse;* vide ad VI, 22, n. 2.— *Id ei justum exsilium esse, scivit plebs:* hoc comitiis tributis decerni poterat, si reus, prius quam dies comitiorum aderat, in exsilium abiisset; Duk. Confer Gruch. de Comit. II, 2 extr., et Sigon. de Judic. III, 14: *justum* haud voluntarium, sed legitimum et publice decretum; Doer.

Cap. IV. 1. *Equestria prælia ferme prospera faciebant*, scil. Campani, et quidem, quia Romani numero pauciores erant, si fides habenda Valer. Max. II, 3, 3. Sed τὸ *faciebant* ad Romanos potius referendum videtur, ad quos etiam pertinent omnia, quæ proxime sequuntur; et forte excidit vox *Romani*, quæ h. l. non facile intelligenda est. — Immo Campani. Non video cur doct. *Ruperti* hæserit in hoc sensu: eruptionem tentant Campani;

triste vinci ulla parte erat ab obsesso et prope expugnato hoste. Inita tandem ratio est [2], ut, quod viribus deerat, arte æquaretur. Ex omnibus legionibus electi sunt juvenes, maxime vigore ac levitate corporum veloces : eis parmæ breviores, quam equestres [3], et septena jacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest. Eos singulos in equos suos accipientes equites assuefecerunt, et vehi post sese, et desilire perniciter, ubi signum datum esset. Postquam assuetudine quotidiana satis intrepide visum est fieri, in campum, qui medius inter castra murumque erat, adversus instructos Campanorum equites processerunt; et, ubi ad conjectum teli ventum est, signo dato velites desiliunt. Pedestris inde acies ex equitatu [4] repente in hostium equites incurrit, jaculaque cum impetu alia super alia emittunt. Quibus plurimis in equos virosque passim conjectis permultos vulneraverunt : pavoris tamen plus ex re nova atque inopinata injectum est; et in perculsum hostem equites invecti fugam stragemque [5] eorum usque ad portas fecerunt : inde equitatu quoque su-

qui equitatu superiores, pedestri acie superabantur (vid. ad XXXIII, 7, n. 6.). Romanis tamen obsidentibus *triste erat ulla parte*, equitatu, ab obsessis *vinci;* quare rationem inive-runt, etc. Sic omnia fiunt plana. Ed.

2. *Inita... est* a Romanis. Cf. Front. Str. IV, 7, 29, et Val. Max. II, 3, n. 3.

3. *Parmæ breviores, quam equestres;* quas *parmulas non amplas* dicit Frontinus et *parvum tegmen* Valerius Maximus. Formam materiemque, non magnitudinem parmarum equestrium describit Polyb. VI, 25, nec quisquam alius. Parma velitum περιφερὴς οὖσα τῷ σχήματι, τρίπεδον ἔχει τὴν διάμετρον, rotunda et tripedalis; v. ad XXXVIII, 21, n. 7; XLIV, 35, n. 8, et Polyb. VI, 22, n. 2; ubi confer Schweigh. Velitum autem genus singulare h. l. describitur (conf. not. 6); nec probabile est, equitum parmas majores fuisse quam tripedales. — *Septena jacula quaternos longa pedes data, præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest;* vide ad XXI, 55, n. 11, et XXIV, 34, n. 3, et de toto h. l. Lips. Mil. Rom. III, 1, et Schel. ad Polyb. cap. 14.

4. *Pedestris inde acies* (*res* Put.) *ex equitatu* facta.

5. *In perculsum hostem ..fugam stragemque eorum;* v. ad XXXV, 27,

perior romana res fuit. Institutum, ut velites in legionibus essent[6]. Auctorem peditum equiti immiscendorum centurionem Q. Navium[7] ferunt, honorique id ei apud imperatorem fuisse.

V. Quum in hoc statu ad Capuam res essent, Hannibalem diversum tarentinæ arcis potiundæ Capuæque retinendæ trahebant curæ[1]. Vicit tamen respectus Capuæ, in quam omnium sociorum hostiumque conversos videbat animos; documento futuræ[2], qualemcum-

n. 2. — *Romana res* Drak. e MS Put. pro vulg. *rom. acies.*

6. *Institutum, ut velites in legione rom. essent:* sic et Valer. Max. II, 3, n. 3, velitum usum eo bello primum dicit repertum (confer ad XXX, 33, n. 2): qui tamen diserte jam memorantur XXI, 55; XXIII, 29, et XXIV, 34. His itaque locis *velites* per prolepsin vel pro jaculatoribus dici putabant Duker. ad XXI, 55, et Lips. Mil. Rom. III, 1 et 4, et Anal. ad Mil. Rom. III, 1, pag. 426 seq. ubi monet, levem armaturam jam antea fuisse variaque ejus genera, rorarios, accensos, funditores, jaculatores, sagittarios, ac postea ferentarios, tela, fundas et lapides, *ferentes*, non tenentes; nunc vero institutos *Velites* proprie sic dictos. Enimvero nostro loco agi videtur de singulari quodam velitum genere et usu, scil. de *peditibus equiti immiscendis*, quales supra descripsit Livius et *velites* dixit, quia simile, nec tamen plane idem fuit militum genus: nam eadem fere armatura iis tribuitur, *velitares hastæ* et parmæ, similesque fuerunt *velitibus*, quos Festus in v. *advelitatio* dicit *expeditos* fuisse *milites*, *quasi volites*, *id est*, *volantes*. Forte etiam leg. *ut velites hi* vel *ii* vel *illi legionibus essent*. Magna tamen inde oritur difficultas, quod hujus velitum equis vectorum generis nulla post id tempus mentio fit in rom. historia. Confer Schweigh. ad Polyb. I, 33, et VI, 22, n. 2, cui assentior dicenti: « Quod Livius h. l. adjicit, id quale sit, quove pertineat, ipse viderit; nobis haud satis liquere profitemur. »

7. *Q. Navium*, quem *Nævium* dicunt Front. et Valer. — *Honorique id ei apud imperatorem fuisse:* forte *imperatores*, scil. Claudium Fulviumque coss., qui Capuam oppugnabant, ut *dum imperatores consuleret* XXV, 18. Confer tamen ad XXIV, 24, n. 1.

Cap. V. 1. *Hannibalem diversum... trahebant curæ*, in diversas partes, huc et illuc, animo trahehant (ut apud Cæs. B. G. I, 21), hoc est, dubium reddebant et incertum, quid primum decerneret et conaretur. Sic *diversum distrahi* dixit Plaut. Merc. II, 4, n. 2; *distrahor: tum hoc mihi probabilius, tum illud videtur*, Cic. Acad. IV, 44; *dividi* Sil. V, 102, ubi vide not. Conf. Virg. Æn. VIII, 20, 21, et Cort. ad Sallust. Jug. XXV, 6, *in diversum trahebant* (ut XXV, 6; XXXVIII, 56) ex MSS non nisi Harl., sed pleræque edd. antt. præter Rom. 1472 et Parm.

2. *Documento futuræ* Capuæ sociis hostibusque Romanorum, *qualemcumque eventum defectio* ejus *ab Romanis*

que eventum defectio ab Romanis habuisset. Igitur magna parte impedimentorum relicta in Bruttiis et omni graviore armatu [3], cum delectis peditum equitumque, quam poterat aptissimis ad maturandum iter, in Campaniam contendit: sequuti tamen tam raptim euntem tres et triginta elephanti. In valle occulta post Tifata montem imminentem Capuæ consedit. Adveniens quum castellum Galatiam [4], præsidio vi pulso, cepisset, in circumsedentes Capuam se vertit. Præmissis ante nuntiis Capuam, quo tempore castra romana aggressurus esset, ut eodem et illi, ad eruptionem parati, portis omnibus sese effunderent, ingentem præbuit terrorem: nam alia parte ipse adortus est; alia Campani omnes, pedites equitesque, et cum iis punicum præsidium, cui Bostar et Hanno præerant, erupit. Romani, ut in re trepida, ne ad unam concurrendo partem aliquid indefensi relinquerent, ita inter se copias partiti sunt: Ap. Claudius Campanis, Fulvius Hannibali est oppositus: C. Nero proprætor cum equitibus sextæ legionis via, quæ Suessulam fert; C. Fulvius Flaccus legatus cum sociali equitatu constitit e regione Vulturni amnis. Prælium non solito modo clamore ac

habuisset: nam si bonum, doceret illos, imitandum, si malum, vitandum esse factum ejus et exemplum defectionis. Confer ad Præf. n. 14.

3. *Graviore armatu* optimi MSS; *g. armatura* edd. ante Gron. Confer ad XXI, 55, n. 2. — *Quam* (quantum) *poterat*, scil. fieri *aptissimis* (nisi leg. *aptis* aut *aptatis*), ut passim *quantum* vel *ut potest* scil. fieri, possibile est.

4. *Castellum Galatiam* trans Vulturnum inter Capuam et Caudium, cujus indicia ostendit tabula Peutingeri in loco *le Galazze*, non Calatia, quæ cis Vulturnum sita, hodie *Capazzo*. Ita Camill. Peregr. de Capua diss. II, cap. 27. Confer Strab. lib. VI, pag. 283. — Hæc est MSS lectio, in qua certe nihil auris erudita desideret. Nempe Hannibal, ita rebus compositis, ut simul ipse, simul Campani invaderent Romanos, ingentem hostibus præbuit terrorem. Itaque judicat optime Creverius, temere et sine ulla causa, ante *ingentem*, pannum hunc assutum fuisse: *res nec explorata Romanis*. Optaret tantum vir clariss. ut ex Victorino cod. legeretur *præmissisque nunciis*, quo melius connecteretur oratio. Ed.

tumultu est cœptum, sed [5] ad alium virorum, equorum armorumque sonum, disposita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte cieri solet, edidit clamorem, ut averteret etiam pugnantium animos. Campanos facile a vallo Appius arcebat : major vis ab altera parte Fulvium, Hannibal et Pœni, urguebant. Legio ibi sexta loco cessit : qua pulsa, cohors Hispanorum cum tribus elephantis usque ad vallum pervasit ; ruperatque mediam aciem Romanorum, et in ancipiti spe ac periculo erat, utrum in castra perrumperet, an intercluderetur a suis [6]. Quem pavorem legionis periculumque castrorum Fulvius ubi vidit, Q. Navium primoresque alios centurionum hortatur, *ut cohortem hostium sub vallo pugnantem invadant. In summo discrimine rem verti* [7] *: aut viam dandam iis esse, et minore conatu, quam condensam aciem irrupissent, in castra irrupturos ; aut conficiendos sub vallo esse* [8]. *Nec magni certaminis rem fore : paucos esse ab suis interclusos ; et quæ, dum paveat Romanus* [9], *interrupta acies videatur, eam, si se utrimque in hostem vertat, ancipiti pugna medios circumventuram.* Navius ubi hæc imperatoris dicta accepit, secundi hastati signum [10] ademptum signifero in hostes infert;

5. *Prælium non solito modo clamore ac t. est cœptum, sed* etiam (vide ad I, 40, n. 1) *ad*, præter (vide Drak. et supra ad III, 42, n. 3), *alium virorum, equorum* (vide ad V, 37, n. 3) *armorumque sonum... cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte cieri solet ;* vide ad Juvenal. VI, 443, et ad Sil. VIII, 500.— *Averteret* a pugna ; *adverteret* (scil. ad se), duo MSS.

6. *Intercluderetur a suis*, ut III, 78; IV, 41 al. Multi MSS *includeretur ;* vide ad librum II, cap. 2, n. 9.

7. *In summo discrimine rem verti ;* vide ad III, 27, n. 6.

8. *Conficiendos sub vallo esse ;* vide ad II, 40, n. 8.

9. *Dum paveat Romanus* Drak. pro vulg. *dum paveat, Romanis i. a.* Gron. conj. *dum paveat, romana acies.* — *Ancipiti pugna*, a fronte et a tergo; vide ad I, 25, n. 4, et II, 62, n. 3.

10. *Secundi hastati signum ;* vide ad II, 27, n. 7.

jacturum in medios eos minitans, ni se propere sequantur milites, et partem capessant pugnæ. Ingens corpus erat, et arma honestabant; et sublatum alte signum converterat ad spectaculum cives hostesque. Cæterum, postquam jam ad signa pervenerat Hispanorum, tum undique in eum tragulæ conjectæ[11], et prope tota in unum acies versa: sed neque hostium multitudo, neque telorum vis arcere impetum ejus viri potuerunt.

VI. Et M. Atilius legatus, primi principis ex eadem legione signum[1] inferri in cohortem Hispanorum, coegit; et, qui castris præerant, L. Porcius Licinus et T. Popillius legati pro vallo acriter propugnant, elephantosque transgredientes in ipso vallo conficiunt. Quorum corporibus quum oppleta esset fossa, velut aggere aut ponte injecto, transitum hostibus dedit. Ibi per stragem jacentium elephantorum atrox edita cædes. Altera in parte castrorum jam impulsi erant Campani[2] punicumque præsidium, et sub ipsa porta Capuæ, quæ Vulturnum fert[3], pugnabatur: neque tam armati irrumpentibus Romanis resistebant, quam quod porta, ballistis scorpionibusque instructa, missilibus procul hostes arcebat. Et suppressit impetum Romanorum vulnus imperatoris Ap. Claudii, cui, suos ante

11. *In eum tragulæ conjectæ;* vide ad XXI, 7, n. 6.

Cap. VI. 1. *Primi principis signum;* vide ad II, 27, n. 7. — *Inferri* ab signifero *coegit* illud: duriter dictum. Forte leg. *inferre cœpit.* — *Pro vallo acriter propugnant* Put. et Flor. vere et proprie; vide Gron. Obss. IV, 19, pag. 304. *Pugnant* alii. — *Conficiunt;* vide ad II, 40, n. 8. — *Per stragem;* vide ad V, 12, n. 6.

2. *Jam impulsi erant Campani;* vide supra ad librum I, cap. 14, n. 8.

3. *Porta Capuæ, quæ Vulturnum* opp. (*ad Vulturnum*, scil. fluvium edd. ante Gron.) *fert:* proprie *via aliquo ferre* et *ducere* dicitur. Confer cap. 5, et ad XXII, 14, n. 1. Mox pro *resistebant* MS Put. *resistabant*, unde *restabant* (vide ad IV, 58, n. 5) conj. Gron. Idem et Drak. mox τὸ *quod* post *quam* alieno loco inculcatum putabant. Confer ad XXVIII, 43, n. 2. — *Scorpionibusque;* vide ad XXIV,

prima signa adhortanti, sub lævo humero summum pectus gæso ictum est : magna tamen vis hostium ante portam est cæsa ; cæteri trepidi in urbem compulsi. Et Hannibal, postquam cohortis Hispanorum stragem vidit, summaque vi castra hostium defendi, omissa oppugnatione, recipere signa [4] et convertere agmen peditum, objecto a tergo equitatu, ne hostis instaret, cœpit. Legionum ardor ingens ad hostem insequendum fuit : sed Flaccus receptui cani jussit ; satis ad utrumque profectum [5] ratus, ut et Campani, quam haud multum in Hannibale præsidii esset, et ipse Hannibal sentiret. Cæsa eo die, qui hujus pugnæ auctores sunt [6], octo millia hominum de Hannibalis exercitu, tria ex Campanis tradunt ; signaque Carthaginiensibus quindecim adempta, duodeviginti Campanis. Apud alios nequaquam tantam molem pugnæ inveni, plusque pavoris, quam certaminis, fuisse ; quum inopinato in castra romana Numidæ Hispanique cum elephantis irrupissent ; elephanti, per media castra vadentes, stragem tabernaculorum ingenti sonitu ac fugam abrumpentium vincula jumentorum facerent : fraudem quoque super tumultum adjectam, immissis ab Hannibale, qui (habuit aliquot) gnari latinæ linguæ juberent consulum verbis [7], quoniam amissa castra essent, pro se quemque militum in proximos montes fugere : sed eam celeriter cognitam fraudem oppressamque magna

34, n. 5. — *Gæso ;* v. ad VIII, 8, n. 3.

4. *Recipere signa*, retrahere, reducere, ut XXVIII, 7, n. 8, et apud Virg. Æn. IX, 348.

5. *Satis ad utrumque* efficiendum *profectum* esse, hac pugna hostiumque strage satis et Campanos fuisse edoctos, quam parum præsidii in Hannibale esset, et ipsum Hannibalem, quam parum in se præsidii esset. Confer ad III, 61, n. 4. *Ad utrumque*, ad duas res efficiendas, scil. *ut et Campani*, etc.

6. *Qui hujus pugnæ auctores sunt;* vide ad II, 58, n. 1.

7. *Juberent consulum verbis;* vide ad IX, 36, n. 7. Paulo ante verba *habuit aliquot* prorsus suspecta Gronovio, non Drak.

cæde hostium; elephantos igni e castris exactos[8]. Hoc ultimum (utcumque initum finitumque est) ante deditionem Capuæ prælium fuit. Medixtuticus, qui summus magistratus apud Campanos est, eo anno Seppius Lesius erat, loco obscuro tenuique fortuna ortus. Matrem ejus quondam, pro pupillo eo[9] procurantem familiare ostentum, quum respondisset haruspex, summum quod esset imperium Capuæ, perventurum ad eum puerum, nihil ad eam spem agnoscentem[10], dixisse ferunt « Næ tu perditas res Campanorum narras, « ubi summus honos ad filium meum perveniet! » Ea ludificatio veri[11], et ipsa in verum vertit : nam quum fame ferroque urguerentur, nec spes ulla superesset, iis, qui nati in spem honorum erant, honores detrectantibus, Lesius, querendo desertam ac proditam a primoribus Capuam, summum magistratum ultimus omnium Campanorum cepit.

VII. Cæterum Hannibal, ut nec hostes[1] elici amplius ad pugnam vidit, nec per castra eorum perrumpi ad Capuam posse, ne suos quoque commeatus intercluderent novi consules, abscedere irrito incepto et movere a Capua statuit castra. Multa secum, quo jam inde ire pergeret, volventi subiit animum impetus, ca-

8. *Elephantos igni e castris exactos:* nam eos pavere ignem fumumque, nota res est. — *Medixtuticus summus magistratus apud Campanos;* vide ad IX, 20, n. 2, et XXIII, 35, n. 7.

9. *Pro pupillo eo,* puerulo (quæ propria verbi vis est) vel potius filio, qui patre orbatus erat (nam pater id potius, si vixisset, quam mater, fecisset; Drak.) *procurantem familiare ostentum;* vide ad VIII, 9, n. 1.

10. *Nihil ad eam spem agnoscentem,* matrem, reperientem videntemve haud quidquam, quod ad talem spem concipiendam firmandamque valeret.

11. *Ea ludificatio veri* responsi haruspicis *ipsa* quoque *in verum vertit* se, versa est; vide ad II, 3, n. 2. Mulier, dum haruspicem vera prænuntiantem ridet, et ipsa inscia vocem mali ominis edidit, quod exitus comprobavit; Doer.

Cap. VII. 1. *Cæterum Hannibal, ut nec hostes,* etc.; confer ad hoc et seqq. capp. Polyb. IX, 3-7. — *Quo jam inde,* etc., ut III, 36 pr. *Quonam inde* recepit Drak. e conjectura Murat. et Gron.

put ipsum belli Romam [2] petendi : cujus rei semper cupitæ prætermissam occasionem post cannensem pugnam et alii vulgo fremebant, et ipse non dissimulabat. *Nec opinato pavore ac tumultu, non esse desperandum, aliquam partem urbis occupari posse; et, si Roma in discrimine esset*[3], *Capuam extemplo omissuros aut ambo imperatores romanos, aut alterum ex iis; et, si divisissent copias, utrumque infirmiorem factum aut sibi, aut Campanis, bene gerendæ rei fortunam daturos esse.* Una ea cura angebat, ne, ubi abscessisset, extemplo dederentur Campani. Numidam promptum ad omnia audenda donis perlicit, ut, literis acceptis, specie transfugæ castra romana ingressus, altera parte Capuam clam pervadat. Literæ autem erant adhortatione plenæ : *Profectionem suam, quæ salutaris illis foret, abstracturam ad defendendam Romam ab oppugnanda Capua duces atque exercitus romanos. Ne desponderent animos : tolerando paucos dies totam soluturos obsidionem.* Inde naves in flumine Vulturno comprehensas subigi [4] ad id, quod jam ante

2. *Caput ipsum belli Romam* (vide ad IV, 31, n. 8, et VI, 14, n. 9) *petendi*, eundi, vel adoriendi : ut *se tertium peti* XXXVII, 25, n. 2, et *Vestæ ædem petere* XXVI, 27, n. 9, scilicet incendio, ut al. sagittis, lapide, etc.

3. *Et si Roma in discrimine esset*, etc. Hæc est altera spes Hannibalis, eaque præcipua causa cur Romam sibi petendam putet. Hic igitur cum Creverio perbene locum esse censemus particulæ *et*, quam exhibet Puteanus cod. aliis alludentibus, qui præferunt *ei*. Sigonius jusserat legi *eo;* parum utile additamentum. Hoc autem semel statuto, mallemus in seqq. restitui edd. ante Gronovium lectionem, *qui si divisissent copias*. Ea hostem abstrahendi ratio multis successit, v. c. Agathocli, Scipioni, aliisque. Ed. — *Cap. extemplo omissuros*, ejus obsidionem. Confer ad III, 46, n. 7. — *Ambo imperatores;* vide ad III, 62, n. 4. — *Una ea cura angebat.* Polybius lib. IX, cap. 5 : Πάνυ ἠγωνία, μὴ θεωρήσαντες αὐτὸν ἀπαλλαττόμενον οἱ Καπυηνοὶ, κἄπειτα διατραπέντες, ὡς ἀπηλπισάμενοι, παραδῶσι τοῖς Ῥωμαίοις ἑαυτούς. Confer eumdem de seqq. Ed.

4. *Naves in Vulturno comprehensas subigi ad castellum*, agi (scil. remigiis), ut apud Virg. Georg. I, 202, et Æn. VI, 302; Sil. XIII, 610; XV, 218, et *adigere;* vide ad Tac. Ann. II, 7,

præsidii causa fecerat, castellum jussit. Quarum ubi tantam copiam esse, ut una nocte trajici posset exercitus, allatum est, cibariis decem dierum præparatis, deductas nocte ad fluvium legiones ante lucem trajecit.

VIII. Id prius quam fieret, ita futurum[1] compertum ex transfugis, Fulvius Flaccus senatui Romam quum scripsisset, varie hominum animi pro cujusque ingenio affecti sunt. Ut in re tam trepida, senatu extemplo vocato, P. Cornelius, cui Asinæ cognomen erat, omnes duces exercitusque ex tota Italia, neque Capuæ, neque ullius alterius rei memor[2], ad Urbis præsidium revocabat[3]. Fabius Maximus, abscedi a Capua terreriique et circumagi ad nutus comminationesque Hannibalis, flagitiosum ducebat: *Qui ad Cannas victor ire tamen ad Urbem ausus non esset, eum, a Capua repulsum, spem potiundæ urbis Romæ cepisse? Non ad Romam obsidendam, sed ad Capuæ liberandam obsidionem*[4], *ire. Romam cum eo exercitu, qui ad urbem esset, Jovem, fœderum ruptorum ab Hannibale testem*[5], *deosque alios defensuros esse.* Has diversas sententias

n. 1. *Naves comprehensas* Livius dixit, ut XXIX, 24, et Suet. Tib. 38, et Calig. 39, quo sensu *contrahere* Suet. Cal. 19, et *conquirere* Tac. Ann. I, 47, vel etiam alii *retinere*, germ. *anhalten, in Beschlag nehmen.*

Cap. VIII. 1. *Id priusquam fieret ...compertum*, etc. Polybius in tota hac narratione quæ lib. IX habetur, multam a Livio discrepat. Neque enim Romanos ante comperisse consilium Hannibalis, quam Pœnus trajecto Aniene exercitu quadraginta stadiis ab Urbe castra posuerit. Tum nihil omnino de Fulvio a Capua revocato mentionem facit. Romam denique eo exercitu, in præsidium urbis relicto, defensam esse a consulibus memorat. Utrius potior sit fides, Polybii an Livii, quum decernere non ausus fuerit Creverius, non committam ut ego judicem. Sed in re tam clara tamque illustri eos tantopere dissentire vehementer miror. Ed. — *Ut in re tam trepida;* confer ad VIII, 30, n. 7.

2. *Neque ullius alterius rei memor;* vide ad III, 36, n. 8.

3. *Ad Urbis præsidium revocabat;* vide ad III, 21, n. 3. — *Flagitiosum*, ignominiosum.

4. *Ad Capuæ liberandam obsidionem* optimi MSS pro vulg. *ad Capuam lib. obsidione*, ut XXXVI, 25.

5. *Jovem fœderum ruptorum testem* et perjurii vindicem: unde ὅρκιος et ὅρκων ταμίας dicebatur.

media sententia P. Valerii Flacci vicit[6]; qui, utriusque rei memor, imperatoribus, qui ad Capuam essent, scribendum censuit: *Quid ad Urbem præsidii esset, quantas autem Hannibal copias duceret, aut quanto exercitu ad Capuam obsidendam opus esset, ipsos scire. Si et Romam e ducibus alter, et exercitus pars mitti posset, ut ab reliquo et duce et exercitu Capua recte obsideretur; inter se compararent*[7] *Claudius Fulvius-que, utri obsidenda Capua, utri, ad prohibendam obsidione patriam, Romam veniundum esset.* Hoc senatusconsulto Capuam perlato, Q. Fulvius proconsul, cui, collega ex vulnere ægro, eundum Romam erat, e tribus exercitibus[8] milite electo, ad quindecim millia peditum, mille equites, Vulturnum traducit. Inde quum Hannibalem Latina via iturum satis comperisset, ipse per Appiæ municipia, quæque propter eam viam sunt, Setiam, Coram, Lanuvium præmisit, ut commeatus paratos et in urbibus haberent, et ex agris deviis in viam proferrent, præsidiaque in urbes con-

6. *Has diversas sententias media* (vide ad I, 32, n. 5) *sententia* (quæ vox forte delenda) *P. Valerii Flacci vicit*, qui consul fuit an. Urb. 525, ut *P. Cornelius* Scipio *Asina* an. 531. — *Utriusque rei*, Capuæ obsidendæ Romæque tuendæ, *memor;* vide ad III, 36, n. 8.

7. *Inter se compararent;* vide ad III, 2, n. 1.

8. *E tribus exercitibus*, suo, Ap. Claudii et C. Claudii Neronis; Duk. Confer cap. 1 et 5, et XXV, 22. — *Latina via;* vide ad II, 39, n. 3. — *Per Appiæ* viæ (de qua vide ad IX, 29, n. 5) *municipia*, hoc est, *quæ propter*, juxta, *eam viam sunt:* unde verba *quæque...sunt* glossatori tribuenda, aut saltem *quæve* legendum suspicari possis. Sed sensus potius est: *quæque* urbes seu coloniæ *propter eam viam sunt:* nam *Setia*, et *Cora* non *municipia* tum erant, sed coloniæ, in quibus non modo supra II, 16, 22, VI, 30 et al., sed etiam infra XXVII, 9, et XXIX, 15 numerantur. Solum *Lanuvium* fuit municipium; vide ad VIII, 14, n. 2. « Sigonius de ant. jur. Ital. II, 9, Velserus rer. August. V, pag. 279, et Otto de Ædil. et Colon. cap. 1, docent, interdum easdem urbes modo *colonias*, modo *municipia* vocari. Dici etiam potest, quia Lanuvium sine controversia *municipium* fuit, Setiam et Coram eodem nomine comprehendi. » Duk. — *Præmisit, ut commeatus*, etc.; vide ad VIII, 19, n. 10.

traherent, ut sua cuique respublica [9] in manu esset.

IX. Hannibal, quo die Vulturnum est transgressus, haud procul a flumine castra posuit. Postero die præter Cales in agrum sidicinum pervenit. Ibi diem unum populando moratus, per Suessulam [1], allifanumque et casinatem agrum via Latina ducit. Sub Casinum biduo stativa habita et passim populationes factæ. Inde, præter Interamnam Aquinumque, in fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum : ubi intercisum pontem a Fregellanis morandi itineris causa invenit. Et Fulvium Vulturnus tenuerat amnis, navibus ab Hannibale incensis, rates ad trajiciendum exercitum, in magna inopia materiæ [2], ægre comparantem. Trajecto ratibus exercitu, reliquum Fulvio expeditum iter, non per urbes modo, sed circa viam, expositis benigne commeatibus [3], erat : alacresque milites alius alium, ut adderet gradum, memor ad defendendam ire patriam, hortabantur. Romam fregellanus nuntius, diem

9. *Ut sua cuique resp.* (cives) *in manu esset;* cf. XXIV, 33; XXXIX, 50; XLV, 23, ubi vide Drak.

Cap. IX. 1. *Per Suessulam* (forte *suessulanum*) *allifanumque et casinatem agrum :* per Samnium dicit Polyb. IX, 5, in quo etiam Allifæ sunt et Casinum : at Suessula in Campania; Sigon. Immo leg. *per suessanum venafranumque,* etc., nam qui Capua Romam profecturus jam *in agrum sidicinum* pervenerat, non per Suessulam, oppidum longe retro inter Capuam et Nolam situm, allifanum venafranumque petiit agrum; et Allifæ cis Vulturnum sitæ, quem Hannibal jam transgressus erat; Cluver. Ital. ant. III, 8, pag. 1035, et IV, 5, pag. 1182. Confer Sil. XII, 524 seq. ubi eadem oppida memorantur præter Suessulam. Agrum forte allifanum ad dextram quoque Vulturni ripam pertendisse, monet Crev. — *Via Latina ducit;* vide ad I, 23, n. 4, et II, 39, n. 3. — *Sub Casinum*, prope, juxta C., ut *sub muros missi* XLIV, 45, nisi hoc dictum pro *ad muros.*

2. *In magna inopia materiæ;* vide ad VI, 2, n. 6. — *Rates... ægre comparantem. Ratis* est vel scapha subitaria et tumultuaria, ut ait Creverius, vel tignorum series consertis inter se doliorum ordinibus sustentata, quam gallice vocamus *un radeau.* Prior sensus hic magis convenire videtur. Cæterum *ratis* pro *nave* non raro, præsertim apud poetas, usurpari plane notum est. Ed.

3. *Expositis benigne commeatibus,* ex urbibus destinatum in locum deportatis ad usum iter facientium; Ern. — *Memor ad defendendam patriam*

noctemque itinere continuato, ingentem attulit terrorem. Tumultuosius, quam allatum erat, cursus hominum, adfingentium vana auditis, totam Urbem conciverat. Ploratus mulierum non ex privatis solum domibus exaudiebatur; sed undique matronæ, in publicum effusæ[4], circa deum delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes, nixæ genibus, supinas manus ad cælum ac deos tendentes, orantesque, ut urbem romanam e manibus hostium eriperent, matresque romanas et liberos parvos inviolatos servarent. Senatus magistratibus in foro præsto est, si quid consulere velint. Alii accipiunt imperia, discedunturque ad suas quisque officiorum partes: alii offerunt se, si quo usus operæ sit[5]. Præsidia in arce, in Capitolio, in muris, circa Urbem, in monte etiam Albano atque arce Æsulana[6] ponuntur. Inter hunc tumultum Q. Fulvium proconsulem profectum cum exercitu a Capua affertur: cui ne minueretur imperium[7], si in Urbem venis-

ire, scil. se: nisi leg. *iri*. — *Tumultuosius, quam allatum erat*, etc., hoc est, homines huc illuc discurrentes et auditis vana affingentes majorem, quam pro eo, quod nuntiatum erat, fas fuit, in tota Urbe tumultum concitaverant; Doer.

4. *Matronæ in publicum effusæ;* vide ad I, 14, n. 7, et II, 24, n. 6. — *Crinibus passis* (vide ad I, 13, n. 1) *aras verrentes*, ut apud Stat. Theb. IX, 638, vel templa, ut supra III, 7, n. 5, quod in supplicationibus publicoque luctu fieri solebat. Confer ad Sil. VI, 560 seq. et Drak. supra ad III, 7, n. 8, *areas* (pavimenta) *verrentes* conj. Schweigh. ad Polyb. IX, n. 6: πλύνουσαι ταῖς κόμαις τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη, etc., quem locum Livius expressit.

5. *Si quo* modo *usus operæ sit*, ut XXVII, 28, n. 3; XXXVII, 52; XL, 26 extr. ubi *quo* Drak. exponendum docet quo modo, vel quo loco, vel aliquo, ad aliquid. In finem et usum aliquem; Doer. *Qua* al.

6. *Arce Æsulana* MSS et edd. antt. *Tusculana* quædam edd. *Æsula*, seu *Æsulum* et *Æsola*, Latii opp. inter Tibur forsan et Præneste situm, cujus nullum Plinii ævo superfuit vestigium. Confer Hor. Od. III, 29, n. 6; Vellei. I, 14, et Plin. III, 5, s. 9.

7. *Cui ne minueretur imperium*, quod fere extra Urbem habebant magistratus amittebantque e provinciis cum aut sine exercitu redeuntes, simul ac *in Urbem venissent*, vel abiissent magistratu provinciamque successori tradidissent. Confer ad cap. 21,

set, decernit senatus, ut Q. Fulvio par cum consulibus imperium esset. Hannibal, infestius perpopulato agro fregellano propter intercisos pontes, per frusinatem ferentinatemque et anagninum agrum in lavicanum venit. Inde Algido Tusculum petiit [8]: nec receptus mœnibus, infra Tusculum dextrorsus Gabios descendit. Inde in Pupiniam exercitu demisso [9], octo millia passuum ab Roma posuit castra. Quo propius hostis accedebat, eo major cædes fiebat fugientium, præcedentibus Numidis; pluresque omnium generum atque ætatium capiebantur.

X. In hoc tumultu Fulvius Flaccus, porta Capena cum exercitu Romam ingressus, media urbe per Carinas Esquilias [1] contendit. Inde egressus, inter Esquilinam Collinamque portam posuit castra; ædiles plebis commeatum eo comportarunt; consules senatusque in castra venerunt: ibi de summa republica consultatum. Placuit, consules circa portas Collinam Esquilinamque ponere castra: C. Calpurnium prætorem urbanum Capitolio atque arci præesse: et senatum

n. 3, ad XLV, 35, n. 2, et ad Tac. Ann. III, 19, n. 6; Cujac. Obss. XII, 13; Gruch. Refut. poster. disp. Sigon. cap. 4.

8. *Inde Algido Tusculum petiit;* sed ita retro castra retulisset, quia Algidum opp. inter Tusculum Albanumque montem situm erat: quare forsan leg. *inde ab Pedo T. p.*, Jac. Gron. coll. II, 39. Ordinem invertit Sil. XII, 534 seq. — De hoc loco magna lis exorta est inter celeberrimos viros Jac. Gronovium, et Raph. Fabrettum. Consule, si vacat, Jacobi Gronovii tertiam Dissertat. epist.; Fabretti Dissertationem tertiam de Aquis et Aquæductibus; Respons. Gronovii ad Cavillationes Raph. Fabretti, et Fabretti Apologeticon ad Grunnovium. Ed.

9. *In Pupiniam* tribuni *exercitu demisso*, ut XXXIII, 37 pr. *per tribum Sappiniam in Boios venit;* Sigon. *Pupinia* seu *ager Pupiniensis* IX, 41, n. 6, ager Romæ vicinus circa Tusculum et versus Etruriam, a quo dicta *tribus Pupinia;* vide Varr. Re. R. I, 9, n. 5; Colum. I, 4, n. 2; Cic. Agr. II, 35; Valer. Max. IV, 4, n. 4 et 6; Festum et Schelleri Lex.

Cap. X. 1. *Per Carinas*, totam fere tertiam regionem Urbis inter *Esquilias* (vide ad I, 44, n. 6) et Cœlium montem. Confer Heyn. ad Virg. Æn. VIII, 361. — *De summa republica;* vide ad III, 5, n. 6.

frequentem in foro contineri, si quid in tam subitis rebus consulto opus esset. Inter hæc Hannibal ad Anienem fluvium, tria millia passuum ab Urbe[2], castra admovit. Ibi stativis positis, ipse cum duobus millibus equitum a porta Collina[3] usque ad Herculis templum est progressus; atque, unde proxime poterat, mœnia situmque Urbis obequitans contemplabatur. Id eum tam licenter atque otiose facere, Flacco indignum visum est. Itaque immisit equites, submoverique atque in castra redigi hostium equitatum jussit. Quum commissum prælium esset, consules transfugas Numidarum[4], qui tum in Aventino ad mille et ducentos erant, media Urbe transire Esquilias jusserunt; nullos aptiores, inter convalles tectaque hortorum et sepulcra aut cavas undique vias, ad pugnandum futuros rati. Quos quum ex arce Capitolioque[5] clivo Publicio in equis decurrentes quidam vidissent, captum Aventinum con-

2. *Ad Anienem fl. tria millia passuum ab Urbe :* ita et Flor. II, 6, 44, 56, ac Plinius XV, 18, seu 20, sed XL stadia aut 5000 pass. Polyb. IX, 5, et quatuor mill. pass. Appian. b. Hann. 38, et Eutrop.

3. *A porta Coll.,* in quinta regione Urbis juxta Quirinalem et Viminalem *colles*, planitie ibi æquata conjunctos *usque ad Herculis* et Honoris *templum* extra murum, contra illam regionem et prope Sacrum montem, exstructum. Confer ad Epit. hujus libri n. 1; Cic. Leg. II, 23, et Plin. loco laud. *Ad portam Collinam* ed. Ald. et aliæ perperam, unde quidam, v. c. Donat. Rom. vet. IV, 4, et Nardin. Rom. ant. III, 15, putarunt, templum Herculis extra portam Collinam fuisse. Cæterum noctu Hannibalem cum tribus modo speculatoribus situm Urbis clam contemplatum esse, tradit Appianus b. Hann. 40, hastas vero, sed ab eo solo, intra muros ejus missas Plin. XXXIV, 6, s. 15.

4. *Transfugas Numidarum*, etc.; confer XXIII, 46.

5. *Quum ex arce Capitolioque* (vide ad I, 55, n. 6, et V, 47 pr.) *quidam*, ibi stantes, *vidissent* eos *in equis decurrentes clivo Publicio*, ut ex Aventino monte transirent Esquilias : nam clivus Publicius est in XIII regione Urbis ad orientale latus montis Aventini, qui per eum ascenditur descenditurque. PUBLICIUS CLIVUS *appellatur, quem duo fratres L. et M. Publicii Malleoli* (confer ad Tac. Ann. II, 49, n. 2) *ædiles curules pecuariis condemnatis ex pecunia, quam ceperant, munierunt, ut in Aventinum vehiculis Velia veniri posset;* Festus. Confer XXVII, 37 extr. XXX, 26; Ovid. Fast. V, 285 seq. Varr. L. L. IV, 32,

clamaverunt. Ea res tantum tumultum ac fugam præbuit, ut, nisi castra punica extra Urbem fuissent, effusura se omnis pavida multitudo fuerit. Tunc in domos atque in tecta refugiebant, vagosque in viis suos pro hostibus lapidibus telisque incessebant. Nec comprimi tumultus aperirique error poterat, refertis itineribus agrestium turba pecorumque, quæ repentinus pavor in Urbem compulerat. Equestre prælium secundum fuit, submotique hostes sunt; et, quia multis locis comprimendi tumultus erant, qui temere oriebantur, placuit, omnes, qui dictatores, consules censoresve fuissent, cum imperio esse, donec recessisset a muris hostis. Et diei quod reliquum fuit, et nocte insequenti, multi temere excitati tumultus sunt compressique.

XI. Postero die transgressus Anienem Hannibal in aciem omnes copias eduxit; nec Flaccus consulesque certamen detrectavere. Instructis utrimque exercitibus in ejus pugnæ casum, in qua urbs Roma[1] victori præmium esset, imber ingens grandine mixtus ita utramque aciem turbavit, ut vix armis retentis in castra sese receperint, nullius rei minore, quam hostium metu. Et postero die eodem loco acies instructas eadem tempestas diremit. Ubi recepissent se in castra, mira serenitas cum tranquillitate oriebatur. In religionem ea res apud Pœnos versa est[2]; auditaque vox

et Donat. de urbe Roma II, 11. *Publicio* e MSS Put. a manu secunda Flor. et Gud. recepi pro vulgata lectione *publico*, quod suaserant Gronovii ad XXVII, 37.

Cap. XI. 1. *In qua urbs Roma*, etc. τὸ *in* ortum esse ex præc. litera *m*, suspicabatur Duk. — *Imber ingens grandine mixtus*, etc., quam tempestatem non memorant Polyb. IX, 6, 7, et Appian. B. Hann. 40, neque eas-dem, quas mox Livius, sed alias, et quisque diversas, discessus Pœnorum causas. Acies autem ter instructas et tempestate diremptas memorant Epit. Liv. et alii. — *Nullius rei minore, quam hostium, metu*, de nulla re minus, quam de hostibus, nunc solliciti, omni hostium metu nunc plane liberi; Doer.

2. *In religionem ea res versa;* vide ad II, 5, n. 4.

Hannibalis fertur, « Potiundæ sibi urbis Romæ modo « mentem non dari[3], modo fortunam ». Minuere etiam spem ejus aliæ, parva magnaque, res : magna illa, quod, quum ipse ad mœnia urbis Romæ armatus sederet, milites sub vexillis in supplementum Hispaniæ profectos audivit : parva autem, quod per eos dies eum forte agrum, in quo ipse castra haberet, venisse, nihil ob id deminuto pretio, cognitum ex quodam captivo est. Id vero adeo superbum atque indignum visum, ejus soli, quod ipse bello captum possideret haberetque, inventum Romæ emptorem, ut, extemplo vocato præcone, tabernas argentarias[4], quæ circa forum romanum tunc essent, jusserit venire. His motus ad Tutiam fluvium castra retulit, sex millia passuum ab Urbe. Inde ad lucum Feroniæ pergit[5] ire, templum ea tempestate inclytum divitiis. Capenates aliqui accolæ ejus erant ; primitias frugum eo donaque alia pro copia portantes, multo auro argentoque id exornatum habebant : his omnibus donis tum spo-

3. *Modo mentem non dari,* scilicet post victoriam ad Cannas. Mox delevi importunum *et* ante *aliæ*. — Hæc memoravit vir ante omnes facundus et cujus nomen ipsam eloquentiam repræsentat Bossuet, *Oraison funèbre de la reine d'Angleterre :* « Rome, « que tu tenais, t'échappe, et le destin « ennemi t'a ôté tantôt le moyen, « tantôt la pensée de la prendre. » Ed.

4. *Tabernas argentarias* (vide ad III, 27, n. 3) *jusserit venire*, vendens similiter, quæ Romani *possiderent haberentque*, quasi jam ceperit Romam, aut neutiquam dubitaret, quin propediem a se caperetur. — *His motus*, hac Romanorum fiducia. — *Ad Tutiam fluvium ;* confer Sil. XIII, 5, 6, et Cluver. Ital. II, 10.

5. *Ad lucum Feroniæ pergit ire* et (quod forte excidit) *templum... divitiis ;* vide ad I, 30, n. 4, et XXII, 15, n. 6. Mox forte leg. *Capenates, qui* vel *C. olim, qui accolæ ejus erant* (confer XXVII, 4, et ad I, 30, n. 4), *primitias frugum* (ἀπαρχὰς, quæ diis offerri solebant) *eo donaque*, etc. Ita τῷ *olim* mox *tum* opponitur. *Capenates aliique, qui accolæ*, etc., vel *C. Faliscique accolæ, primitias*, etc., conj. Gron. — Walchius omnes aliorum conjecturas sibi non placere ait, emendandumque censet, *Capenates antiqui*, quæ vox in MSS ita scripta forsan fuerit *ātiqui*, et in *aliqui* mutata a librariis. Ipsum vide in Emend. pag. 148. Ed. — *Pro copia ;* vide ad VII, 33, n. 2, et XXVIII, 21, n. 6.

liatum templum. Æris acervi, quum rudera milites religione inducti jacerent [6], post profectionem Hannibalis magni inventi. Hujus populatio templi haud dubia inter scriptores est. Cœlius, Romam euntem ab Ereto [7] devertisse eo Hannibalem, tradit; iterque ejus ab Reate Cutiliisque et ab Amiterno orditur. Ex Campania in Samnium, inde in Pelignos pervenisse; præterque oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse; inde albensi agro [8] in Marsos, hinc Amiternum Forulosque vicum venisse. Neque ibi error est [9], quod tanti exercitus vestigia intra tam brevis ævi memoriam potuerint confundi: isse enim ea constat. Tantum id vel ex ingenti præda, quam Capua Romam euntes cepere (vid. Polyb. IX, 6), vel ex ipsis templi thesauris; e quibus quum primum etiam æs rapuissent, deinde forsan religione tacti id ibi relinquendum existimarunt. Sed hoc non intelligo, quæ ista religio rudera jaciendi, ne sacrilegium admisisse viderentur, esse potuerit iis, qui omnibus aureis argenteisque donis templum spoliaverant.» Duk. Ita eos quodammodo expiare sacrilegium voluisse, monet Doer. — Walchius, Emend. pag. 155, emendat *religione intacti;* quia voluit Livius: «quum milites rudera abjicerent, spargerent»; quippe quæ *comparatione meliorum*, ut ait Curtius, avaritia contempserat. Cæterum major est impietas, veterum opinione, *sacra disjicere*, majoremque deorum contemptum præferens, quam auferre. Ipse quoque *Büttner*, Obs. pag. 71, haud repudiandam censet Walchii conjecturam. Mea quidem sententia hic in temere abjicientes rudera milites egregie convenit epitheton *religione intacti*. Ed.

7. *Cælius* (vide ad XXI, 38, n. 8) *Romam euntem ab Ereto* (vide ad III, 26, n. 1) *devertisse* (vide ad I, 51, n. 2) *eo*, ad eum lucum Feroniæ, *Hannibalem tradit*, non, ut plerique, Roma redeuntem. — *Ex Campania in Samnium*, etc., ita iter, ante brevius traditum, accuratius describitur.

8. *Albensi agro;* vide ad X, 1, n. 1. — De *Amiterno* et *Forulis*, Sabinorum oppidis, vide ad Sil. VIII, 414, 415.

9. *Neque ibi*, in eo (nisi leg. *inde*) *error est*, causa diversæ scriptorum narrationis (confer not. 7) quærenda. — *Intra tam brevis ævi memoriam*, a Cœlio aliisque paulo post viventibus. Confer ad XXI, 38, n. 8. — *Isse*

6. *Quum rudera milites religione inducti* (vide ad II, 5, n. 4) *jacerent*, in medium projicerent. *Rudus*, *rodus* et *raudus* dicebatur æs *rude*, seu infectum, et *rauduscula* particulæ ejus. Confer Salmas. mod. usur. pag. 26, Intpp. Valer. Max. V, 6, 3; Varr. L. L. IV, 34, et Fest. « *Jacere* h. l. dictum, ut III, 18, n. 7, et apud Suet. Aug. 57, *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant.* Tanta æris copia militibus Hannibalis suppetere potuit

interest, veneritne eo itinere ad Urbem, an ab Urbe in Campaniam redierit [10].

XII. Cæterum non quantum pertinaciæ ad premendam obsidione Capuam Romanis fuit, tantum ad defendendam Hannibali: namque ex Lucanis in bruttium agrum, ad fretum vero ac Rhegium [1] eo cursu contendit, ut prope repentino adventu incautos oppresserit. Capua etsi nihilo segnius obsessa per eos dies fuerat, tamen adventum Flacci sensit; et admiratio orta est, non simul regressum Hannibalem. Inde per colloquia intellexerunt, relictos se desertosque, et spem Capuæ retinendæ deploratam apud Pœnos esse. Accessit edictum proconsulis [2] ex senatus consulto propositum vulgatumque apud hostes: *ut, qui civis campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset.* Nec ulla facta est transitio, metu magis eos quam fide, continente; quia majora in defectione deliquerant, quam quibus ignosci posset. Cæterum quemadmodum nemo privato consilio ad hostem transibat, ita nihil salutare in medium consulebatur [3]. Nobilitas rem publicam deseruerat [4], neque in senatum cogi

enim exercitum *ea* via (vide ad III, 70, n. 2). *constat* inter scriptores: *tantum id interest* (inter eos), etc. Confer ad VIII, 39, n. 3.

10. *An ab Urbe in Campaniam redierit:* id non credidit Livius (vide cap. seq. pr.), sed tradit Polyb. IX, 7.

Cap. XII. 1. *Ex Lucanis in bruttium agrum, ad fretum* Siculum *vero ac Rhegium* (vide ad XXIII, 30, n. 5), etc.; confer Polyb. IX, 7. — *Nihilo* (al. *nihil*) *segnius*, ut II, 47; XXXII, 22; XXXV, 9; J. Gron. — *Adventum* Q. Fulvii *Flacci*, Roma regressi, *sensit*, gravius afflicta nunc novi exercitus impetu.

2. *Accessit edictum proconsulis*, ejusdem Fulvii. — *Sine fraude esset* is; propr. transitio ejus ad Romanos: ut nihil ei pœnarum, quod reliquis Campanis, metuendum esset. Confer ad I, 24, n. 8.

3. *Nihil salutare in medium consulebatur;* vide ad VI, 6, n. 7, *constituebatur* et *consciscebatur* quidam MSS.

4. *Nobilitas remp. deseruerat;* vide ad II, 64, n. 3, et confer supra cap. 6 extr. — *In senatum cogi*, ut *in s. vocari* II, 55, et XXIII, 32. Plerumque *senatus cogi* et *vocari* dicitur. Confer ad XXXII, 2, n. 4. — *Poterant;* vide ad I, 41, n. 1, *poterat* edd.

poterant. In magistratu autem erat [5], qui non sibi honorem adjecisset, sed indignitate sua vim ac jus magistratui, quem gerebat, demsisset. Jam ne in foro quidem, aut publico loco, principum quisquam apparebat: domibus inclusi patriæ occasum cum suo exitio in dies exspectabant. Summa curæ omnis in Bostarem Hannonemque præfectos præsidii punici versa erat, suo, non sociorum, periculo sollicitos. Hi, conscriptis ad Hannibalem literis, non libere modo, sed etiam aspere, quibus [6] *non Capuam solam traditam in manum hostibus, sed se quoque et præsidium in omnes cruciatus proditos* [7], incusabant: *abiisse eum in Bruttios, velut avertentem sese, ne Capua in oculis ejus caperetur. At hercule Romanos ne oppugnatione quidem urbis romanæ abstrahi ab Capua obsidenda potuisse: tanto constantiorem inimicum Romanum, quam amicum Pœnum esse. Si redeat Capuam bellumque omne eo vertat, et se et Campanos paratos eruptioni fore. Non cum Rheginis neque Tarentinis bellum gesturos transisse Alpes: ubi romanæ legiones sint, ibi et Carthaginiensium exercitus debere esse. Sic ad Cannas, sic ad Trasimenum rem bene gestam; coeundo, conferendo cum hoste castra, fortunam tentando.* In hanc sententiam literæ conscriptæ Numidis, proposita mercede jam professis operam [8], dantur.

ante Drak. quem vide ad IV, 16, n. 8.

5. *In magistratu autem* summo *erat* Seppius Lesius, *qui non sibi honorem adjecisset*, auctoritatem auxisset virtutibus et nobilitate, sed minuisset *indignitate sua*, obscura origine et tenui fortuna, indignaque muneris gerendi ratione. Confer cap. 6.

6. *Hi conscriptis ad Hannib. literis ...quibus... incusabant:* forte delendum est τὸ *quibus*, ut jungantur *hi incusabant*, vel legendum *Hi conscripsere ad H. literas*, vel denique post verba literarum *In hanc sententiam literas conscriptas Numidis dant.* — Hoc non inauditum ac singulare ut vox quædam, statim sequente orationis seu literarum mentione, pendula maneat: sic VIII, 11, al. Ed.

7. *In omnes cr. pr.;* v. II, 43, n. 5.

8. *Jam professis operam*, forte *eam prof. operam.* Duk.

Hi specie transfugarum quum ad Flaccum in castra venissent, ut inde tempore capto abirent[9], famesque, quæ tam diu Capuæ erat, nulli non probabilem causam transitionis faceret; mulier repente campana in castra venit, scortum transfugarum unius, indicatque imperatori romano, Numidas fraude composita transisse, literasque ad Hannibalem ferre: id unum ex iis, qui sibi rem aperuisset, arguere sese paratam esse. Productus primo satis constanter ignorare se mulierem simulabat: paulatim dein convictus veris[10], quum tormenta posci et parari videret, fassus id ita esse; literæque prolatæ; et additum etiam indicio, quod celabatur, et alios specie transfugarum Numidas vagari in castris romanis. Hi supra septuaginta comprehensi, et cum transfugis novis mulcati virgis manibusque præcisis Capuam rediguntur. Conspectum tam triste supplicium fregit animos Campanorum.

XIII. Concursus ad curiam populi factus coegit Lesium senatum vocare; et primoribus, qui jam diu publicis consiliis aberant[1], propalam minabantur, nisi venirent in senatum, circa domos eorum ituros se, et in publicum omnes vi extracturos esse: is timor frequentem senatum magistratui præbuit[2]. Ibi quum cæteri de legatis mittendis ad imperatores romanos agerent, Vibius Virrius, qui defectionis ab Romanis auctor fuerat, interrogatus sententiam, negat, *eos, qui de legatis et de pace ac deditione loquantur, me-*

9. *Tempore capto abirent;* vide ad III, 9, n. 4.

10. *Convictus veris* indiciis, argumentis. — *Et additum etiam,* τὸ *et* mihi suspectum; Duk. — *Mulcati virgis;* alii dant *mulctati,* sed vid. ad III, 11, n. 3.

Cap. XIII. 1. *Publicis consiliis aberant;* vide ad I, 54, n. 1. — *Minabantur,* scil. populus. — *In publicum;* vide ad II, 24, n. 6.

2. *Magistratui præbuit,* Lesio; vide ad XXIII, 10, n. 4. — *Negat, eos ... meminisse, nec quid facturi fuerint,* etc.; vide ad II, 45, n. 7; III, 48, n. 1; XXI, 22, n. 1.

minisse, nec quid facturi fuerint, si Romanos in potestate habuissent; nec quid ipsis patiendum sit. «Quid! vos, inquit, eam deditionem fore[3] censetis, «qua quondam, ut adversus Samnites auxilium impetraremus, nos nostraque omnia Romanis dedidi- «mus? Jam e memoria excessit, quo tempore, et in «qua fortuna a populo romano defecerimus? jam, «quemadmodum in defectione præsidium, quod po- «terat emitti, per cruciatum et ad contumeliam «necarimus? quoties in obsidentes, quam inimice «eruperimus, castra oppugnarimus? Hannibalem vo- «caverimus ad opprimendos eos? hoc quod recen- «tissimum est, ad oppugnandam Romam hinc eum «miserimus? Age contra, quæ illi infeste in nos fece- «rint, repetite; ut ex eo, quid speretis[4], habeatis. «Quum hostis alienigena in Italia esset, et Hannibal «hostis, et cuncta bello arderent, omissis omnibus, «omisso ipso Hannibale, ambo consules et duo con- «sulares exercitus ad Capuam oppugnandam miserunt. «Alterum annum circumvallatos inclusosque nos fame «macerant, et ipsi nobiscum ultima pericula ac gra- «vissimos labores perpessi, circa vallum ac fossas «sæpe trucidati, et prope ad extremum castris exsuti. «Sed omitto hæc: vetus atque usitata res est, in op- «pugnanda hostium urbe labores ac pericula pati. «Illud iræ atque odii exsecrabilis indicium est. Han- «nibal ingentibus copiis peditum equitumque castra

3. *Eam deditionem fore*, hanc similem ei, *qua quondam*, etc.; vide VII, 31; VIII, 11. — *Quo tempore*, scil. iniquissimo Romanis, *et in qua fortuna* eorum, scil. admodum dubia et ancipite ob bellum cum Pœnis gravissimum; Doer. — *Quemadmodum in defectione præsidium* Rom. *necarimus;* vide XXIII, n. 7. — *Hoc quod*, forte leg. *ac, quod*, Doer.

4. *Repetite* memoria, *ut ex eo, quid speretis, habeatis*, sciatis, intelligatis. Possis et jungere *ex eo q. s.* — *Ambo consules et duo*. Ita pro *ambos* et *duos* Gronov. e Put. vulgari jussit; cui assentitur Drak. Ed.

« oppugnavit, et ex parte cepit : tanto periculo nihil « moti sunt ab obsidione. Profectus trans Vulturnum « perussit calenum agrum [5] : nihil tanta sociorum cla- « de avocati sunt. Ad ipsam urbem Romam infesta « signa ferri jussit : eam quoque tempestatem immi- « nentem spreverunt. Transgressus Anienem, tria « millia passuum ab Urbe castra posuit [6]; postremo ad « mœnia ipsa et ad portas accessit : Romam se adem- « pturum eis, nisi omitterent Capuam, ostendit. Non « omiserunt. Feras bestias, cæco impetu ac rabie con- « citatas, si ad cubilia et catulos earum ire pergas, ad « opem suis ferendam avertas. Romanos Roma circum- « sessa, conjuges, liberi, quorum ploratus hinc prope « exaudiebantur [7], aræ, foci, deum delubra, sepulcra « majorum temerata ac violata, a Capua non averte- « runt : tanta aviditas supplicii expetendi, tanta san- « guinis nostri hauriendi est sitis ! Nec injuria forsitan : « nos quoque idem fecissemus, si data fortuna esset. « Itaque quando aliter diis immortalibus visum est, « quum mortem ne recusare quidem debeam, cruciatus « contumeliasque [8], quas sperat hostis, dum liber, dum « mei potens sum, effugere morte, præterquam honesta, « etiam leni, possum. Non videbo Ap. Claudium et « Q. Fulvium, victoria insolenti subnisos, neque vin-

5. *Perussit* (vide ad X, 17, n. 1) *calenum agrum;* confer cap. 9 pr. — *Sociorum clade;* confer VIII, 16, et XXVII, 9.

6. *Tria millia passuum ab Urbe castra posuit;* vide ad cap. 10, n. 2. — *Omitterent Capuam;* vide cap. 7, n. 3.

7. *Quorum ploratus hinc prope exaudiebantur :* res oratorie in majus aucta. — *Sepulcra majorum temerata ac violata :* nam *temerare* propr. est temere aliquid agere, deinde *violare*, inprimis res sacras, irrumpere, quo ire nefas est. Confer ad Sil. I, 11; II, 472; III, 499. Sepulcrorum autem religio quædam et sanctitas erat; vide XXXI, 30; conf. Periz. diss. de Dict. Cret. § XL, ad V, 2.

8. *Cruciatus contumeliasque* (quæ mox memorantur) *quas* a se mox in nos editum iri *sperat hostis* et optat. — *Præterquam honesta, etiam leni;* vide ad V, 14, n. 5. — *Victoria insolenti subnisos;* vide ad XXV, 41, n. 1.

«ctus per urbem romanam triumphi spectaculum tra-
«har, ut deinde in carcere, aut ad palum deligatus,
«lacerato virgis tergo, cervicem securi romanæ sub-
«jiciam : nec dirui incendique patriam videbo; nec rapi
«ad stuprum matres campanas virginesque et ingenuos
«pueros. Albam, unde ipsi oriundi erant, a funda-
«mentis proruerunt, ne stirpis [9], ne memoria originum
«suarum exstaret : nedum eos Capuæ parsuros cre-
«dam, cui infestiores, quam Carthagini, sunt. Itaque
«quibus vestrum ante fato cedere, quam hæc tot tam
«acerba videant, in animo est, iis apud me hodie
«epulæ instructæ paratæque sunt. Satiatis vino cibo-
«que poculum idem [10], quod mihi datum fuerit, cir-
«cumferetur : ea potio corpus ab cruciatu, animum a
«contumeliis, oculos, aures, a videndis audiendisque
«omnibus acerbis indignisque, quæ manent victos,
«vindicabit. Parati erunt, qui magno rogo in propa-
«tulo ædium [11] accenso corpora exanima injiciant.
«Hæc una via et honesta et libera ad mortem : et ipsi
«virtutem mirabuntur hostes, et Hannibal fortes so-
«cios sciet ab se desertos ac proditos esse [12]. »

XIV. Hanc orationem Virrii plures audierunt cum assensu, quam forti animo id, quod probabant, exsequi potuerunt. Major pars senatus, multis sæpe bellis expertam populi romani clementiam haud diffidentes sibi quoque placabilem fore, legatos ad dedendam Romanis Capuam decreverunt miseruntque. Vibium Virrium septem et viginti ferme senatores domum sequuti sunt epulatique cum eo; et, quantum

9. *Ne stirpis*, etc., forte e quibusdam libris vett. leg. *stirps*, aut antique scriptum fuit *stirpes ;* Crev.

10. *Poculum idem* mortis, veneni. Confer cap. 14.

11. *In propatulo ædium;* vide ad V, 13, n. 6. — Sic est *in vestibulis* ad XXIV, 21, n. 4. Ed.

12. *Desertos ac proditos esse ;* vide ad II, 43, n. 5.

facere potuerant[1], alienatis mentibus vino ab imminentis sensu mali, venenum omnes sumpserunt : inde misso convivio, dextris inter se datis ultimoque complexu, collacrymantes suum patriæque casum, alii, ut eodem rogo cremarentur, manserunt, alii domos digressi sunt. Impletæ cibis vinoque venæ minus efficacem in maturanda morte vim veneni fecerunt[2] : itaque noctem totam plerique eorum et diei insequentis partem quum animam egissent[3]; omnes tamen, prius quam aperirentur hostibus portæ, exspirarunt. Postero die porta Jovis, quæ adversus castra romana erat, jussu proconsulis[4] aperta est. Ea intromissa legio una et duæ alæ cum C. Fulvio legato. Is quum omnium primum arma telaque, quæ Capuæ erant, ad se conferenda curasset, custodiis ad omnes portas dispositis, ne quis exire aut emitti posset, præsidium punicum comprehendit, senatum campanum ire in castra ad imperatores romanos jussit. Quo quum venissent[5], extemplo his omnibus catenæ injectæ, jussique ad quæstores deferre, quod auri argentique haberent. Auri pondo septuaginta fuit[6], argenti tria millia pondo et ducenta.

Cap. XIV. 1. *Quantum facere potuerant*, τὸ *facere* suspectum Duk.

2. *Impletæ cibis vinoque venæ minus efficacem vim veneni f.* Cf. Suet. Claud. 44, et Tac. Ann. XII, 67.

3. *Itaque quum*, quamvis, *plerique eorum* ob minus efficacem vim veneni *animam egissent*, extremum duxissent spiritum, aut vitam vivendique facultatem perduxissent ; de hominibus morti proximis apud Cic. p. Rosc. Com. 8; Tusc. I, 9 et al.

4. *Jussu proconsulis* Fulvii. Sed potius leg. *proconsulum*, ut mox *ad imperatores romanos*. — *Legio una et duæ alæ*, equitum exercitus socialis ; Crev. Confer ad X, 40, n. 7 ; et XXV, 21, n. 4. — Vide quoque Lipsium lib. II de Militia Roman. dial. 7. Ed. — *Cum C. Fulvio legato ;* confer cap. 33, et XXVII, 8 ; *cum C. Flaminio Fulvii legato* quidam MSS. Confer ad cap. 47, 49.

5. *Quo quum venissent ;* al. *venisset ;* vide ad I, 41, n. 1.

6. *Auri pondo LXX fuit*, scil. quod auri haberent. Summam immaniter augent MSS Put. Reg. et al. Secundum Creverii rationes, aurum hic memoratum ad marcas nostrates 109 cum tribus unciis; argentum vero ad 5000 æstimatur. Ed.

Senatores quinque et viginti Cales in custodiam, duodetriginta Teanum missi : quorum de sententia maxime descitum ab Romanis constabat.

XV. De supplicio campani senatus haudquaquam inter Fulvium Claudiumque conveniebat[1]. Facilis impetrandæ veniæ Claudius, Fulvio durior sententia erat. Itaque Appius Romam ad senatum arbitrium ejus rei totum rejiciebat : percunctandi etiam æquum esse potestatem fieri Patribus, num communicassent consilia cum aliquibus sociorum latini nominis municipiorum; et num ope eorum in bello forent et municipiorum adjuti. *Id vero minime committendum esse*, Fulvius dicere, *ut sollicitarentur criminibus dubiis sociorum fidelium animi, et subjicerentur indicibus, queis, neque quid facerent, neque quid dicerent, quidquam unquam pensi fuisset: itaque se eam quæstionem oppressurum exstincturumque.* Ab hoc sermone quum digressi essent, et Appius, quamvis ferociter loquentem collegam, non dubitaret tamen literas super tanta re ab Roma exspectaturum; Fulvius, ne id ipsum impedimentum incepto foret, dimittens[2] prætorium, tribunis militum ac præfectis socium imperavit, uti duobus millibus equitum delectis denuntiarent, ut ad tertiam buccinam[3] præsto essent. Cum hoc equitatu nocte Teanum profectus, prima luce portam intravit, atque in forum perrexit : concursuque ad primum equitum ingressum facto, magistratum Sidicinum ci-

Cap. XV. 1. *De supplicio inter F. C. conveniebat*, vide ad I, 3, n. 4.— *Ad senatum arbitrium rejiciebat;* vide ad II, 22, n. 4. Mox forte leg. *sociorum latini nominis* (vide ad I, 10, n. 2) *et municipiorum* vel *municipiorumque* aut *municipiorumve; et num ope sociorum in bello*, etc. Verba *et municipiorum* delenda putabant Douj. et Doer.

2. *Dimittens prætorium*, vide ad XXI, 54, n. 3.

3. *Ad tertiam buccinam;* vide ad VII, 35, n. 2. — *Teanum*, sc. Sidicinum (vide ad VIII, 15, 1); unde mox *magistratum* (summum, prætorem, seu medixtuticum) *Sidicinum*.

tari jussit, imperavitque, ut produceret Campanos, quos in custodia haberet. Producti omnes virgisque cæsi ac securi percussi[4]. Inde citato equo Cales percurrit : ubi quum in tribunali consedisset, productique Campani deligarentur ad palum, eques citus ab Roma venit, literasque a C. Calpurnio prætore[5] Fulvio et senatusconsultum tradidit. Murmur ab tribunali totam concionem pervasit, differri rem integram ad Patres de Campanis; et Fulvius, id ita esse ratus, acceptas literas neque resolutas quum in gremio reposuisset, præconi imperavit, ut lictorem lege agere[6] juberet : ita de iis quoque, qui Calibus erant, sumptum supplicium. Tum literæ lectæ senatusque consultum, serum ad impediendam rem actam : quæ summa ope approperata erat, ne impediri posset. Consurgentem jam Fulvium Taurea Jubellius campanus, per mediam vadens urbem turbamque, nomine inclamavit, et, quum mirabundus quidnam sese vellet, resedisset Flaccus, « Me quoque, inquit, jube occidi, ut gloriari « possis, multo fortiorem, quam ipse es, virum abs te « occisum esse. » Quum Flaccus negaret[7], *profecto satis compotem mentis esse*, modo, *prohiberi etiam se, si id vellet, senatusconsulto*, diceret : tum Jubellius, « Quandoquidem, inquit, capta patria, propinquis « amicisque amissis, quum ipse manu conjugem mea

4. *Virgis cæsi ac securi percussi;* vide ad I, 26, n. 6.

5. *Literasque a C. Calpurnio prætore* urbano, scil. scriptas; non a consulibus, quia hi absentes erant. Conf. ad cap. 3, n. 4. — *Resolutas;* quod est verbum proprium, propter vincula quibus literæ in volumen nectebantur. Ed. — *Differri rem integram ad Patres*, differendo rejici; vide ad II, 5, n. 1, et XXI, 53, n. 3. — *Et Fulvius*, forte *At F.*, Doer. Confer ad XXIII, 44, 4.

6. *Lictorem lege agere*, legitime; mandatum proconsulis exsequi. *Lictores* virgis cædere solebant capitis damnatos et securi percutere. Confer I, 26; II, 5; VIII, 7.

7. *Quum* (Fulvius) *Flaccus* modo *negaret...modo diceret;* vide ad I, 40, n. 1, et ad Taciti Annales, IV, 50, n. 4.

« liberosque interfecerim, ne quid indigni paterentur, « mihi ne mortis quidem copia eadem est, quæ his « civibus meis; petatur a virtute invisæ hujus vitæ vin- « dicta[8]. » Atque ita gladio, quem veste texerat, per adversum pectus transfixus, ante pedes imperatoris moribundus procubuit.

XVI. Quia et quod ad supplicium attinet Campanorum, et pleraque alia de Flacci unius sententia acta erant, mortuum Ap. Claudium sub deditionem Capuæ[1], quidam tradunt: hunc quoque ipsum Tauream neque sua sponte venisse Cales, neque sua manu interfectum; sed, dum inter cæteros ad palum deligatur, quia parum inter strepitus exaudiri possent, quæ vociferabatur, silentium fieri Flaccum jussisse; tum Tauream illa, quæ ante memorata sunt, dixisse, *virum se fortissimum ab nequaquam pari ad virtutem occidi;* sub hæc dicta jussu proconsulis præconem ita pronuntiasse: « Lictor, viro forti adde virgas[2], et in eum pri- « mum lege age. » Lectum quoque senatusconsultum, prius quam securi feriret, quidam auctores sunt: sed, quia adscriptum in senatusconsulto fuerit, *si ei videretur, integram rem ad senatum rejiceret*[3], interpretatum esse, quid magis e republica duceret, æstimationem sibi permissam. Capuam a Calibus reditum est, Atellaque et Calatia[4] in deditionem acceptæ. Ibi quoque in eos, qui capita rerum erant, animadversum. Ita ad

8. *Hujus vitæ vindicta;* vide ad II, 5, n. 14.

Cap. XVI. 1. *Sub deditionem Capuæ*, ut mox *sub hæc dicta;* vide ad II, 55, n. 1. — *Pari ad virtutem;* vide ad IX, 16, n. 9.

2. *Viro forti adde virgas*, da earum ictus, seu plagas. — *Lege age*, fungere officio; vid. ad cap. 15, n. 6. — *Auctores sunt;* v. ad II, 58, n. 1.

3. *Integram rem ad senatum rejiceret;* vide ad II, 5, n. 1, et II, 22, n. 4. — *Quid magis e rep. duceret;* vide ad I, 27, n. 5.

4. *Atellaque et Calatia*, quæ ad Pœnos defecerant; vide XXII, 61. Eo tamen, quo id accidit, anno non repetiit Livius, ut de quibusdam fecit;

septuaginta principes senatus interfecti; trecenti ferme nobiles Campani in carcerem conditi: alii, per sociorum latini nominis urbes in custodias dati, variis casibus interierunt: multitudo alia civium campanorum venum data. De urbe agroque reliqua consultatio[5] fuit, quibusdam delendam censentibus urbem prævalidam, propinquam, inimicam. Cæterum præsens utilitas vicit: nam propter agrum, quem omni fertilitate terræ satis constabat primum in Italia esse, urbs servata est, ut esset aliqua aratorum sedes[6]. Urbi frequentandæ multitudo incolarum libertinorumque et institorum opificumque retenta: ager omnis et tecta publica populi romani facta. Cæterum habitari tantum, tanquam urbem, Capuam frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec senatus, nec plebis concilium[7], nec magistratus esse. Sine consilio publico, sine imperio, multitudinem, nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore. Præfectum ad jura reddenda ab Roma quotannis missuros[8]. Ita ad Capuam res compositæ, consilio ab omni parte laudabili: severe et celeriter in maxime noxios animadversum; multitudo

Drak. — *Ad septuaginta principes senatus interfecti*, immo LXXX, nam XXVII Virrium sequuti, XXV occisi Calibus, et XXVIII Teani; Glar. Forsitan extra numerum eorum, qui interfecti sunt, Livius habuit Virrium sequutos, contra vero eodem retulit capita rerum Atellæ et Calatiæ, in quos quoque animadversum est: id inde conjicio, quod Livius senatorum interfectorum numerum edat, postquam de Atellanis et Calatinis supplicium sumptum narrasset; Drak.

5. *Reliqua consultatio fuit* proconsulum, vel potius consilii militaris, quia mox dicitur *quibusdam censentibus*. Confer cap. 33.

6. *Ut esset aliqua aratorum sedes*: h. l. *aratores* non ii sunt, qui privatos, sed qui *publicos* colunt *agros*, et pro his decumas dant, ut apud Cic. Verr. III, 20, 27 al. Confer seqq. — *Incolarum*. Eos cogitat Crever. qui ex alia aliqua urbe vel regione Capuam immigrassent, et proinde cives campani non essent. Ed. — *Institorum*; vide ad Juvenal. VII, 221.

7. *Nec senatus, nec plebis concilium*, forte leg. *senatum*; Duk. — *sine consilio publico*; vide ad XXIII, 2, n. 5.

8. *Præfectum ad jura reddenda ab R. q.* Capuam *missuros* se, propr. mittendum curaturos; vid. supra ad librum IX, cap. 20, n. 2.

civium dissipata in nullam spem reditus; non sævitum incendiis ruinisque in tecta innoxia murosque; et cum emolumento quæsita etiam apud socios lenitatis species incolumitate urbis nobilissimæ opulentissimæque, cujus ruinis omnis Campania, omnes, qui Campaniam circa accolunt, populi ingemuissent: confessio expressa hosti, quanta vis in Romanis ad expetendas pœnas ab infidelibus sociis, et quam nihil in Hannibale auxilii ad receptos in fidem tuendos esset.

XVII. Romani Patres, perfuncti, quod ad Capuam attinebat, cura, C. Neroni ex iis duabus[1] legionibus, quas ad Capuam habuerat, sex millia peditum et trecentos equites, quos ipse legisset, et socium latini nominis peditum numerum parem et octingentos equites decernunt. Eum exercitum Puteolis in naves impositum Nero in Hispaniam transportavit. Quum Tarraconem navibus venisset, expositisque ibi copiis et navibus subductis[2], socios quoque navales multitudinis augendæ causa armasset; profectus ad Iberum flumen, exercitum a T. Fonteio et L. Marcio accepit: inde pergit ad hostes ire. Hasdrubal Hamilcaris[3] ad Lapides atros castra habebat in Ausetanis; is locus est inter oppida Illiturgin et Mentissam: hujus saltus fauces Nero occu-

Cap. XVII. 1. *Neroni ex iis duabus legionibus*, etc., unam tantum legionem primum habuit (vide XXV, 3; coll. XXIV, 44): sed potuit illi exercitus augeri, quo tempore imperium prorogatum est; quod etsi factum non scribit Livius, tamen certum est; Dukerus.

2. *Navibus subductis;* vide ad VIII, 26, n. 1. — *Socios quoque navales;* vide ad IX, 38, n. 1.

3. *Hasdrubal Hamilcaris* (vide ad XXV, 35, n. 1) *ad Lapides atros castra habebat in Ausetanis : is locus est inter oppida Illiturgin et Mentissam* (vide ad XXI, 11, n. 9, et XXIII, 49, n. 4): *hujus saltus fauces*, etc., scil. saltus Tugiensis, a Tugia opp. sic dicti (hod. *Sierra di Alcaraz*) qui non longe a Mentissa distat, et in quo fontes sunt Bætis et Taderis, hodie Saguræ. Confer Plin. III, 1, seu 3. Sed *Bastitanis* forte leg. pro *Ausetanis*, qui longe inde versus septemtrionem et ad montes Pyrenæos suas habebant sedes. Confer ad XXI, 11, n. 9. *Oretanis* conj. Glar. et Doujat. — Hic locus varie in MSS legitur. Ed.

pavit. Hasdrubal, ne in arcto res esset, caduceatorem misit, qui promitteret, si inde missus foret, se omnem exercitum ex Hispania deportaturum. Quam rem quum læto animo Romanus accepisset, diem posterum Hasdrubal colloquio petivit, ut Romani leges conscriberent de tradendis arcibus urbium dieque statuenda, ad quam præsidia deducerentur, suaque omnia sine fraude Pœni deportarent. Quod ubi impetravit, extemplo primis tenebris atque inde tota nocte, quod gravissimum exercitus [4] erat, Hasdrubal, quacumque posset, evadere e saltu jussit. Data sedulo opera est, ne multi ea nocte exirent, ut ipsa paucitas quum ad hostem silentio fallendum aptior, tum ad evadendum per arctas semitas ac difficiles esset. Ventum insequenti die ad colloquium est : sed loquendo plura scribendoque, dedita opera, quæ in rem non essent [5], die consumpto, in posterum dilatum est. Addita insequens nox spatium dedit et alios emittendi : nec postero die res finem invenit. Ita aliquot dies disceptando palam de legibus, noctesque emittendis clam e castris Carthaginiensibus, absumptæ; et, postquam major pars

— *Ne in arcto* loco *res esset*, ne in saltu includeretur, unde evadere non posset : vel ne summo exponeretur periculo, quo sensu passim *arctum* et *angustiæ* pro discrimine, et *res arctæ* seu *angustæ* pro adversis dicuntur (quibus *laxius vivere* opponitur XXXIII, 24, n. 4), ut græce στενὸς, στενοχωρία, στενοχωρέω, metaphora petita ab angusto spatio, seu loco, unde difficulter evaditur. Confer ad V, 38, n. 4; XXVII, 46, n. 2; XXVIII, 33, n. 3. Verba *occupavit Hasdrubal* a MSS absunt : unde Gron. conj. *Hujus saltus fauces Nero quum arcte sepsisset, caduceatorem misit*, scil. Hasdrubal. — *Caduceatorem*. Legatum cum caduceo, qui pacem peteret. Caduceum, ut notat Creverius, est virga duorum serpentum imagine implexa, qui media corporis parte nodo alligati primisque partibus inflexi in modum circuli oscula jungunt. Hæc virga est symbolum pacis. Hanc Græci aliæque gentes legatis suis dabant, quum eos mitterent pacem oraturos. De caduceo vid. Serv. ad Æneid. IV, 242. Ed. — *Romanus accepisset;* vide ad XXXII, 11, n. 4.

4. *Gravissimum exercitus*, graviorem armaturam. Impedimenta et quidquid ob gravitatem suam difficilius promoveri potest; Doer.

5. *Quæ in rem non essent*, ad rem ipsam non spectarent, vel supervacua

emissa exercitus erat, jam ne iis quidem, quæ ultro dicta erant, stabatur, minusque ac minus (cum timore simul fide decrescente) conveniebat. Jam ferme pedestres omnes copiæ evaserant e saltu; quum prima luce densa nebula saltum omnem camposque circa intexit. Quod ubi sensit Hasdrubal, mittit ad Neronem, qui in posterum diem colloquium differret; illum diem religiosum Carthaginiensibus ad agendum quidquam rei seriæ esse [6]: ne tum quidem suspecta fraus. Quum data esset venia ejus diei, extemplo Hasdrubal, cum equitatu elephantisque castris egressus, sine ullo tumultu in tutum evasit. Hora ferme quarta dispulsa sole nebula aperuit diem, vacuaque hostium castra conspexerunt Romani. Tum demum Claudius, punicam fraudem agnoscens, ut se dolo captum sensit, proficiscentem institit sequi [7], paratus confligere acie: sed hostis detrectabat pugnam; levia tamen prælia inter extremum punicum agmen præcursoresque Romanorum fiebant.

XVIII. Inter hæc Hispaniæ populi, nec qui post cladem acceptam defecerant, redibant ad Romanos, nec ulli novi deficiebant. Et Romæ senatui populoque, post receptam Capuam, non Italiæ jam major, quam Hispaniæ, cura erat: et exercitum augeri, et imperatorem mitti placebat. Nec tamen, quem mitterent, satis constabat [1], quam illud, ubi duo summi imperatores intra dies triginta cecidissent, qui in locum duorum suc-

et inutilia essent. Confer ad I, 27, n. 5. — *Jam ne iis quidem stabatur;* vide ad III, 36. n. 11. — *Minus conveniebat;* vide ad I, 3, n. 4. — *Mittit ad Neronem, qui,* hoc est, ut *differret;* vide ad XXIII, 32, n. 9.

6. *Illum diem religiosum Carth. ad agendum quidquam rei seriæ esse;* vid. ad II, 5, n. 4, et XXIII, 7, n. 12. — *Quum data esset venia ejus diei;* vide ad II, 35, n. 5, et VIII, 35, n. 12.

7. *Proficiscentem institit sequi;* vide ad XXIV, 26, n. 7.

Cap. XVIII. 1. *Nec tamen, quem mitterent, satis constabat, quam,* ut, sicut, *illud,* etc.; vel ante *satis* suppl.

cederet, extraordinaria cura deligendum esse. Quum alii alium nominarent, postremum eo decursum est, ut populus proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet; diemque comitiis consules edixerunt. Primo exspectaverant, ut, qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. Quæ ut destituta exspectatio est [2], redintegratus luctus acceptæ cladis desideriumque imperatorum amissorum. Mœsta itaque civitas, prope inops consilii, comitiorum die tamen in campum descendit; atque in magistratus versi circumspectant ora principum, aliorum alios intuentium, fremuntque, adeo perditas res desperatumque de republica esse, ut nemo audeat in Hispaniam imperium accipere [3]: quum subito P. Cornelius, illius, qui in Hispania ceciderat [4], filius, quatuor et viginti ferme annos natus [5], professus se petere, in superiore, unde

tam (vide ad II, 56, n. 8): nisi pro *tamen* leg. *tam* cum Gron. vel *tamen tam* cum Bauero, qui recte monet, τὸ *tamen* vix desiderari posse.

2. *Destituta exspectatio est;* vide ad I, 51, n. 4. — *In campum* Martium *descendit;* vide ad II, 54, n. 13.

3. *Ut nemo audeat in Hispaniam imperium accipere;* ut paulo ante *proconsuli creando in Hispaniam*. Confer ad XXI, 42. n. 2, *in Hispaniam* omnes MSS præter Lov. 2, et edd. *in Hispania* emend. Gron. h. l. et ad 40, 36 extr. quia imperium non detur in provincias, sed in exercitus in provinciis. Confer XXX, 41 pr. ubi quidam libri exhibent *in Etruria*, et alii *in Etruriam prorogatum imperium est*. Mox etiam *P. Scipioni imperium esse in Hispaniam* edd. ante Gron. et quidam MSS quod minime improbandum videbatur Bauero. « Ratio Gron. non firma est. Videtur probasse sententiam Sigon. de Lege cur. cap. 8, 9, et post. Disput. adv. Gruch. cap. 15 seqq. Sed digna consideratione sunt, quæ Sigonio reposuit Gruch. in Refut. ad post. Disput. Sigon. quum alibi, tum præcipue cap. 16, 17, 18. » Duk.

4. *Quum subito P. Cornelius, illius* (P. Cornelii Scipionis) *qui in Hispania ceciderat:* vox *illius* abest a MSS Put. Reg. Cantabr. unde *Publii* (quod prænomen, una litera notatum, facile omitti poterat) pro *illius* substituere Gron. Drak. Ern. *ejus* conj. Jac. Gron. ut XXIX, 14, *P. Scipionem Cn. filium, ejus, qui in Hispania ceciderat.* Et profecto *ejus* facile excidere potuit post *Cornelius:* sed facilius *illius*, quod idem est. Cæterum majorem interpunctionem ante *quum subito* jam recte mutavit Doer.

5. *Quatuor et viginti ferme annos natus:* ita et Valer. Max. IV, 3, n. 1; Appian. B. Hisp. 18, et Oros. IV, 18.

conspici posset, loco constitit. In quem postquam omnium ora conversa sunt, clamore ac favore ominati extemplo sunt felix faustumque imperium. Jussi deinde inire confusum suffragium, ad unum omnes non centuriæ modo, sed etiam homines [6], P. Scipioni imperium esse in Hispania jusserunt. Cæterum post rem

Sed apud Oros. quidam MSS exhibent XXVII annos, et Polyb. X, 6, §. 10, dicit, Scipionem XXVII annos natum Carthaginem Novam cepisse. Idem vero Polyb. X, 3, §4, tradit, eum anno ætatis XVII (anno Urb. 534) patrem servasse in pugna : quod magis cum Livii ratione consentire, ibi jam monuit Schweigh. et ad X, 2 pr. Confer supra ad XXI, 46, n. 7, et XXV, 2, n. 4. — *In superiore, unde conspici posset, loco constitit;* « conf. Polyb. X, 5, et Rutilius apud Macrob. Sat. I, 16, et de *professione* nominis Gruch. de Comit. I, 3. » Duk.

6. *Jussi deinde inire confusum suffragium, ad unum omnes non centuriæ modo, sed etiam homines* (cujuscumque ordinis, classis, centuriæ et census), *P. Scipioni imperium esse in Hispania jusserunt;* non magistratus mandatus est Scipioni, quum pro consule missus est, sed *imperium :* hoc vero imperium curiatis comitiis mandabatur, non centuriatis : unde h. l. *curiæ* leg. pro *centuriæ*; Sigon. Forte et tributis comitiis legem latam de imperio magistratuum, et *centurias* h. l. pro *tribubus* positas, ut tribus alibi pro centuriis (vide ad III, 51, n. 3), monuit Gron. Ego potius crediderim, *centurias* h. l. et cap. 41, proprie dictas, et Scipionem primum comitiis centuriatis creatum esse proconsulem (*comitia* enim hæc *proconsuli creando in Hispaniam habita, diemque iis a consulibus edictum* supra dixit Livius), et deinde imperium accepisse lege curiata : nam hac lege semper imperium quidem dabatur (confer ad V, 46, n. 8), sed magistratus major ante comitiis centuriatis; vide Cic. Agr. II, 10-12; Gruchius de Comit. I, 2; II, 2, pag. 545, 646, tom. I; Thes. Græv. et Sigon. de Leg. curiata, cap. 10, et Addend. ad Ant. jus civ. rom. I, 21, putant, novum plane ac singulare esse hoc exemplum P. Scipionis, ex privato comitiis centuriatis in provinciam missi, quod tributis fieri soleret, idque a senatu decretum propter magnitudinem rei, quod tum *extraordinaria cura* imperator deligendus esset. « Id firmatur verbis *postremo eo decursum est :* nam *decurrere* sæpe de extremis ultimisque auxiliis ac remediis dicitur. Quæ Gron. disputat, *tribum* alicubi pro *centuria* dici, et centuriam pro tribu cap. 22, non magnam vim habent. Ipse Obss. IV, 1, docuit, omnibus locis, quibus *centuria prærogativa* nomine *tribus* appelletur, centuriam non pro tribu poni, sed vere esse centuriam ex ea tribu, cujus nomen habeat, sorte ductam, quæ prima non in tributis, sed in centuriatis comitiis suffragium latura erat; quod ad rationem mutati posterioribus temporibus in comitiis centuriatis ordinis suffragiorum pertinet. In comitiis tributis etiam centuriarum mentionem fieri, disertis veterum scriptorum testimoniis probandum erat. » Duk. *Confusum* plerique exhibent libri : quidam *confisum* et

actam, ut jam resederat impetus animorum ardorque, silentium subito ortum, et tacita cogitatio, quidnam egissent[7]? num favor plus valuisset, quam ratio? Ætatis maxime pœnitebat[8]: quidam fortunam etiam domus horrebant nomenque ex funestis duabus[9] familiis in eas provincias, ubi inter sepulcra patris patruique res gerendæ essent, proficiscentis.

XIX. Quam ubi ab re tanto impetu acta[1] sollicitudinem curamque hominum animadvertit, advocata concione, ita de ætate sua imperioque mandato et bello, quod gerendum esset, magno elatoque animo disseruit, ut ardorem eum, qui resederat, excitaret rursus novaretque; et impleret homines certioris spei,

confestim. Sunt etiam, qui vocem omittant : quos sequutus est Drak. Neque eam ferri posse putabat Gron. quia prius quam populus in suffragium mitteretur, in suam quisque tribum, in qua esset suffragium laturus, discedere jussus sit, ne confusi essent : aut *confusum suffragium* esse comitiorum non centuriatorum (conf. Cic. de Leg. III, 19), vel referendum ad genera hominum non satis discreta in ipsis centuriatis. Ernestii vero nota in clave Cic. voc. *confusio* est hæc : « *Confusio suffragiorum* apud Cic. p. Muræn. 23, ubi etiam *æquatio gratiæ, dignitatis, suffragiorum* dicitur, esse videtur, quum non ex censu suffragia feruntur et centuriæ numerantur, a prima classe facto initio, ut fieri ex instituto Servii solebat, sed suffragia omnium classium et centuriarum numerantur, ut primo cujusque civis suffragium eamdem vim habeat, deinde nesciatur, quis quemque suffragio suo consulem aut prætorem crearit : quod ut fieret, ambitus tollendi causa, postularat Servius Sulpicius. » *Confusum suffragium*, id est, ut centuriæ nec sortirentur, nec ordine rogarentur; Bauer. *Confusum* est promiscuum, omnium classium et centuriarum suffragiis in unum confusis præter ordinem moremque receptum et sine ullo discrimine numeratis; unde additur : *sed etiam homines;* Doer.

7. *Tacita cogitatio, quidnam egissent? num favor*, etc. Ita e MSS legendum esse pro vulg. *quidnam egissent novi, quod favor*, etc., docuit Gron. Obss. IV, 11, quum nihil *novi* sit, quod in Campo plus gratia valeat, quam meritum. Sed utique novo exemplo proconsulem *centuriatis* comitiis et suffragiis *confusis* creatum esse, ita ut omnis res a solo favore plebis, non a ratione et judicio prudentiorum pependerit, monet Doer. Idem conj. *quidnam egissent novi*, quo scilicet nove et præter morem facto *favor*, etc.

8. *Ætatis maxime pœnitebat eos;* vide ad II, 54, n. 16.

9. *Ex funestis duabus familiis*, scil. patris patruique.

Cap. XIX. 1. *Ab re tanto impetu acta*, post rem actam, quum tamen acta esset tanto impetu; Bauer. Confer ad I, 1, n. 5.

quam quantam fides promissi humani [2] aut ratio ex fiducia rerum subjicere solet. Fuit enim Scipio non veris tantum [3] virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab juventa in ostentationem earum compositus : pleraque apud multitudinem, aut per nocturnas visa species, aut velut divinitus mente monita, agens; sive et ipse capti quadam superstitione animi, sive ut imperia consiliaque, velut sorte oraculi missa, sine cunctatione assequeretur. Ad hoc jam inde ab initio præparans animos, ex quo togam virilem sumpsit [4],

2. *Quam quantam fides promissi humani*, etc.; vide ad XXV, 41, n. 3. Vox *quantam* redundat post *quam*, ut XXX, 23, n. 1, et XLIV, 5, n. 1. — *Ratio ex fiducia rerum*, ratio posita in causis, ex quibus cum fiducia quadam optatus rerum eventus sperari potest; Doer. Hic Livius aliquid pæne divinum, et quod consuetas rerum humanarum leges excedat agnoscere Creverio videtur. Ed.

3. *Fuit enim Scipio non veris tantum*, etc.; confer omnino de ingenio, virtutibus et *arte* Scipionis Polyb. X, 2-5. Quæ hic de Scipione rebusque ab eo gestis tradit, eo digniora sunt fide, quod amicissimus fuit Lælio, is vero Scipioni Africano minori, et pater ejus Africano majori. — *Aut* (forte *ut*) *per nocturnas visa species*, quæ fingebat, exemplo Numæ et Lycurgi, ut persuaderet multitudini, se et noctu et interdiu, et dormientem et vigilantem cum diis colloqui, et cuncta aggredi divino quodam spiritu afflatum deorumque monitis ductum; vide Polyb. loco laud. et de Numa supra I, 19. — *Aut velut divinitus*, a numine aliquo, *mente monita*, animus et ipse monitus esset. *Monere* proprie dicuntur vates et dii, qui præsagiis, prodigiis, somniis, oraculis aliisve signis voluntatem suam ac futura significant eoque ad agendum impellunt, vel, quæ facienda sint, docent. Conf. ad Sil. IV, 120, et Juvenal. VI, 530. *mente mota* conj. Bauer., miraturque, egregium id verbum et solenne enthusiasmo significando non in mentem venisse Gron. Venit quoque in mentem Periz. sed vulgatum h. l. aptissimum est. « Cur vero Livius hic addit *velut*, non item in priore membro? Qui dicit *pleraque per nocturnas visa species agebat*, significat, species illas vere oblatas fuisse. Sed hoc non magis credebat Livius, quam Scipionem multa *divinitus monita mente* egisse. » Duk. — *Sive et ipse capti q. s. animi*, scil. esset; vide ad III, 62, n. 5, nisi pro *et* cum Doer. leg. *esset*. — *Sive ut imperia consiliaque assequeretur*, obtineret : quod ad proximum, *consilia*, retulit Bauer. *assequerentur* plerique MSS et edd. ante Ald. *essequerentur* Put. unde Gron. recte, opinor, conj. *exsequerentur*, quod et probavit Duk. et recepit Drak. Id passive dictum, aut suppl. *homines*, de qua ellipsi vide ad II, 18, n. 4; Drakenb. ad h. l. et XXXIV, 56; Periz. ad Val. Max. II, 2, n. 1, et ad Sanctii Min. IV, 4. — *Sorte oraculi;* vide ad I, 56, n. 5.

4. *Ex quo* tempore *togam virilem*

nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quam in Capitolium iret ingressusque ædem consideret, et plerumque solus in secreto ibi tempus tereret. Hic mos, per omnem vitam servatus [5], seu consulto, seu temere, vulgatæ opinioni fidem apud quosdam fecit, stirpis eum divinæ virum esse [6]; retulitque famam, in Alexandro Magno prius vulgatam, et vanitate et fabula parem, anguis immanis concubitu conceptum, et in cubiculo matris ejus persæpe visam prodigii ejus speciem, interventuque hominum evolutam [7] repente atque ex oculis elapsam. His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est: quin potius aucta arte quadam, nec abnuendi tale quidquam, nec palam affirmandi. Multa alia ejusdem generis, alia vera, alia assimilata, admirationis humanæ in eo juvene excesserant modum: quibus freta tunc civitas ætati haudquaquam maturæ tantam molem rerum tantumque imperium permisit. Ad eas

sumpsit; vide ad XXII, 57, n. 9. — *In Capitolium iret*, etc., considens in cella Jovis, quasi consultaturus cum eo de re publica et divina ibi monita divinamque mentem accepturus. Conf. Gell. VII, 1; Auctor de Viris ill. cap. 49; Ryck. de Capit. cap. 13. Videtur imitatus esse exemplum Numæ, congressus nocturnos cum dea Egeria simulantis ejusque monita fingentis. Cæterum *ædes* Jovis innui videtur, quia *Capitolium* dixit. Obscure tamen dictum monet Duk. quia et aliorum deorum ædes in Capitolio fuerint.

5. *Hic mos, per omnem vitam servatus* e tribus MSS recepi pro vulg. *Hic mos, qui per o. v. servabatur*. Vox *qui* in nullo pæne MS exstat.

6. *Stirpis eum divinæ virum esse;* ex Jove, in *anguem* mutato, et Pomponia natum: quam divinæ originis famam, quum tantus vir esset, consequebatur, et callidus firmabat exemplo *Alexandri M.* Confer XXXVIII, 58; ad Sil. IV, 476; XIII, 628 seq. Gell. VII, 1; Plin. VII, 9; XXVI, 43; Plut. vit. Alex. et Spanhem. de usu et pr. num. Diss. V. — *Retulitque famam*, redintegravit. — *Vanitate*, vana gloria originis divinæ.

7. *Interventuque hominum evolutam* e lecto Pomponiæ, juxta quam absente patre cubare solebat; vide Gell. VII, 1. — *His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est*, eorum fides irrisa (vide ad I, 36, n. 4), vel potius imminuta (ludendo quasi et cavillando, aut dictis factisque), elevata, ut XXVIII, 44 extr. ubi *eludere* est synon. τοῦ *elevare*, et τῷ *extollere* opponitur, forte et XL, 5, n. 4. Confer ad I, 36, n. 4, et Passerat. ad Prop. IV, 1, 139. *Hujus miraculi*, et *abnuentis* et *affirmantis*, conj. Gron. — *Admirationis*

copias, quas ex vetere exercitu Hispania habebat, quæque a Puteolis cum C. Nerone trajectæ erant, decem millia[8] militum et mille equites adduntur : et M. Junius Silanus proprætor adjutor ad res gerendas datus est. Ita cum triginta navium classe (omnes autem quinqueremes erant) ostiis tiberinis[9] profectus prætor oram tusci maris, Alpes atque gallicum sinum, et deinde Pyrenæi circumvectus promontorium, Emporiis urbe græca (oriundi et ipsi a Phocæa sunt[10]) copias exposuit : inde sequi navibus jussis, Tarraconem pedibus profectus[11], conventum omnium sociorum (etenim legationes ad famam adventus ejus ex omni se provincia effuderant), habuit. Naves ibi subduci jussit[12], remissis quatuor triremibus Massiliensium, quæ officii causa ab domo prosequutæ fuerant. Responsa inde legationibus suspensis varietate tot casuum dare cœpit, ita elato ab ingenti virtutum suarum fiducia ani-

humanæ in eo juvene excesserant modum, feceraut, ut vulgus eum non ut hominem, sed ut *divinæ stirpis virum* admiraretur. Confer not. 6.

8. *Decem millia militum* (ita optimi MSS non *peditum*) *et mille equites;* vide ad XXII, 37, n. 1.

9. *Ostiis tiberinis*, Ostia, oppido, ad os Tiberis condito. Confer I, 33 extr. — *Tusci maris;* vide ad V, 33, n. 3. — *Gallicum sinum*, partem maris mediterr. ad oram a Provincia (*Provence*) ad Cataloniam, hodie *Golfe de Lyon*. — *Pyrenæi* montis *promontorium*, partem in mare procurrentem. *Pyrenes prom.* edd. ante Drak. poetice; vide ad Sil. III, 415 seq.

10. *Emporiis, urbe græca : oriundi et ipsi a Phocæa sunt;* vide ad III, 47, n. 1, et XXI, 60, n. 1. Verba *et ipsi* suspecta mihi videntur. Forte exciderunt *ut Massilienses*, vel tota glossa fuit *et ipsi ut Massil.* Horum Massiliensium et mox mentio fit. — Forsan et hæ voces a Livio profectæ sunt; et ita loquutus est quod Gallicum sinum memorans, de Massilia illic sita cogitarit, et a Phocæis, ut notum est, olim condita. Itaque verba *et ipsi* potius cum auctoris cogitatione quam cum ejus oratione connexa sunt. Clerico autem suspicio oritur ex eo quod infra mentio fit de triremibus Massiliensium Scipionem officii causa ab domo prosequutis, in narratione navigationis hujus aliquot excidisse voces, in quibus de Massilia scriptor egisset. Ed.

11. *Tarraconem pedibus profectus;* vide ad XXII, 31, n. 4.

12. *Naves ibi subduci jussit;* vid. ad VIII, 26, n. 1. — *Officii causa ab domo prosequutæ;* vide ad lib. VI, cap. 34, n. 6. — *Suspensis;* vide ad lib. II, cap. 32, n. 5.

mo, ut nullum ferox verbum excideret, ingensque omnibus, quæ diceret, quum majestas inesset, tum fides.

XX. Profectus ab Tarracone, et civitates sociorum et hiberna exercitus adiit; collaudavitque milites, quod, duabus tantis cladibus deinceps icti [1], provinciam obtinuissent, nec fructum secundarum rerum sentire hostes passi, omni cis Iberum agro eos arcuissent, sociosque cum fide tutati essent. Marcium secum habebat cum tanto honore, ut facile appareret, nihil minus, quam vereri, ne quis obstaret gloriæ suæ. Successit inde Neroni Silanus [2], et in hiberna novi milites deducti. Scipio, omnibus, quæ adeunda agendaque erant, mature aditis peractisque, Tarraconem concessit. Nihilo minor fama apud hostes Scipionis erat, quam apud cives sociosque, et divinatio quædam futuri, quo minus ratio timoris reddi poterat oborti temere, majorem inferens metum [3]. In hiberna diversi concesserant [4]: Hasdrubal Gisgonis usque ad oceanum et Gades: Mago in mediterranea, maxime supra castulonensem saltum: Hasdrubal Hamilcaris filius proximus Ibero circa Saguntum hibernavit. Æstatis ejus extremo, qua capta [5] est Capua et Scipio in Hispaniam

Cap. XX. 1. *Tantis cladibus deinceps* (vide ad I, 21, n. 8) *icti*, afflicti, *provinciam obtinuissent;* vide ad III, 36, n. 12. — *Nihil minus, quam vereri*, hoc est, nihil minus eum facere, quam ut vereretur, vel nihil minus eum vereri quam hoc; Gron. Ita optimi plurimique MSS *nihil minus eum vereri, quam ne quis* alii. Confer ad II, 8, n. 9.

2. *Successit Neroni Silanus;* confer ad XXV, 41, n. 8.

3. *Divinatio quædam futuri* eo *majorem inferens metum* civibus sociisque, *quo minus ratio timoris reddi poterat oborti temere*, ex nulla apparente causa; Gron. Confer ad II, 45, n. 12, et Drak. ad h. l.

4. *In hiberna diversi* (vide ad III, 60, n. 1) *concesserant* Pœnorum duces. Sed longe alia memorat hiberna Polyb. X, 7. Confer et Appian. Hisp. 19 et 24. — De *Castulonensi saltu* etiam mentio fit ad Cæs. Bell. Civ. I, 38 et Cic. Fam. X, 21. Ed.

5. *Æstatis ejus extremo, qua capta*, etc.; pro vulg. *quo capta* edidi ex emend. Periz. qui bene monet, non omnia hæc æstatis extremo potuisse esse acta, quum post captam Capuam

venit, punica classis[6], ex Sicilia Tarentum accita ad arcendos commeatus præsidii romani, quod in arce tarentina erat, clauserat quidem omnes ad arcem a mari aditus; sed assidendo diutius arctiorem annonam sociis, quam hosti, faciebat. Non enim tantum subvehi oppidanis per pacata litora apertosque portus præsidio navium punicarum poterat, quantum frumenti classis ipsa turba navali mixta ex omni genere hominum absumebat: ut arcis præsidium, etiam sine invecto (quia pauci erant), ex ante præparato sustentari posset; Tarentinis classique ne invectum quidem sufficeret. Tandem majore gratia, quam venerat, classis dimissa est. Annona haud multum laxaverat[7], quia, remoto maritimo præsidio, subvehi frumentum non poterat.

XXI. Ejusdem æstatis exitu M. Marcellus ex Sicilia provincia quum ad Urbem venisset, a C. Calpurnio prætore[1] senatus ei ad ædem Bellonæ datus est. Ibi

Nero in Hispaniam sit missus et aliquamdiu ibi manserit ac res gesserit, et postea demum Scipio ac Silanus ei successerint; ut verisimile valde sit, principio æstatis captam esse Capuam. Firmatur idem principio cap. 21 et usu Liviano. Conf. XXII, 19 pr. XXVII, 17; XXVIII, 5, n. 9.

6. *Punica classis* Bomilcaris (confer XXIII, 41; XXIV, 36; XXV, 27), *ex Sicilia*, etc.; conf. Heronis Poliorc. pag. 321, vel Polyb. tom. V, pag. 36, ibique Schweigh. — *Ut* (ita ut) *arcis præsidium etiam sine invecto* frumento, etc.

7. *Annona haud multum laxaverat;* vide ad II, 3, n. 2, et II, 34, n. 13, *classis dimissa annonam*, etc., conj. Gron.

Cap. XXI. 1. *A C. Calpurnio prætore* urbano, penes quem, absentibus coss., jus erat edicendi convocandique senatum (v. XXII, 55; XXXVIII, 44 al. et supra ad cap. 3, n. 4), *senatus ei ad ædem Bellonæ datus est;* vide ad VIII, 5, n. 1, et X, 23, n. 12. Senatus extra Urbem in campo Martis (vide ad III, 63, n. 3), aut in templo Apollinis (vide ad III, 63, n. 5; X, 19, n. 10; XXXIV, 43; XXXVII, 58; XXXIX, 4) vel Bellonæ (vide ad X, 19, n. 10, et Ind. voc. *Bellona*) dari solebat et legatis et imperatoribus, triumphum petentibus, qui ibi res a se gestas exponebant et negato triumpho privati, impetrato autem triumphantes Urbem ingrediebantur et, donec eum egissent, imperium retinebant. Confer ad cap. 9, n. 7, et ad III, 10, n. 2. Ad justum vero triumphum obtinendum plura requirebantur: α, auctoritas senatus, aut certe populi jussum, etsi quidam neutrum curarunt; vide III, 63; VII, 17; X, 36, 37;

quum de rebus a se gestis disseruisset, questus leniter non suam magis, quam militum, vicem, qnod provincia confecta exercitum deportare non licuisset, postulavit, ut triumphanti Urbem inire liceret : id non impetravit. Quum multis verbis actum esset, utrum minus conveniret, cujus nomine absentis, ob res prospere ductu ejus gestas, supplicatio decreta foret et diis immortalibus habitus honos, ei præsenti negare triumphum; an, quem tradere exercitum successori jussissent[2] (quod, nisi manente in provincia bello, non decerneretur), eum quasi debellato triumphare, quum exercitus, testis meriti atque immeriti triumphi, abesset : medium visum, ut ovans Urbem iniret. Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut

XXVIII, 9 : β, ut quis dictator aut consul aut prætor esset, nec sine magistratu gessisset res : vid. XXVIII, 38, n. 4; XXXI, 20; XXXVI, 39; XXXIX, 29, quod tamen sensim neglectum; v. XXXIX, 4, 5; XL, 34; Plut. Pomp. p. 621; Dio, XXXVII, 21; Cic. p. Sext. 61, p. Balbo 4, pro lege Manil. 21 : γ, ut dux et suis auspiciis suaque in provincia res gessisset; vide XXXIV, 10, et Val. Max. II, 8, 1-7 : δ, ut pauci milites et ultra quinque millia hostium legitimorum et justo hostilique bello, non civili, cæsa essent; vide X, 36; Valer. loco laud. et Cic. pro Dejot. V : ε, ut auctum esset imperium roman., non amissa tantum recuperata; vide Valer. loco laud. : ζ, ut provincia esset confecta, perdomita ac pacata, exercitusque inde deportatus, honoris meriti testis et particeps; nec utrumque successori traditum (vide h. l. et XXVIII, 9, n. 7; XXXI, 48 inpr. XXXIX, 29, quibus quidem contraria exempla XXXI, 49; XXXIII, 43; XXXIV, 10, 17; XXXIX, 38, 42, laudavit Duk. sed simul monuit, potuisse locum gratiæ datum esse, idque non obscure a Livio significari. Idem ad XXXI, 5, n. 7, adversus Periz. Anim. hist. cap. 6, pag. 229, ostendit, prolationem finium non necessariam fuisse, quia multi triumphos, præcipue navales, egerunt, qui non nisi victis hostibus opibusve eorum frangendis imperium auxerant. Hæc tironum gratia monui, utque ita et hic et alii loci Liviani lucerent. Confer Periz. Anim. hist. cap. 6. — *Questus leniter*, MS Gærtn. *leviter*, forte rectius. — *Provincia confecta;* vide ad II, 40, n. 9.

2. *Quem tradere exercitum successori jussissent;* vide ad XXV, 41, n. 8, *debellato*, bello confecto. — *Medium visum* est, placuit senatui, quod quasi medium esset, inter triumphum justum, scilicet majorem, et omnino negatum, *ut ovans Urbem iniret;* vide ad I, 11, n. 2, et III, 10, n. 3, et confer simillimum locum lib. XXXIX, cap. 29.

M. Marcello, quo die Urbem ovans iniret [3], imperium esset. Pridie quam Urbem iniret, in monte Albano triumphavit [4]: inde ovans multam præ se prædam in Urbem intulit. Cum simulacro captarum [5] Syracusarum catapultæ balistæque et alia omnia instrumenta belli lata, et pacis diuturnæ regiæque opulentiæ ornamenta, argenti ærisque fabrefacti vis, alia supellex pretiosaque vestis et multa nobilia signa, quibus inter primas Græciæ urbes Syracusæ ornatæ fuerant: punicæ quoque victoriæ signum, octo ducti elephanti. Et non minimum fuit spectaculum [6] cum coronis aureis præcedentes Sosis syracusanus et Mericus hispanus: quorum altero duce nocturno Syracusas introitum erat; alter Nasum, quodque ibi præsidii erat, prodiderat: his ambobus civitas data et quingena jugera agri. Sosidi in agro syracusano, qui aut regius, aut hostium populi romani fuisset, et ædes Syracusis cujus vellet eorum; in quos belli jure animadversum esset; Merico Hispanisque, qui cum eo transierant, urbs agerque in Sicilia ex iis, qui a populo romano defecissent, jussa dari. Id M. Cornelio mandatum, ut, ubi ei videretur, urbem

3. *Ut M. Marcello, quo die Urbem ovans iniret, imperium esset;* vide ad cap. 9, n. 7, et confer XLV, 35, ubi tamen de triumphante agitur, non ut h. l. de ovante, et quidem absente exercitu.

4. *In monte Albano triumphavit* sine auctoritate senatus populive jussu; quod primus fecit C. Papirius Maso an. Urb. 521, et post eum alii; confer XXXIII, 23, et XLII, 21. Idem primus habuit talem triumphum, cujus vera indoles parum nota est; vide Plin. XV, 29, seu 38; Valer. Max. III, 6, n. 5; Zonar. VIII, 18; Plut. Marcell. pag. 310.

5. *Cum simulacro captarum Syracusarum;* vide ad V, 30, n. 4. — Eam Romanorum consuetudinem elegantissime expressit *Racine*, *Mithridate*, act. III, sc. 1:

> Et gravant en airain ses frêles avantages,
> De mes états conquis enchaînait les images.

Vid. etiam præclari versus nostratis *Crébillon*, *Rhadamiste et Zénobie*, acte II, sc. 2. Ed.

6. *Non minimum fuit spectaculum* (doctius, quam *fuere*, quod Aldus substituit)... *Sosis syracusanus*, etc. conf. Periz. Anim. hist. cap. 8, p. 341, qui Livium duplicis arguit negligentiæ, quod innuat, Romanos Soside duce nocturno Syracusas primum introiisse,

agrumque eis assignaret. In eodem agro Belligeni[7], per quem illectus ad transitionem Mericus erat, quadringenta jugera agri decreta. Post profectionem ex Sicilia Marcelli, punica classis octo millia peditum, tria numidarum equitum exposuit: ad eos murgantinæ desciverunt terræ. Sequutæ defectionem earum Hybla et Macella sunt et ignobiliores quædam aliæ: et Numidæ, præfecto Mutine, vagi per totam Siciliam, sociorum populi romani agros urebant. Super hæc exercitus romanus iratus, partim quod cum imperatore non devectus ex provincia esset, partim quod in oppidis hibernare vetiti erant, segni fungebantur militia: magisque eis auctor ad seditionem, quam animus, deerat. Inter has difficultates M. Cornelius prætor et militum animos, nunc consolando, nunc castigando, sedavit, et civitates omnes, quæ defecerant, in ditionem redegit[8]; atque ex his Murgantiam Hispanis, quibus urbs agerque debebatur, ex senatusconsulto attribuit.

XXII. Consules, quum ambo Apuliam provinciam haberent minusque jam terroris a Pœnis et Hannibale esset, sortiri jussi Apuliam Macedoniamque provin-

cujus tamen rei libro præc. non meminerit; quodque tradat Nasum, et XXV, 30, Achradinam a Merico Romanis traditam, Nasumque a Marcello vi captam esse.

7. *Belligeni, per quem illectus ad t. Mericus;* vide XXV, 30. — *Punica classis*, vide ad cap. 20, n. 6. — *Murgantinæ terræ;* vide ad XXIV, 27, n. 2. Sed leg. *Murgantini* et del. vox importuna *terræ*, quam quidam MSS ignorant; Gron. In MSS vero plerisque legitur *ad eos Murgeniæ terræ sequutæ*. Hinc Jac. Gron. conj. *Ad eos Murgenia* (forte *Murgentia*) *et Enna*, seu *Henna* (scilicet defecere, quod c seqq. intell., de quo vide ad XXI, 43, n. 4) *sequutæ defectionem*, etc. Idem monet verbis *sequutæ defectionem* denotari unam defectionem communi consilio eodem tempore factam, ut XXXII, 30 extr. *oppida, quæ defectionem sequuta erant* idem quod, Insubrium oppida, quæ defecerant. Quæ refutare conatur Fabrett. in Apologem. pag. 19. — *Hybla;* vide ad Sil. XIV, 26. — *Macella*, ut et Schera, inter Hypsam et Crimissum flumina. Conf. Polyb. I, 24; Dio, tom. I, pag. 43, ed. Reim. et Cluver. Sicil. II, 12.

8. *In ditionem redegit;* alii *deditionem;* vide ad VIII, 20, n. 7.

cias. Sulpicio Macedonia evenit, isque Lævino successit. Fulvius, Romam comitiorum causa arcessitus, quum comitia consulibus rogandis haberet [1], prærogativa Veturia juniorum declaravit T. Manlium Torquatum et T. Otacilium. Manlius, qui præsens erat, gratulandi causa quum turba coiret, nec dubius esset consensus populi, magna circumfusus turba ad tribunal consulis venit, petitque, ut pauca sua verba audiret, centuriamque, quæ tulisset suffragium, revocari juberet. Erectis omnibus exspectatione, quidnam postulaturus esset, oculorum valetudinem excusavit [2]. *Impudentem et gubernatorem et imperatorem esse, qui, quum alienis oculis ei omnia agenda sint, postulet sibi aliorum capita ac fortunas committi. Proinde, si videretur* [3], *et redire in suffragium Veturiam juniorum juberet, et meminisset in consulibus creandis belli, quod in Italia sit, temporumque reipublicæ. Vixdum requiesse aures a strepitu et tumultu hostili, quo paucos ante menses assederint prope mœnia romana.* Post hæc quum centuria frequens succlamasset, *nihil se mutare sententiæ, eosdemque consules dicturos esse*; tum Torquatus, «Neque ego vestros, inquit, mores consul «ferre potero, neque vos imperium meum. Redite in «suffragium, et cogitate bellum punicum in Italia et «hostium ducem Hannibalem esse.» Tum centuria,

Cap. XXII. 1. *Quum comitia consulibus rogandis haberet* (vide ad III, 35, n. 1, et IV, 58, n. 10), *prærogativa Veturia juniorum* consules *declaravit*, etc.; vide ad III, 51, n. 3; VII, 26, n. 8, et XXIV, 7, n. 9. — *Petitque, ut pauca sua verba audiret*, forte *petiitque* (conf. not. 4); sed sæpius post præsens historicum ponitur imperf. conjunctivi; Doer. — *Revocari;* vide ad X, 13, n. 9.

2. *Oculorum valetudinem excusavit;* vide ad VI, 22, n. 3. — *Aliorum capita.* Omnes scripti *post aliorum.* Gronovius in pr. ed. not. legebat *potius aliorum;* forte oculatorum. Ed.

3. *Proinde, si videretur* ipsi, Fulvio consuli... *et meminisset:* immo *et meminisse*, scil. Veturiam, Jac. Gron. Improbant Duk. et Drak. sed nec vulgatum damnant, et tam *meminisset*, quam *redire* ad centuriam referunt et

et auctoritate mota viri, et admirantium circa fremitu, petit a consule[4], ut Veturiam seniorum citaret: *Velle se cum majoribus natu colloqui, et ex auctoritate eorum consules dicere.* Citatis Veturiæ senioribus, datum secreto in Ovili[5] cum his colloquendi tempus. Seniores de tribus consulendum dixerunt esse, duobus jam plenis honorum, Q. Fabio et M. Marcello, et, si utique novum aliquem adversus Pœnos consulem creari vellent, M. Valerium Lævinum[6] egregie adversus Philippum regem terra marique res gessisse. Ita de tribus consultatione data, senioribus dimissis, juniores suffragium ineunt. M. Claudium Marcellum, fulgentem tum Sicilia domita, et M. Valerium absentes consules dixerunt: auctoritatem prærogativæ omnes centuriæ sequutæ sunt[7]. Eludant nunc antiqua mirantes: non equidem, si qua sit sapientium civitas, quam docti fingunt magis, quam norunt[8], aut principes graviores temperantioresque a cupidine imperii, aut multitudinem melius moratam censeam fieri posse. Centuriam

ad *juberet*, ut Livius constructionem ejus variaverit, quemadmodum VII, 35; X, 43; XXIV, 10; XXV, 15; XXIX, 14; XXXII, 11; XLII, 39. — *Tumultu hostili, quo assederint*, sc. hostes; vide ad V, 49, n. 5, *asserint* vel *usserint* c. Pal. unde Crev. conj. *sonuerint*, et Doer. *concusserint* vel *concussa sint prope*, fere, *mœnia romana.*

4. *Petit a consule*, plures MSS *petiit.* Conf. n. 1. — *Veturiam seniorum*; confer not. 1, et ad III, 51, n. 3.

5. *Datum secreto in Ovili*, etc. vide ad X, 13, n. 9.

6. *Q. Fabio et M. Marcello et... Lævinum*, etc. pro vulg. *et Lævino, qui gessisset.* — Fabius et Marcellus tunc temporis videri poterant quasi debiti duces contra Pœnum; alius tamen erat dignus quoque qui Hannibali opponeretur: is est Lævinus. Ed. — *Absentes consules dixerunt;* vide ad IV, 42, n. 1. Marcellus in Urbe erat.

7. *Auctoritatem prærogativæ omnes centuriæ sequutæ;* vide ad III, 51, n. 3. — *Eludant nunc antiqua mirantes*, hoc est, eant nunc homines parum docti et ignorantiam rerum morumque veterum contemnendis iisdem præsentibusque præferendis velantes, et *eludant*, rideant illos (vide ad I, 36, n. 4), qui antiqua mirantur et præferunt, ut haud dubie optimus et doctissimus quisque; Gron. An leg. *eludantur?* — *Equidem;* vide ad V, 51, n. 3.

8. *Si qua sit sapientium civitas*,

vero juniorum seniores consulere voluisse, quibus imperium suffragio mandaret, vix ut verisimile sit, parentum quoque hoc sæculo vilis levisque apud liberos auctoritas fecit.

XXIII. Prætoria inde comitia habita. P. Manlius Vulso et L. Manlius Acidinus et C. Lætorius et L. Cincius Alimentus creati sunt. Forte ita incidit, ut comitiis perfectis nuntiaretur, T. Otacilium[1], quem T. Manlio, nisi interpellatus ordo comitiorum esset, collegam absentem daturus fuisse videbatur populus, mortuum in Sicilia esse. Ludi Apollinares et priore anno fuerant, et, eo anno ut fierent, referente Calpurnio prætore, senatus decrevit, ut in perpetuum voverentur. Eodem anno prodigia aliquot visa nuntiataque sunt : in æde Concordiæ Victoria, quæ in culmine erat, fulmine icta decussaque, ad Victorias, quæ in antefixis erant[2], hæsit, neque inde procidit : et Anagnia et Fregellis nuntiatum est, murum portasque de cælo tactas ; et in foro Subertano sanguinis rivos per diem[3] totum fluxisse, et Ereti lapidibus pluisse, et Reate mulam pepe-

quam docti fingunt magis, quam norunt, ut Plato in libris de republica. — *Parentum quoque hoc sæculo*, etc.; vide ad III, 20, n. 6.

Cap. XXIII. 1. *T. Otacilium*, quem cum *T. Manlio* consulem declaraverat Veturia juniorum; vide cap. 22 pr. — *Interpellatus ordo comitiorum* a T. Manlio, qui redire in suffragium jusserat Veturiam. — *Referente Calpurnio prætore* de ludis his ad senatum, *eo anno ut fierent*.

2. *Victorias, quæ in antefixis erant*, parvas earum statuas, ornatus causa positas in *antefixis*, inter antefixa, *quæ ex opere figulino tectis affiguntur substillicidio*, Fest. Conf. ad XXXIV, 4, n. 7, et Duker. ad h. l. qui monet, *antefixa* non fuisse fastigia, ἀκρωτήρια templorum, quod Salmas. ad Spartiani Pesc. Nigr. cap. ultim. statuere videatur, sed inferiora culmine, quoniam Victoria de culmine decussa in antefixa sit delata. — *In foro Subertano* omnes pæne MSS et edd. ante Mogunt. ut apud Plin. III, 5, s. 8, ubi Hard. monet, designari oppidum Suberetum, hodie *Sovretto*, haud procul Soana et Flore flum. situm dictumque a *subere*, quo circumjectus ager abundet. *Sudertano* alii, et Sudernum memorat Ptol. III, 1.

3. *Sanguinis rivos per diem*, etc.; vide ad I, 31, n. 1.

risse. Ea prodigia hostiis majoribus sunt procurata [4], et obsecratio in unum diem populo indicta et novemdiale sacrum. Sacerdotes publici aliquot eo anno demortui sunt novique suffecti : in locum M'. Æmilii Numidæ decemviri sacrorum M. Æmilius Lepidus; in locum M'. Pomponii Mathonis pontificis C. Livius; in locum Sp. Carvilii Maximi auguris M. Servilius. T. Otacilius Crassus pontifex quia exacto anno mortuus erat [5], ideo nominatio in locum ejus non est facta. C. Claudius flamen dialis, quod exta perperam dederat, flaminio abiit.

XXIV. Per idem tempus M. Valerius Lævinus, tentatis prius per secreta colloquia principum animis [1], ad indictum ante ad id ipsum concilium Ætolorum classe expedita venit. Ubi quum Syracusas Capuamque captas [2], in fidem in Sicilia Italiaque rerum secun-

4. *Ea prodigia h. m.* s. *procurata;* vide ad I, 20, n. 11. — *Obsecratio;* vide ad III, 63, n. 2. — *Novemdiale sacrum;* vide ad I, 31, n. 3. — *Sacerdotes publici aliquot.* In MSS nonnullis legere est *aliquanti,* quod Lipsius acerrime propugnat, quia sic Plautus, Sallustius aliique loquuntur. Ita et Modius recepit. Sed J. Fr. Gronovio duce, Drakenb. plurimorum et optimorum codd. auctoritatem sequitur. Non enim, inquit, sufficit monuisse, Plautum, Sallustium et alios ita loqui; verum Livium ita loquutum esse, ostendendum erat. Ed.

5. *Quia exacto anno mortuus erat,* etc., utrum in ea re religio aliqua fuerit, an id ob aliam causam fieri non soleret, nusquam inveni; Duk. Immo nominatio successoris *non est facta* hoc anno, *quia exacto,* etc. Hinc dilato : nec mirum. — *Quod exta perperam,* non rite, *dederat,* scil. Jovi, cui idibus cujusvis mensis et V. kal. jul. sacrificare solebat. — *Flaminio abiit :* decreto pontificum, qui ceremoniarum sacrorumque judices ac vindices erant; aut pontificis max. decreto, cui omnia sacra subjecerat Numa (vide I, 20), cuique parere sacerdotes a populo coactos fuisse, aliquot locis narrat Livius; Duk. Conf. Gruch. de vet. Jur. pont. II, 11; Serv. ad Virg. G. II, 194; Intpp. Val. Max. I, 1, n. 4.

Cap. XXIV. 1. *Tentatis prius principum animis;* vide ad IX, 35, n. 1. — *Classe expedita;* vide ad I, 14, n. 4, et V, 16, n. 2.

2. *Ubi quum Syracusas Capuamque captas* esse (*captam* MS Put. et inde Drak.) *ostentasset,* memorasset, docuisset (ut passim *ostentare* et *ostendere :* confer ad XXV, 17, n. 1), simulque jactasset, *in fidem rerum s.;* ut iis fidem faceret; vide ad XXI, 13,

darum, ostentasset, adjecissetque, *jam inde a majoribus traditum morem Romanis colendi socios* [3], *ex quibus alios in civitatem atque æquum secum jus accepissent, alios in ea fortuna haberent, ut socii esse, quam cives, mallent: Ætolos eo in majore futuros honore, quod gentium transmarinarum in amicitiam primi venissent. Philippum eis et Macedonas graves accolas esse; quorum se vim ac spiritus et jam fregisse, et eo redacturum esse, ut non his modo urbibus, quas per vim ademissent Ætolis, excedant, sed ipsam Macedoniam infestam habeant* [4]. *Et Acarnanas, quos ægre ferrent Ætoli a corpore suo diremptos, restituturum se in antiquam formulam jurisque ac ditionis eorum* [5]. Hæc, dicta promissaque ab romano imperatore, Scopas, qui tum prætor gentis erat, et Dorimachus [6], princeps Ætolorum, affirmaverunt auctoritate sua, minore

n. 2. Sic XXXVIII, 51 pr. «vetera luxuriæ crimina ad fidem præsentium criminum referre.»

3. *Morem Romanis colendi socios*, etc. vide ad XXII, 13, n. 9. — *Alios in ea fortuna haberent*, tam leniter tractarent, aliorum conditionem eam esse vellent juberentve. — *Ætolos eo in majore futuros honore*, scil. ait. Hoc verbum intelligit Doer. et majorem interpunct. post *mallent* delendam putat, ut hæc sit periodi præc. apodosis, quam tamen alii verbis, orationi huic proxime subjectis, contineri putant, ut passim apud Livium. Confer ad V, 24, n. 6, et infra ad XXVI, 32, n. 1.

4. *Macedoniam infestam habeant*; vide ad I, 7, n. 7. — *A corpore suo diremptos*, ut *corpus civitatis* cap. 16, confer ad I, 17. n. 2.

5. *Restituturum se in antiquam* (*antiqui* XXXII, 33, n. 8) *formulam juris ac ditionis eorum*, quod una voce cap. extr. *contribuere* et græce προσνέμειν dicitur; Valesian. *Formula juris, imperii, sociorum* XXXII, 33; XXXIII, 38 pr. XXXVIII, 9; XLIII, 6; XLIV, 16, pro simpl. *jus, imperium, socii*, et *formula* pro ditione XXXIX, 26. Similiter *in formam* et *formulam provinciæ redigere*. Quæ omnia respiciunt ad *formulam* quandam normamque, ad quam redigenda sunt et constituenda.

6. *Scopas* et *Dorimachus*, prætores Ætolorum, de quibus vide Polyb. IV, 3-12, 16, 27, 57-67, 77; V, 3-16; IX, 42; XIII, 1, 2; XVI, 39; XVIII, 36 seq. *Dorymachus* ex emend. Dukeri edidit Drak. quia similiter dicatur *Doryphorus* Suet. Ner. 29, *Dorylaus* Cic. pro Dejot. 15, et *Dorylas* Ovid. Met. V, 129. Sed in Polybii codd. semel tantum XVIII, 37, Δορύμαχος legitur, in reliquis locis rectius

cum verecundia et majore cum fide vim majestatemque populi romani extollentes. Maxime tamen spes potiundæ movebat Acarnaniæ : igitur conscriptæ conditiones [7], quibus in amicitiam societatemque populi romani venirent ; additumque, *ut, si placeret vellentque, eodem jure amicitiæ Elei Lacedæmoniique, et Attalus, et Pleuratus et Scerdilædus essent* (Asiæ Attalus, hi Thracum et Illyriorum reges). *Bellum ut extemplo Ætoli cum Philippo terra gererent : navibus ne minus viginti quinqueremibus adjuvaret Romanus. Urbium Corcyræ tenus* [8] *ab Ætolia incipienti solum tectaque et muri cum agris Ætolorum ; alia omnis præda populi romani esset ; darentque operam Romani, ut Acarnaniam Ætoli haberent. Si Ætoli pacem cum Philippo facerent, fœderi adscriberent, ita ratam eorum pacem* [9], *si Philippus arma ab Romanis sociisque, quique eorum ditionis essent, abstinuisset* [10]. *Item, si populus romanus fœdere jungeretur regi, ut caveret, ne jus ei belli inferendi Ætolis sociisque eorum esset.* Hæc convenerunt, conscriptaque biennio post Olym-

Δορίμαχος, quoniam vocc. δορίμαχος, δοριάλωτος, δορίληπτος, δορίκτητος ex tertio casu δορὶ composita sunt: quod jam monuit Schweigh. ad Appian. tom. III, pag. 159. — *Minore verecundia et majore cum fide*, quam fecerant Romani, qui verecundius se laudarant, et tamen minus credebantur, utpote qui in re sua testimonium dabant; Drak. *minore cum facundia, at majore cum fide* emend. Doer. quia Lævinus non sine *ostentatione* loquutus sit. Sed Ætolorum verecundia *minor* esse potuit in laudando. Creverius legit *et majore*, id est, ita ut facilius iis laudibus fides haberetur. Ed.

7. *Conscriptæ conditiones*, etc.; confer Polyb. IX, 30, 39; X, 41; XI, 6; XVIII, 21. *Pleuratus et Scerdilædus;* vide ad XXII, 33, n. 3. *Attalus* rex *Asiæ*, proprie sic Romanis dictæ, tractus litoralis a Pergamo in Mysia ad Cariam. Confer Spanhem. de usu et præstantia NN. Diss. VIII, pag. 511, et IX, pag. 620, ubi et stemma Attalorum.

8. *Corcyræ tenus* MSS; *Corcyra t.* edd. ante Gron. *Corcyra* ipsa ex eo tempore præfectum rom. habuisse et classes rom. recepisse videtur. Confer Ind. et ad XXXVIII, 11, n. 4.

9. *Ratam eorum pacem*, immo *rfore p.*, Mur.

10. *Si Philippus arma ab Romanis abstinuisset;* vide ad II, 22, n. 3. — *Hæc convenerunt;* vide ad I, 3, n. 4

piæ ab Ætolis, in Capitolio ab Romanis, ut testata sacratis monumentis essent, sunt posita. Moræ causa fuerant retenti Romæ diutius legati Ætolorum : nec tamen impedimento id rebus gerendis fuit. Et Ætoli extemplo moverunt adversus Philippum bellum ; et Lævinus Zacynthum (parva insula est propinqua Ætoliæ : urbem unam eodem, quo ipsa est, nomine habet), eam præter arcem vi cepit [11], et OEniadas Nasumque Acarnanum [12] captas Ætolis contribuit. Philippum quoque satis implicatum bello finitimo ratus, ne Italiam Pœnosque et pacta cum Hannibale posset respicere, Corcyram ipse se recepit.

XXV. Philippo Ætolorum defectio Pellæ hibernanti allata est : itaque, quia primo vere [1] moturus exercitum in Græciam erat, Illyrios finitimasque eis urbes alterno metu quietas [2] ut Macedonia haberet, expeditionem subitam in Oricinorum atque [3] Apolloniatium fines fecit, egressosque Apolloniatas cum magno terrore atque pavore compulit intra muros. Vastatis proximis Illyrici [4], in Pelagoniam eadem celeritate vertit iter : inde Dardanorum urbem, sitam in Macedonia, transitum Dardanis facturam, cepit. His raptim actis,

11. *Et Lævinus Zacynthum...eam vi cepit ;* vide ad I, 19, n. 1.

12. *OEniadas Nasumque* (Dor. pro Νῆσον) *Acarnanum* urbes *c. Æ. c. ;* confer Polyb. IX, 33, 39. OEniadæ postea Acarnanibus restitutæ; vide XXXVIII, 11 extr. et Polyb. XXII, 15. — *Ætolis contribuit ;* conf. not. 5.

Cap. XXV. 1. *Primo vere*; vide ad I, 6, n. 1.

2. *Alterno metu quietas* plerique MSS, hoc est, mutuo metu, Macedonum ab Illyriis et horum ab illis. Confer ad XXIII, 26, n. 6, et Tac. Hist. III, 5 extr. *alieno metu* edd. ante Gron. *altergo m.* Put. unde *ab tergo* conj. Salmas. et Ruben. — « Hæc Salmasii conjectura Creverio rectissima videretur nisi vox metu interposita subsultantem orationem efficeret. Cæterum est *alternus pavor* ad XXIII, 26, et Stat. Thebaid. VI, 759 : Alternus paulum timor et permixta furori Consilia, etc. » Ed.

3. *Oricinorum atque Apolloniatium ;* vide ad XXIV, 40, n. 1, 2.

4. *Vastatis proximis Illyrici*, scil. locis, terris, agris. *Illyriis* et *Illyricis* al. — *Pelagoniam ;* vide XLV. 29, 30. Mox *inde Dardanorum urbem Sin-*

memor ætolici junctique cum eo romani belli, per Pelagoniam et Lyncum et Bottiæam in Thessaliam descendit. Ad bellum secum adversus Ætolos capessendum incitari posse homines credebat; et, relicto ad fauces Thessaliæ Perseo cum quatuor millibus armatorum ad arcendos aditu Ætolos, ipse, prius quam majoribus occuparetur rebus, in Macedoniam atque inde in Thraciam exercitum ac Mædos duxit[5]. Incurrere ea gens in Macedoniam solita erat, ubi regem occupatum externo bello ac sine præsidio esse regnum sensisset. Ad Phragandas igitur vastare agros, et urbem Jamphorinam, caput arcemque Mædicæ, oppugnare cœpit. Scopas, ubi profectum in Thraciam regem occupatumque ibi bello audivit, armata omni juventute Ætolorum, bellum inferre Acarnaniæ parat. Adversus quos[6] Acarnanum gens et viribus impar, et jam OEniа-

tiam, in Macedoniam (ita plerique MSS et edd. ante Mogunt.) *transitum D. f.* non male conj. Ruben. Σιντία πόλις Μακεδονίας πρὸς τῇ Θράκῃ, Steph. Sed pro Sintia forte aliam urbem memoravit Livius, ad fines Dardaniæ Macedoniæque sitam. Cæterum *Dardani* gens Mœsiæ (hodie Serviæ) proxima infestissimaque Macedoniæ, quam sæpius invasere; vide Ind. et Polyb. IV, 66; V, 97; XXVIII, 8. — *Lyncus* caput Lyncestidis, in parte septentr. Macedoniæ, in qua et *Pelagonia* fuit. Confer XXXI, 33; XLV, 29, 30. — *Bottiæa*, Βοττιαία, seu Bottiæis, Βοττιαῖς, et Βοττία apud Polyb. V, 97, 4, et Etymol. M. (ubi et Βόττιοι et Βοττιαῖοι ἔθνος Μακεδονικόν, unde forsan *Bottiorum* leg. pro *Vettiorum* XLV, 30, n. 3) parva regio Macedoniæ ad sinum Thermaicum inter Axii et Lydiæ ostia ab occidente Axii flum., ubi is in mare exit, proxima Pieriæ, ut hæc *Thessaliæ*, eaque *Ætoliæ*. Confer Noris. diss. III, de Epoch. Syro-Mac. cap. 2. Τὸ *et* ante *Bottiæam* nescio cur deleverit Drak. Forte operis tribuendum. Malim vero h. l. *Lyncestidem* scribere pro *Lyncum*.

5. *In Traciam exercitum ac*, et quidem, *Mædos duxit* (vide ad II, 42, n. 7): nam Mædi in *Mædica*, regione Thraciæ, sub Pangæo monte sita et proxima Macedoniæ. *Phragandæ* gens Thraciæ propinqua, sed obscura: vel potius oppidum Mædicæ, ut *Jamphorina*, ejus *caput*.

6. *Adversus quos* (scilicet Ætolos) edd. ante Drakenborch. qui e plerisque MSS dedit *quod* scilicet bellum. Sed *adversus bellum instruere bellum* minus bene dicitur. — *Acarnanum gens* et candidissima honestissimaque Græcarum, et constantissima amantissimaque libertatis; vide Polyb. IV,

das Nasumque amissa cernens romanaque insuper arma ingruere, ira magis instruit, quam consilio, bellum. Conjugibus liberisque et senioribus supra sexaginta annos in propinquam Epirum missis, ab quindecim ad sexaginta annos conjurant, nisi victores, se non redituros. Qui victus acie excessisset, eum ne quis urbe, tecto, mensa, lare reciperet, diram exsecrationem in populares, obtestationem quam sanctissimam potuerunt adversus hospites, composuerunt; precatique simul Epirotas sunt, ut, qui suorum in acie cecidissent, eos uno tumulo contegerent, adhiberentque humatis titulum[7]: HIC SITI SVNT ACARNANES, QVI ADVERSVS VIM ATQVE INJVRIAM ÆTOLORVM PRO PATRIA PVGNANTES MORTEM OCCVBVERVNT. Per hæc incitatis animis, castra in extremis finibus suis obvia hosti posuerunt. Nuntiis ad Philippum missis, quanto res in discrimine esset, omittere Philippum id, quod in manibus erat[8], coegerunt bellum, Jamphorina per deditionem recepta, et prospero alio successu rerum[9]. Ætolorum impetum tardaverat primo conjurationis fama acarnanicæ: de-

30; IX, 40; XVI, 32. *Ætoli* contra gens avara, inquieta, superba, ingrata, avida prædæ, socios non minus quam hostes spolians, improba, et belli et pacis jura ignorans, et assueta ex rapto vivere ferinamque quandam agere vitam; vide XXVII, 30; XXXI, 28; XXXII, 34; XXXIII, 11, 44; XXXVI, 17; XXXVIII, 9; XLIII, 22; Polyb. II, 3, 43, 45, 46; IV, 3, 16, 67, 79; IX, 38; XVII, 5; XVIII, 17. — *OEniadas Nasumque amissa.* J. Fr. Gronovius legit *amissas* scil. urbes. At quum *amissa* vetus scriptura sit, pluresque eam codd. tueantur, nihil mutandum erat, nam ad *amissa* æque *oppida*, quam ad *amissas* cum Gronovio *urbes* intelligere possumus. Cæterum, ait Drak. solet etiam alibi duobus nominibus singular. vel pluralibus alterius generis subjungi adjectivum plurale neutrum; vid. ad IV, 57; XL, 10, etc. Ed. — *Ab quindecim ad sexaginta annos:* ætas urgente necessitate et publico discrimine armata, non legitima ætas militaris apud Acarnanas; Duk. Confer Lips. Mil. Rom. I, 2 et 4.

7. *Adhiberentque humatis titulum*, inscriptionem sepulcri, epitaphium. Forte legendum *adscriberentque* cum Gronovio.

8. *Quod in manibus erat, bellum;* vide ad V, 20, n. 1.

9. *Prospero alio successu rerum*, quum hic prosper esset, rebus aliis

inde auditus Philippi adventus regredi etiam in intimos coegit fines. Nec Philippus, quanquam, ne opprimerentur Acarnanes, itineribus magnis ierat, ultra Dium est progressus. Inde, quum audisset reditum Ætolorum ex Acarnania, et ipse Pellam rediit.

XXVI. Lævinus, veris principio a Corcyra profectus navibus, superato Leucata [1] promontorio, quum venisset Naupactum, Anticyram inde se petiturum edixit, ut præsto ibi Scopas Ætolique essent. Sita Anticyra est in Locride læva parte sinum corinthiacum intrantibus: breve terra iter eo, brevis navigatio ab Naupacto est. Tertio ferme post die utrinque oppugnari cœpta est: gravior a mari oppugnatio erat; quia et tormenta machænique omnis generis in navibus erant, et Romani inde oppugnabant. Itaque intra paucos dies recepta urbs per deditionem Ætolis traditur, præda ex

prospere succedentibus.—*Ultra Dium* MSS; *u. Clinen* edd. ante Gron. *Dium* opp. Macedoniæ, ad Haliacmon flum., sub Olympo, in finibus Pieriæ et ora maris; vide XLIV, 7, 9; Polyb. IV, 62; V, 9; Plin. IV, 10.

Cap. XXVI. 1. *Superato Leucata* (hodie *Capo Ducato*) *promontorio* Leucadis, sive Leucadiæ (hodie *S. Maura*), quæ olim pæninsula erat, Acarnaniæ cohærens, et deinde insula est facta (sed jam dudum ante illa tempora, quæ XXXIII, 17, significantur), perfosso isthmo, qui inde Διόρυκτος dictus, et in quo sita *Leucas* urbs, caput Acarnaniæ, olim Neritum (ut insula Neritis) appellatum et nunc Leucada. *Leucata* Put. et alii MSS; *Leucate* edd. ante Drak. Dicebatur Λευκάτας, seu Λευκάτης, Λευκάτα et Λευκάτη. Confer XXXIII, 17; ad Sil. XV, 302; Hard. ad Plin. IV, 1, 2; Casaub. ad Strab. X, pag. 451 seq.; Duker. ad Thucyd. IV, 8; Schweigh. ad Polyb. V, 5, 12; Drak. ad h. l. et ad XLIV, 1, ubi dicitur *superato* scil. promontorio *Leucata*. — *Naupactus* extremum Locridis et postea Ætolorum opp. cum portu ad *sinum Corinthiacum*, hodie *Lepanto*. — *Anticyra*, Ἀντίκυρα, Ἀντικύῤῥα et rectius Ἀντίκιῤῥα (adversa Cyrrhæ, seu Cirrhæ, seu Cirræ) nomen duarum urbium maritimarum hellebori proventu nobilium, in Phocide ad sinum Crissæum vel Corinthiacum, et in Phthiotide, parte Thessaliæ, ad Maliacum sinum et montem OEtam. *Sita Anticyra est in Locride:* forte leg. *in Phocide*, ut XXXII, 18, vel *a Locride*. Sed et Strabo lib. IX, pag. 299, dicit Ἀντίκιῤῥαν in regione OEtæa esse ὁμώνυμον τῇ ἐν Λοκροῖς τοῖς Ἑσπερίοις. Incertos ad maris oram fuisse limites Locrorum et Phocensium, et illos ultra modum prorogatos, ob temporum

pacto Romanis cessit[2]. Literæ Lævino redditæ, consulem eum absentem declaratum, et successorem venire P. Sulpicium. Cæterum, diuturno ibi morbo implicitus, serius spe omnium Romam venit. M. Marcellus, quum idibus martiis consulatum inisset, senatum eo die, moris modo causa, habuit, professus, *nihil se, absente collega, neque de republica, neque de provinciis, acturum. Scire se, frequentes Siculos prope Urbem in villis obtrectatorum suorum*[3] *esse. Quibus, tantum abesse, ut per se non liceat palam Romæ crimina edita ficta-que ab inimicis vulgare, ut, ni simularent, aliquem sibi timorem, absente collega, dicendi de consule esse, ipse eis extemplo daturus senatum fuerit. Ubi quidem collega venisset, non passurum quidquam prius agi, quam ut Siculi in senatum introducantur. Delectum prope a M. Cornelio per totam Siciliam habitum*[4], *ut quam plurimi questum de se Romam venirent. Eundem literis falsis Urbem implesse, bellum in Sicilia esse, ut suam laudem minuat.* Moderati animi gloriam eo die adeptus consul, senatum dimisit; ac prope justitium omnium rerum[5] futurum videbatur, donec alter consul ad Urbem venisset. Otium, ut solet, excitavit plebis rumores: *belli diuturnitate et vastatos agros*

diversitatem vel permistionem turbatorum finium, monet Cellar. Geogr. ant. II, 13.

2. *Recepta urbs Ætolis traditur, præda ex pacto Romanis cessit;* conf. cap. 24, et Polyb. IX, 39.

3. *Obtrectatorum suorum*, M. Cornelii (vide not. 4) et aliorum. — *Dicendi de consule*, accusandi Marcellum, qui nunc consul et præsens esset, absente collega. — *Eis daturus senatum f.;* vide ad VIII, 5, n. 1.

4. *Delectum prope a M. Cornelio per totam Siciliam habitum*, hoc est, numerum accusatorum ab eo submissum, ut prope per totam Siciliam delectum eorum habuisse videatur, tamquam militum; Duk. Errat Pigh. in Ann. ad an. 542.

5. *Justitium omnium rerum;* vide ad III, 3, n. 2.— *Belli diuturnitate et vastatos agros*. Creverio magis placeret, *belli diuturnitatem, et vastatos*, nempe *querebantur*. Et quod ille concecerat, in Lov. 3 et Hav. legi testatur Drak. Parum quidem commode videtur vastatio agrorum, qui circa Urbem erant, bellorum diurnitati adscribi. Eu-

circa Urbem, qua infesto agmine isset Hannibal, et exhaustam delectibus Italiam, et prope quotannis exercitus cæsos querebantur; *et consules bellicosos ambo, viros acres nimis et feroces, creatos, qui vel in pace tranquilla bellum excitare possent, nedum in bello respirare civitatem forent passuri*[6].

XXVII. Interrupit hos sermones nocte, quæ pridie quinquatrus fuit [1], pluribus simul locis circa forum incendium ortum: eodem tempore septem tabernæ, quæ postea quinque, et argentariæ, quæ nunc novæ appellantur, arsere. Comprehensa postea privata ædificia; neque enim tum basilicæ erant [2]: comprehensæ lautumiæ, forumque piscatorium, et atrium regium. Ædes Vestæ vix defensa est tredecim maxime servorum opera, qui in publicum redempti [3] ac manumissi sunt.

6. *Respirare civitatem forent passuri;* vide ad VI, 42, n. 7.

Cap. XXVII. 1. *Pridie quinquatrus;* vide ad Juvenal. X, 115, et ad Tac. Ann. XIV, 12, n 1. — *Septem tabernæ*, etc.; vide ad III, 27, n. 3, et confer Nardin. Rom. vet. V, 8. Supersunt tamen de his quædam satis obscura et incerta, v. c. quæ et quorum hæ *septem tabernæ* fuerint, quando *argentariæ*, quæ deinde *novæ* appellatæ sunt, ita dici cœperint, cur Livius XXVII, 11, pro argentariis *macellum* dicat, et alia; Duk.

2. *Neque enim tum basilicæ erant*, porticus ampliores et magnificæ circa fora, theatra ac templa; vide ad Tac. Ann. III, 72, n. 1. Livius h. l. innuit, suo tempore in ordine post tabernas fuisse basilicas, ubi olim privata ædificia; Glar. — *Lautumiæ* tum lapicidinæ, ad quas noxii solebant damnari (vide Plaut. Capt. III, 5, 65, et Pœn. IV, 2, 5), tum carceres lapidei vel e lapidibus excisi, qualis fuit celeberrimus Syracusanus. Conf. Ind. Cic. Verr. I, 5; V, 27 (ad quæ loca vide Intpp.); Festus v. *Latumiæ* et Dorvill. iter Sicul. tom. I, pag. 181. Vox est græca λατομία et λαοτομία, et quibusdam *latomia* et *latumia* scribitur, sed rectius *lautumia*, judice Gron. ad Liv. XXXVII, 3, quia in Livio, Plauto, Cicerone et Digestis optimi id habeant libri, eorumque auctoritas maxime confirmetur joco Sabini apud M. Senec. Controv. IX, 4 ext. ubi ita legit: *Ne, inquit, quemquam vestrum nomen ipsum*, quasi aliquid *lauti* et parum squaloris præferens; *Lautumiæ inde, quod minime lauta res est.* — *Forum piscatorium* in undecima regione Urbis ad Argiletum. — *Atrium reg.* ad *ædem Vestæ* et latus occid. fori romani, in octava regione Urbis, quod Numæ (alii putant Tarquinii Superbi) *regis* olim domicilium fuerat. Conf. XXVII, 11, et Ov. Fast. V, 263 sq. *Regiæ* conj. Gron.

3. *In pub. redempti;* id est, ut in

Nocte ac die continuatum incendium fuit; nec ulli dubium erat, humana id fraude factum esse, quod pluribus simul locis et iis diversis ignes coorti essent. Itaque consul ex auctoritate senatus pro concione [4] edixit, qui, quorum opera id conflatum incendium, profiteretur, præmium fore, libero pecuniam, servo libertatem. Eo præmio inductus Campanorum Calaviorum servus (Mannus ei nomen erat [5]) indicavit, *dominos et quinque præterea juvenes nobiles campanos, quorum parentes a Q. Fulvio securi percussi erant, id incendium fecisse; vulgoque facturos alia, ni comprehendantur.* Comprehensi ipsi familiæque eorum [6]: et primo elevabatur index indiciumque; *pridie eum verberibus castigatum ab dominis discessisse, per iram ac levitatem ex re fortuita crimen commentum.* Cæterum ut coram coarguebantur, et quæstio ex ministris facinoris foro medio haberi cœpta est, fassi omnes, atque in dominos servosque conscios animadversum est: indici libertas data et viginti millia æris. Consuli Lævino Capuam prætereunti circumfusa multitudo Campanorum est, obsecrantium cum lacrymis, ut sibi Romam ad senatum ire liceret, oratum, si qua misericordia tandem flecti possent, ne se ad ultimum perditum irent, nomenque Campanorum a Q. Flacco deleri sine-

potestate populi essent, ac postea manumissi: v. II, 9, n. 4.

4. *Pro concione* populi, ut VII, 10; XLV, 2; Tac. Ann. I, 44. Sic et al. *in concione;* et simil. *pro tribunali* XXVI, 38, n. 6; XXVII, 19, n. 6; XLV, 26, n. 6; *pro muris, pro rostris, pro litore,* etc. pro *in tribunali,* etc. Cf. ad I, 47, n. 9; XXIV, 22, n. 1; ad Tac. Annal. II, 81, n. 2. — *Edixit;* vid. ad XXI, 63, n. 1.

5. *Mannus ei nomen erat,* forte leg. *Manius ei,* vel cum Gron. *Manio nomen erat.* Id enim nomen servile fuit; vid. Intpp. Cat. Re Rust. 141, al. 142. De *Calaviis* vid. Indic. Mox verba *quorum parentes.... erant* parenthesi forte includenda et Livio tribuenda sunt, non servo; aut *essent* leg. pro *erant.* — *Vulgoque;* vide ad V, 8, n. 1.

6. *Comprehensi ipsi familiæque eorum;* vide ad III, 19, n. 13. — *Elevabatur index indiciumque;* vide ad III, 21, n. 5. — *Viginti millia æris.*

rent. Flaccus, *sibi privatam simultatem cum Campanis*, negare, *nullam esse*[7]: *publicas inimicitias et hostiles esse et futuras, quoad eo animo esse erga populum romanum sciret. Nullam enim in terris gentem esse, nullum infestiorem populum nomini romano. Ideo se mœnibus inclusos tenere eos, quia, si qui evasissent aliqua*[8], *velut feras bestias per agros vagari et laniare et trucidare, quodcumque obvium detur. Alios ad Hannibalem transfugisse, alios ad Romam incendendam profectos. Inventurum in semiusto foro consulem vestigia sceleris Campanorum. Vestæ ædem petitam*[9] *et æternos ignes et conditum in penetrali fatale pignus imperii romani. Se minime censere tutum esse, Campanis potestatem intrandi romana mœnia fieri.* Lævinus Campanos, jurejurando a Flacco adactos, quinto die, quam ab senatu responsum accepissent, Capuam redituros, sequi se Romam jussit. Hac circumfusus multitudine, simul Siculis obviam egressis Ætolisque, Romam præivit[10], clarissimarum urbium excidio celeberrimis viris victos bello accusatores in Urbem ad-

Marcæ argenti Parisienses 31 cum unciis duobus. Ed.

7. *Negare nullam esse;* vide ad II, 45, n. 7. An leg. *ullam?* — *Eo animo*, tam infesto *esse* eos.

8. *Quia, si qui evasissent aliqua* (vide ad III, 70, n. 2), *vagari* pro *vagentur*, vel *eos vagari constet.* Ita *quum* jungitur infinitivo; vide ad I, 35, n. 1; II, 27 pr.

9. *Vestæ ædem petitam* (conf. ad cap. 7, n. 2) *et æternos ignes et conditum*, etc. Vide ad I, 20, n. 3. — *Fatale pignus.* Palladium, quod ab Ænea advectum in Italiam in æde Vestæ asservari jactitabant. Quale fuerit neminem definire notat Creverius, quum summa religione abderetur, nec qui illud tractabant fas esse putarent quidquam de eo apud profanos enunciare. Vid. Virg. Æn. II, 163 sq. et Exc. IV**; Ovid. Met. XIII, 99; Fast. VI, 421 sq. Dict. Cret. I, cap. 5; Apollod. III, 12; Dar. Phryg. Iliad. 10; Dionys. Halic. lib. I; Herod. I, 14; Plut. de Reb. rom.; *Mém. de l'Ac. des Inscript.* IV, V, VI et XIV. Ed.

10. *Simul Siculis... Rom. præivit:* ita e MSS locum restituit Gron. Obss. IV, 16, et intell. *Ætolorum* legatos, Romam missos, ut fœdus cum Lævino initum senatus probaret, ibique diutius retentos; vid. cap. 24. — *Adducens in Urbem accusatores*, Campanos et Siculos, *bello victos* a *viris clarissimarum urbium*, Capuæ et Syracusa-

ducens. De republica tamen primum ac de provinciis ambo consules ad senatum retulere [11].

XXVIII. Ibi Lævinus, quo statu Macedonia [1] et Græcia, Ætoli, Acarnanes Locrique essent, quasque ibi res ipse egisset terra marique, exposuit: *Philippum, inferentem bellum Ætolis, in Macedoniam retro ab se compulsum, ad intima penitus regni abisse, legionemque inde deduci posse: classem satis esse ad arcendum Italia regem.* Hæc de se deque provincia, cui præfuerat. Consulum de provinciis communis relatio fuit. Decrevere Patres, *ut alteri consulum Italia bellumque cum Hannibale provincia esset: alter classem, cui T. Otacilius præfuisset, Siciliamque provinciam cum L. Cincio prætore obtineret.* Exercitus eis duo decreti [2], qui in Etruria Galliaque essent; eæ quatuor erant legiones: urbanæ duæ superioris anni in Etruriam; duæ, quibus Sulpicius consul præfuisset, in Galliam mitterentur: Galliæ et legionibus præesset, quem consul, cujus Italia provincia esset, præfecisset. In Etruriam C. Calpurnius, post prætoram prorogato in annum imperio, missus; et Q. Fulvio Capua provincia decreta prorogatumque in annum imperium. Exercitus civium sociorumque minui jussus, ut ex duabus legionibus una

rum, *excidio celeberrimis*, Q. Fulvio Flacco et Marcello.

11. *De republica... ad senatum retulere*; vide ad XXI, 6, n. 4.

Cap. XXVIII. 1. *Quo statu Macedonia*, etc. Vide ad III, 68, n. 1. — *Classem satis esse.* Classem sine legionario milite, sociis tantum navalibus instructam intelligit Creverius: socii enim navales non ii sunt solum qui nautica ministeria obeunt, sed et milites tuendis navibus attributi. Ed.

2. *Exercitus eis duo decreti..... urbanæ duæ* aliæ.....in *Galliam* ut *mitterentur*, scil. decretum est. Conf. XL, 44, et ad Tac. Ann. I, 15, n. 4, *qui in Etruria*, etc. ex emend. Periz. pro vulg. *quæ in E. G. essent (eæ q. erant) legiones.* — *Legiones urbanæ* ad tutelam Urbis scribi, ac deinde fere altero anno, interdum etiam eodem, si ita res posceret, adversus hostem duci solebant; Duk. Coll. XXIII, 14, 25, 31; XXIV, 11, 44; XXV, 3; XXVI, 28; XXVII, 7, 8, 22, 24, 35, 36; XXIX, 13; XXXIII, 43. — *Prorogato in annum imperio*, etc. Vid. ad XXVII, 22, n. 2.

legio, quinque millia peditum et trecenti equites essent; dimissis, qui plurima stipendia haberent [3]: et sociorum septem millia peditum et trecenti equites relinquerentur, eadem ratione stipendiorum habita in veteribus militibus dimittendis. Cn. Fulvio consuli superioris anni nec de provincia Apulia, nec de exercitu, quem habuerat, quidquam mutatum: tantum in annum prorogatum imperium est. P. Sulpicius collega ejus omnem exercitum, præter socios navales, jussus dimittere est. Item ex Sicilia exercitus, cui M. Cornelius præesset, ubi consul in provinciam venisset, dimitti jussus. L. Cincio prætori ad obtinendam Siciliam cannenses milites dati [4], duarum instar legionum. Totidem legiones in Sardiniam P. Manlio Vulsoni prætori decretæ, quibus L. Cornelius in eadem provincia priore anno præfuerat. Urbanas legiones ita scribere consules jussi, ne quem militem facerent [5], qui in exercitu M. Claudii, M. Valerii, Q. Fulvii, fuissent; neve eo anno plures, quam una et viginti, romanæ legiones essent.

XXIX. His senatusconsultis perfectis, sortiti provincias consules. Sicilia et classis Marcello, Italia cum bello adversus Hannibalem Lævino evenit. Quæ sors,

3. *Dimissis, qui plurima stipendia haberent;* vide ad III, 57, n. 5. — *Præter socios navales;* vide ad IX, 38, n. 1.

4. *L. Cincio prætori ad obtinendam Siciliam cannenses milites dati;* vide ad III, 36, n. 12; XXIII, 25, n. 5, et XXV, 41, n. 8. Dukeri nota est: » Non memorat hic sortem duorum aliorum prætorum. Sed L. Manlium prætorem urbanum fuisse dicit XXVII, 4; C. Lætorium Galliam obtinuisse XXVII, 7. Hunc tamen eam non sortitum fuisse, ex senatusconsulto de Gallia, paulo ante relato, facile colligitur. Nam hoc factum est post adventum Lævini cos. e Græcia, quum prætores magistratum jam inivissent. Relinquitur ergo, ut primum jurisdictionem peregrinam habuerit, et, quum deinde a consule ex senatusconsulto in Galliam missus fuisset, collega ejus, prætor urbanus, utramque jurisdictionem, ut mos erat, exercuerit. »

5. *Ne quem militem facerent*, scil. ex iis, seu eorum, *qui fuissent:* nisi recte quidam edidere *fuisset;* quam expeditiorem lect. Crev. amplectitur. Ed.

velut iterum captis Syracusis, ita exanimavit Siculos[1], exspectatione sortis in consulum conspectu stantes, ut comploratio eorum flebilesque voces et extemplo oculos hominum converterent, et postmodo sermones præbuerint[2]. Circumibant enim senatum cum veste sordida[3], affirmantes, *se non modo suam quisque patriam, sed totam Siciliam, relicturos, si eo Marcellus iterum cum imperio redisset. Nullo suo merito eum ante implacabilem in se fuisse : quid iratum, quod Romam de se questum venisse Siculos sciat, facturum? Obrui Ætnæ ignibus, aut mergi freto*[4], *satius illi insulæ esse, quam velut dedi noxæ inimico.* Hæ Siculorum querelæ, domos primum nobilium circumlatæ celebratæque sermonibus, quos partim misericordia Siculorum, partim invidia Marcelli excitabat, in senatum etiam pervenerunt. Postulatum a consulibus est, ut de permutandis provinciis senatum consulerent. Marcellus, *si jam*[5] *auditi ab senatu Siculi essent, aliam forsitan futuram fuisse sententiam suam*, dicere. *Nunc,*

Cap. XXIX. 1. *Ita exanimavit Siculos*, anxit, conturbavit ita, ut mentis amplius compotes non essent. Sic *exanimare, enecare, occidere,* ἀποκτείνειν, ἀποκναίειν. Cf. Mitscherl. ad Hor. Od. II, 17, v. 1. — *Oculos hominum converterent;* v. ad XXII, 51, n. 3. — *Converterent* MS Put. et alii.

2. *Serm. præbuerint,* ut XXXIV, 54, n. 3, et *sermonem dare* ap. Cic. ad Div. IX, 3, h. e. occasionem sermonis, materiam sermonibus, colloquiis. Conf. ad XLIV, 17, n. 1, et XLIV, 34, n. 2.

3. *Circumibant senatum cum veste sordida;* vide ad II, 54, n. 5. Mox *suam quemque patriam* leg. cum Gron. — Hanc Vallæ et Gron. conjecturam recepit Creverius, ita sane Campanum edidisse, et rectam loquendi rationem postulare testatus : quibus ergo assentior. Tamen si vulgatam receperis, ita intelligendum est : Circumibant, affirmantes, unusquisque suo nomine, se relicturos patriam. Ed.

4. *Aut mergi freto;* vid. ad XXX, 28, n. 6. — *Dedi noxæ inimico,* tradi ejus imperio potestatique nocendi, pœnæ et vindictæ. Conf. ad X, 19, n. 2. — *Domos* (al. *per domos* minus eleganter, judice Gron.) *primum nobilium circumlatæ celebratæque sermonibus;* vide ad I, 4, n. 13.

5. *Marcellus* dicebat, *si jam* aures senatus præbuisset Siculorum querelis, se aliter forsitan de permutandis provinciis sensurum esse; *nunc* vero, *ne quis Siculos, quo minus* illi de magi-

ne quis timore frenari eos dicere posset, quo minus de eo libere querantur, in cujus potestate mox futuri sint, si collegæ nihil intersit, mutare se provinciam paratum esse. Deprecari senatus præjudicium; nam quum extra sortem collegæ optionem dari provinciæ iniquum fuerit, quanto majorem injuriam, immo contumeliam esse, sortem suam ad eum transferri? Ita senatus, quum, quid placeret, magis ostendisset, quam decresset, dimittitur. Inter ipsos consules permutatio provinciarum, rapiente fato Marcellum ad Hannibalem, facta est; ut, ex quo primus adversæ pugnæ[6] gloriam ceperat, in ejus laudem postremus romanorum imperatorum, prosperis tum maxime bellicis rebus, caderet.

XXX. Permutatis provinciis, Siculi, in senatum introducti, multa de Hieronis regis fide perpetua erga populum romanum verba fecerunt, in gratiam publicam avertentes, *Hieronymum ac postea Hippocratem et Epicyden tyrannos, quum ob alia, tum propter defectionem ab Romanis ad Hannibalem, invisos fuisse sibi*[1]. *Ob eam causam et Hieronymum a principibus juventutis prope publico consilio interfectum, et in Epi-*

stratu, *in cujus potestate mox futuri sint, libere querantur, timore* impediri *dicere posset,* se, si idem collegæ placeat, sponte *provinciam mutare paratum esse :* sed se *deprecari senatus præjudicium*, h. e. se postulare, ne senatus in re, quæ a suo ipsius tantummodo pendere debeat arbitrio, ante judicet sive judicium præmittat; Doer. — *Deprecari* se *senatus præjudicium,* ut decretum interponatur senatus, ut id faciat senatusconsulto jussus, id sibi grave idque deprecari; Gron. Conf. supra ad III, 40, n. 10. — *Extra sortem,* etc. Vide ad librum III, cap. 2, n. 1.

6. *Ex quo primus adversæ pugnæ,* victi Hannibalis, *gloriam ceperat... caderet;* vid. ad lib. XXIII, cap. 16, et XXVII, 27.

Cap. XXX. 1. *In gratiam publicam avertentes, Hieronymum ..... invisos fuisse sibi,* ponentes id in loco publici beneficii, a Siculis in Romanos collati, vel hæc memorantes eum in finem et ita interpretantes, ut appareret, nationem suam bene meritam esse de Romanis, eaque eo spectasse, ut ab his gratiam iniret. *Vertentes* malebat Gronov. Sed similiter *avertere* pro vulg. *vertere* et synon. passim dicitur, v. c. XXII, 19; XXXI, 11; XXXVI, 7; XL, 42. Conf. ad III, 63, n. 1. « Avertentes, id est, detor-

cydis Hippocratisque cædem septuaginta nobilissimorum juvenum[2] *conjurationem factam; quos, Marcelli mora destitutos, quia ad prædictum tempus exercitum ad Syracusas non admovisset, indicio facto, omnes ab tyrannis interfectos. Eam quoque Hippocratis atque Epicydis tyrannidem Marcellum excitasse, Leontinis crudeliter direptis. Nunquam deinde principes Syracusanorum desisse ad Marcellum transire pollicerique se urbem, quum vellet, ei tradituros. Sed eum primo vi capere maluisse: dein, quum id neque terra, neque mari, omnia expertus, potuisset, auctores traditarum Syracusarum fabrum ærarium Sosim et Mericum hispanum, quam principes Syracusanorum habere, toties id nequidquam ultro offerentes, præoptasse; quo scilicet justiore de causa vetustissimos socios populi romani trucidaret ac diriperet. Si non Hieronymus ad Hannibalem defecisset, sed populus syracusanus et senatus, si portas Marcello Syracusani publice, et non, oppressis Syracusanis, tyranni eorum Hippocrates et Epicydes, clausissent, si Carthaginiensium animis bellum cum populo romano gessissent; quid ultra, quam quod fecerit, nisi ut deleret Syracusas, facere hostiliter Marcellum potuisse? Certe præter mœnia et tecta exhausta urbis*[3] *et refracta ac spoliata deum delubra, diis ipsis ornamentisque eorum ablatis, nihil relictum Syracusis esse. Bona quoque multis adempta, ita ut ne nudo quidem solo reliquiis direptæ fortunæ alere sese*

quentes, significantius est; » Doering.

2. *LXX nobilissimorum juvenum*, etc. Vid. XXV, 23.

3. *Tecta exhausta urbis;* vide ad X, 44, n. 1. — *Bona quoque multis adempta*, ædes, agros (cf. cap. 21), sive, ut mox vocat, *nudum solum, reliquias direptæ fortunæ* (fortunarum, bonorum); ita ut ne quidem alere se ac suos his possint, quod cæteroquin faciendi spes fuisset, nisi ea quoque Marcellus in publicum redegisset; Drak. *Multis* adeo *adempta bona*, agros et possessiones, *ita ut* ne *nudo quidem solo*, in vacuis et exhaustis ædibus, quæ solæ sibi ex direptis

ac suos possent. Orare se Patres conscriptos, ut, si nequeant omnia, saltem, quæ compareant cognoscique possint, restitui dominis jubeant[4]. Talia conquestos quum excedere ex templo, ut de postulatis eorum Patres consuli possent, Lævinus jussisset, « Maneant « immo, inquit Marcellus, ut coram his respondeam, « quando ea conditione pro vobis, Patres conscripti, « bella gerimus, ut victos armis accusatores habeamus. « Duæ captæ hoc anno urbes Capua Fulvium reum, « Marcellum Syracusæ habeant. »

XXXI. Reductis in curiam legatis, tum consul, « Non « adeo majestatis, inquit, populi romani imperiique « hujus[1] oblitus sum, Patres conscripti, ut, si de meo « crimine ambigeretur, consul dicturus causam, accu- « santibus Græcis, fuerim: sed non, quid ego fecerim, « in disquisitionem venit, quam quid isti pati debue- « rint. Qui si non fuerunt hostes, nihil interest[2], nunc, « an vivo Hierone, Syracusas violaverim. Sin autem « desciverunt, legatos nostros ferro atque armis petie-

fortunis relictæ sint, sese ac suos agrorum fructibus alere possent « Doer. — Sic sensum exponebat Crev.: *ita ut nudo solo*, quum nihil reliquerit Marcellus, præter mœnia urbis exhausta, et spoliata deorum delubra, *ne reliquiis quidem direptæ fortunæ*, id est, privatis suis bonis, agris, etc. alere sese ac suos possent. » Sed Drakenb. censet rectam loquendi rationem non permittere, ut, si hic sensus verborum sit, adeo turbato ordine proponantur. Ego facile cum Doering. sentirem. Ed.

4. *Quæ compareant cognoscique possint, restitui dominis;* vid. ad III, 10, n. 1, et VI, 1, n. 6. — *Excedere ex templo*, curia. Conf. cap. 31 pr. et ad I, 6, n. 6. Mox in omnibus quidem edd. non male *immo* vel ante, vel auctore Rhen. post *maneant* legitur; sed in nullo MS, præter Rhen. *Maneant imo, ait Marcellus* bene conj. Jac. Gron.

Cap. XXXI. 1. *Imperiique hujus*, mei, consularis. — *Accusantibus Græcis;* vide ad XXV, 29, n. 4. *Græca* autem et *Græcula* contemptim dicuntur Romanis. Cf. ad VIII, 22, n. 7; IX, 18, n. 6; XXVIII, 43, n. 9; XLII, 47, n. 2; Sil. III, 178; XII, 41; Juven. III, 61 sq. Mox post *sed non* omissum *tam;* vide supra ad II, 56, n. 8.

2. *Nihil interest;* vide ad VIII, 39, n. 3. Mox post *desciverunt* MS Put. et alii addunt *portas;* unde Gron. conj. *desciverunt ad Pœnos* vel *aperte*, et

« runt, urbem ac mœnia clauserunt, exercituque Car-
« thaginiensium adversus nos tutati sunt; quis passos
« esse hostilia, quum fecerint, indignatur? Tradentes
« urbem principes Syracusanorum aversatus sum:
« Sosim et Mericum hispanum, quibus tantum crede-
« rem, potiores habui [3]. Non estis extremi Syracusa-
« norum, quippe qui aliis humilitatem objiciatis. Quis
« est vestrum, qui se mihi portas aperturum, qui ar-
« matos milites meos in urbem accepturum promiserit?
« Odistis et exsecramini eos, qui fecerunt; et ne hic
« quidem contumeliis in eos dicendis parcitis: tantum
« abest, ut et ipsi tale quidquam facturi fueritis. Ipsa
« humilitas eorum, Patres conscripti, quam isti obji-
« ciunt, maximo argumento est, me neminem, qui na-
« vatam operam reipublicæ nostræ velit [4], aversatum
« esse. Et ante quam obsiderem Syracusas, nunc legatis
« mittendis, nunc ad colloquium eundo, tentavi pa-
« cem; et, postquam neque legatos violandi verecundia
« erat, nec mihi ipsi congresso ad portas cum principi-
« bus responsum dabatur, multis terra marique exhau-
« stis laboribus, tandem vi atque armis Syracusas cepi.
« Quæ captis acciderint, apud Hannibalem et Cartha-
« ginienses victosque [5] justius, quam apud victoris po-
« puli senatum quererentur. Ego, Patres conscripti,

Ruben. *ad portas* vel *in portu legatos*, etc. ex XXIV, 33. — *Exercituque C. tutati sunt* passive; *exercitumque* edd. ante Gronov. — Non equidem video cur clariss. *Ruperti* ad passivum detorqueat verbum *tutati sunt;* immo active intelligo, quo major oriatur invidia in Syracusanos, qui non modo defensi sunt ab exercitu Carth. (quod et invitis accidere potuisset), verum *urbem ac mœnia* ipsi defenderunt per exercitum Carthaginiensium, quos scirent nomini romano infestissimos. Ed. — *Quum fecerint*, sc. hostilia.

3. *Tradentes urbem principes ... potiores habui*, id a legatis ei objectum erat et mox refellitur. — *Extremi Syracus.*, humillimi, infimo loco nati.

4. *Qui navatam operam ..... velit*, immo *vellet;* Gron.

5. *Carthaginienses victosque;* vide ad II, 42, n. 7. *Victos se* vel *sese* quidam MSS. *Victos secum* conj. Gron. *Victos* simpl. Doering. ex Colbert. 2.

« Syracusas spoliatas si negaturus essem, nunquam « spoliis earum urbem Romam exornarem. Quæ autem « singulis victor aut ademi, aut dedi, quum belli jure, « tum ex cujusque merito, satis scio me fecisse. Ea vos « rata habeatis, Patres conscripti, næ magis reipublicæ « interest, quam mea. Mea quippe fides exsoluta est[6]: « ad rempublicam pertinet, ne acta mea rescindendo « alios in posterum segniores duces faciatis. Et quo- « niam coram et Siculorum et mea verba audistis, Pa- « tres conscripti, simul templo excedemus[7], ut, me « absente, liberius consuli senatus possit. » Ita dimissis Siculis, et ipse in Capitolium ad delectum discessit.

XXXII. Consul alter de postulatis Siculorum ad Patres retulit. Ibi quum diu de sententiis certatum[1] esset, et magna pars senatus, principe ejus sententiæ T. Manlio Torquato, *cum tyrannis bellum gerendum fuisse*, censerent, *hostibus et Syracusanorum et populi romani; et urbem recipi, non capi; et receptam legibus antiquis et libertate stabiliri, non fessam miseranda servitute bello affligi. Inter tyrannorum et ducis romani certamina præmium victoris in medio positam urbem pulcherrimam ac nobilissimam periisse, horreum atque ærarium quondam populi romani, cujus munificentia ac donis multis tempestatibus, hoc denique ipso punico bello, adjuta ornataque respublica esset. Si ab inferis exsistat rex Hiero, fidissimus imperii romani*

6. *Ea vos* ut *rata habeatis... mea fides exsoluta est;* vide ad III, 19, n. 1. — *Ad rempublicam* ejusque salutem *pertinet*, valet, magnam vim habet, ut XXXIX, 28.

7. *Templo exced.* vid. c. 30, n. 4.

Cap. XXXII. 1. *De sententiis certatum*, quod attinet sententias; Doer. To *de* delendum; Gron. Mox infinitivi *recipi, capi*, etc. pro : *recipiendam fuisse, capiendam*, etc. Livius, verborum præced. immemor, nunc scribit *recipi, capi*, etc. quasi ante pro *bellum gerendum fuisse* scripserit *bellum geri debuisse* vel *oportuisse;* Crever. Ita et XXVII, 20, n. 3, ad infinitivos *repleri, trajicere, conserere*, etc. intelligendum est *debere* ex præc.

cultor, quo ore aut Syracusas, aut Romam ei ostendi posse[2]*? quum, ubi semirutam ac spoliatam patriam respexisset, ingrediens Romam in vestibulo urbis, prope in porta, spolia patriæ suæ visurus sit?* Hæc taliaque quum ad invidiam consulis miserationemque Siculorum dicerentur, mitius tamen decreverunt Patres causa Marcelli; *quæ is gerens bellum victorque egisset, rata habenda esse. In reliquum*[3]*, curæ senatui fore rem syracusanam, mandaturosque consuli Lævino, quod sine jactura reipublicæ fieri posset, fortunis ejus civitatis consuleret.* Missis duobus senatoribus in Capitolium ad consulem, uti rediret in curiam, et introductis Siculis, senatusconsultum recitatum est : legatique, benigne appellati ac dimissi, ad genua se Marcelli projecerunt, obsecrantes, *ut, quæ deplorandæ ac levandæ calamitatis causa dixissent, veniam eis daret, et in fidem clientelamque*[4] *se urbemque Syracusas acciperet.* Post hæc consul clementer appellatos dimisit.

XXXIII. Campanis deinde senatus datus[1] est, quorum oratio miserabilior, causa durior erat : neque enim meritas pœnas negare poterant, nec tyranni erant, in quos culpam conferrent : sed satis pensum pœnarum, tot veneno absumptis, tot securi percussis senatoribus, credebant. *Paucos nobilium superstites esse, quos nec*

eundum fuisse. Cæterum apodosis sequitur demum interjectam Patrum sententiam : *mitius tamen decreverunt Patres*, etc. Confer ad XXVI, 24, n. 3.

2. *Quo ore aut Syracusas... ostendi posse*, qua impudentia et audacia, ut apud Ter. Phorm. V, 7, 24, et al. Ita et *frons* ac *vultus*, nostrumque *Stirne*. — Eadem loquendi ratione gallice utimur, exempli gratia, *Racine, Athalie*, act. III, sc. 5 : « *De quel front* eet ennemi de Dieu Vient-il, etc. » Ed.

3. *In reliquum* tempus (vide ad XXIII, 20, n. 4), vel quod reliquum esset, cæterum. — *Quod sine jactura reip. fieri posset;* ita Put. et alii MSS. *Quoad* edd. ante Gronov. qui docet, *quod* sæpe pro *quoad* dici. Cf. XLIV, 17; Cic. L. II, 9, 22; ad Div. I, 1, al.

4. *In fidem clientelamque*, etc. Vid. ad XXV, 29, n. 5.

Cap. XXXIII. 1. *Campanis senatus datus;* vid. supra ad VIII, 5, n. 1. — *Meritas pœnas negare p.* hoc non

sua conscientia, ut quidquam de se gravius consulerent[2], *impulerit, nec victoris ira capitis damnaverit; eos libertatem sibi suisque et bonorum aliquam partem orare, cives romanos, affinitatibus plerosque*[3] *et propinquis jam cognationibus ex connubio vetusto junctos.* Submotis deinde e templo[4], paulisper dubitatum, an arcessendus a Capua Q. Fulvius esset (mortuus enim post captam Claudius consul erat[5]), ut coram imperatore, qui res gessisset, sicut inter Marcellum Siculosque disceptatum fuerat, disceptaretur: dein, quum M. Atilium[6], C. Fulvium fratrem Flacci, legatos ejus, ac Q. Minucium et L. Veturium Philonem, item Claudii legatos, qui omnibus gerendis rebus adfuerant, in senatu viderent, nec Fulvium avocari a Capua, nec differri Campanos vellent; interrogatus sententiam M. Atilius Regulus, cujus ex iis, qui ad Capuam fuerant, maxima auctoritas erat, « In consilio, inquit, « arbitror me fuisse consulibus, Capua capta, quum « quæreretur, ecquis Campanorum de republica no- « stra bene meritus esset: duas mulieres compertum

uno modo suppleri potest: sed forte leg. *meritos*, scil. se; Duker. — *Tot veneno absumptis, tot securi percussis senatoribus;* vide ad cap. 14, 15.

2. *Ut quidquam de se gravius* (mortem voluntariam) *consulerent*, statuerent (ut XXX, 43; XLV, 8, al.): exemplo Virrii et XXVII senatorum; vid. cap. 13, 14.

3. *Affinitatibus plerosque*, etc. Cf. ad VIII, 14, n. 9.

4. *Submotis deinde e templo;* vide ad cap. 26, n. 4.

5. *Mortuus enim post captam* Capuam *Claudius consul*, propr. *proconsul.* Conf. cap. 1, 16, mox not. 6, et ad XXVIII, 39, n. 1.

6. *M. Atilium* et *C. Fulvium fratrem* Q. Fulvii *Flacci, legatos ejus*, Q. Fulvii. Quidam MSS ignorant *ejus* et *fratris* habent; unde Gron. emend. *M. Atilium, C. Fulvium fratris Flacci legatos*, ut τὸ *fratris* respiciat solum Fulvium, quasi dictum esset *hunc fratris Flacci.* In plerisque MSS *fratres Flacci*, non improb. Crev. qui nihil vetare putabat, M. Atilium fratrem esse Flacci, etsi diverso nomine sit, sive ex eadem tantum matre ortus, sive per adoptionem in Atiliorum gentem adscitus fuerit. Mox τὸ *item* forte delendum et ex ultima syll. vocis præc. ortum. — MSS Putean. cujus magna est auctoritas, aliique e nostris *fratres:* quare cum Creverio censeo. Ed. — *In consilio arbitror me fuisse*

« est[7], Vestiam Oppiam Atellanam Capuæ habitantem « et Fauculam Cluviam, quæ quondam quæstum cor- « pore fecisset ; illam quotidie sacrificasse pro salute « et victoria populi romani ; hanc captivis egentibus « alimenta clam suppeditasse. Cæterorum omnium « Campanorum eumdem erga nos animum, quem Car- « thaginiensium fuisse ; securique percussos a Q. Ful- « vio esse magis, quorum dignitas inter alios, quam « quorum culpa eminebat[8]. Per senatum agi de Cam- « panis, qui cives romani sunt, injussu populi non « video posse : idque et apud majores nostros in Satri- « canis factum est[9], quum defecissent, ut M. Antistius « tribunus plebis prius rogationem ferret, sciretque « plebs, uti senatui de Satricanis sententiæ dicendæ « jus esset. Itaque censeo, cum tribunis plebis agen- « dum esse, ut eorum unus pluresve rogationem ferant « ad plebem, qua nobis statuendi de Campanis jus fiat. » L. Atilius tribunus plebis ex auctoritate senatus ple- bem in hæc verba rogavit : « Omnes Campani, Atellani, « Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitrium di-

consulibus, proprie proconsulibus, Fulvio et Claudio. Conf. not. 5. Post *capta* maximam distinct. ponere malebat Duk. Idem quærit : cur *arbitrari* se dicit, quod haud dubie pro certo sciebat? Forte leg. *recordor me adfuisse consulibus*.—Walchius, Emend. pag. 200, sq. hanc emendationem impugnat, vulgatamque ita exponit : *arbitror*, est legitimum atque unicum verbum, quod modestus testis adhiberet, idemque significat ac *testor*. Huc igitur multa Ciceronis et aliorum exempla intulit, v. gr. pro Fonteio, cap. 12 : « Primum illud verbum consideratissimum nostræ consuetudinis, ARBITROR, quo etiam tunc utimur, quum ea dicimus jurati, *quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus*. » Conf. et Acad. Quæst. IV, 47. Ed.

7. *Compertum est*, sc. bene meritas esse de republica.

8. *Quorum culpa eminebat ;* forte *emineret*.

9. *Idque in Satricanis factum est* (vide ad XXX, 12, n. 3), *quum defecissent ;* vide ad IX, 12 et 16, ubi tamen rogationis Antistianæ et senatusconsulti nulla fit mentio. — *Sciretque plebs* antique pro *scisceretque ;* Doer. Ita potius legendum putabat Gron. — *Cum tribunis pl. agendum esse ;* vide ad c. 2, n. 4. — *Sabatini ;* vide ad XXIV, 14, n. 2. Formularum veterum oratio horrida solet esse et parum inter se nexa ; Crev.

« tionemque populi romani Fulvio proconsuli, quæque « una secum dediderunt, agrum urbemque, divina « humanaque utensiliaque, sive quid aliud dediderunt; « de iis rebus quid fieri velitis, vos rogo, Quirites. » Plebes sic jussit : « Quod senatus juratus [10], maxima « pars, censeat, qui assident, id volumus jubemusque. »

XXXIV. Ex hoc plebiscito senatusconsultus *Oppiæ Cluviæque primum bona ac libertatem restituit : si qua alia præmia petere ab senatu vellent, venire eas Romam* [1]. Campanis in familias singulas decreta facta, quæ non operæ pretium est omnia enumerare. *Aliorum bona publicanda ; ipsos liberosque eorum et conjuges vendendas, extra filias, quæ enupsissent prius quam in populi romani potestatem venirent. Alios in vincula condendos, ac de his posterius consulendum.* Aliorum Campanorum summam etiam census distinxerunt [2], publicanda necne bona essent : *pecua captiva præter equos, et mancipia, præter puberes virilis sexus,*

10. *Quod senatus juratus* (nam in gravioribus rebus senatus nonnunquam jurabat, se censiturum, quod e fide sua et rep. esse videretur; conf. ad XXX, 40; XLII, 21, et Tac. Annal. IV, 21, n. 7; Casaub. ad Sueton. Aug. 35) et quidem *maxima pars censeat* eorum, *qui assident* ad hanc rem consultandam. *Juratus* active dictum. Cf. ad I, 32, n. 13, et XXXII, 6, n. 1. *Assidetis* edidere Sigon. Gron. Drak. sed parum apte : et in omnibus fere MSS primisque edd. exstat *assidens :* unde *assident* reposui. Ipsum *assidens* recte et antique dictum esse pro *maxima* pars ex eo, qui *assidens* est, h. e. assidet, Doer. qui conf. Catull. LXIII, 57; LXIV, 308. Sed ita potius leg. *maxima pars* eorum, *qui assidentes*, scilic. sunt. *Assederint* vel *assidebunt* conj. Gron. qui bene monet, verba *maxima pars qui a.* per epexegesin adjecta esse τῷ *senatus*, ut ostenderetur, non intelligi omnes et singulos, neque certum requiri numerum; vid. ad II, 23, n. 9.

Cap. XXXIV. 1. *Venire eas Romam*, sc. senatus jussit seu jusserunt; ut mox *aliorum bona publicanda*, etc. scil. censuerunt : quæ verba bis infra adjiciuntur. — *Publicanda ;* vide ad III, 31, n. 2. — *Extra* (præter) *filias, quæ enupsissent*, ex paterna domo in mariti (peregrini, opinor, non Campani) transissent, adeoque pro simpl. *nupsissent*, quod etiam ante Sigon. vulgo legebatur. Conf. ad IV, 4, n. 4.

2. *Aliorum Campanorum summam etiam census distinxerunt* non bene capio : si significare voluit, senatum voluisse *publicari* bona eorum, quibus

et omnia, quæ solo non continerentur, restituenda censuerunt *dominis. Campanos omnes, Atellanos, Calatinos, Sabatinos, extra quam qui eorum, aut ipsi aut parentes eorum, apud hostes essent, liberos esse* jusserunt, *ita ut nemo eorum civis romanus aut latini nominis esset: neve quis eorum, qui Capuæ fuissent, dum portæ clausæ essent, in urbe agrove campano intra certam diem maneret. Locus, ubi habitarent, trans Tiberim*[3], *qui non contingeret Tiberim, daretur. Qui nec Capuæ, nec in urbe campana, quæ a populo romano defecisset, per bellum fuissent, eos cis Lirim amnem Romam versus; qui ad Romanos transissent prius quam Hannibal Capuam veniret, cis Vulturnum emovendos* censuerunt. *Ne quis eorum propius mare quindecim millibus passuum agrum ædificiumve haberet. Qui eorum trans Tiberim emoti essent, ne ipsi posterive eorum uspiam pararent haberentve*[4], *nisi in veiente aut sutrino nepesinove agro; dum ne cui major, quam quinquaginta jugerum, agri modus esset. Senatorum omnium, quique magistratus Capuæ, Atellæ, Calatiæ gessissent, bona venire Capuæ* jusserunt. *Libera cor-*

magnus census erat, non eorum, quibus exiguus, videtur scripturus fuisse *summa*, id est, magnitudine; Duker. *Summa* est multitudo, turba, ut sensus sit: reliqui Campani, in quos singulos non decretum erat, secundum census puniti sunt, secundum census de iis statutum est; Ern. Inter omnem cæterorum Campanorum multitudinem discrimen etiam fecerunt habiti (?) census, ita ut secundum eos constitueretur, *publicanda necne bona essent;* Doer. — *Omnia, quæ solo continerentur*, ædes, agros, hortos aliaque, quæ vulgo *immobilia bona* dicuntur. — *Extra quam, qui;* vid. ad XXII, 3, n. 8. — *Liberos esse jussit.* Ex his verbis et iis quæ sequuntur, patet Livium, dum scripsit supra cap. 16 multitudinem civium campanorum venumdatam, magis ostendisse, quid facere decreverit Flaccus, quam quid fecerit. Is nempe jusserat Campanos venumdari; at re in hoc tempus extracta, senatus ejus decretorum severitatem hac quidem in parte mitigavit; sicut Creverius adnotavit. Ed.

3. *Locus, ubi habitarent, trans Tiberim,* etc. Conf. ad VIII, 14, n. 6. — *Per bellum;* vid. II, 18, n. 1.

4. *Pararent haberentve,* sc. agrum ædificiumve.

pora, quæ venum dari placuerat, Romam mitti ac Romæ venire. Signa, statuas æneas, quæ capta de hostibus dicerentur, quæ eorum sacra ac profana essent, ad pontificum collegium rejecerunt[5]. Ob hæc decreta mœstiores aliquanto, quam Romam venerant, Campanos dimiserunt. Nec jam Q. Fulvii sævitiam in sese, sed iniquitatem deum atque exsecrabilem fortunam suam incusabant.

XXXV. Dimissis Siculis Campanisque, delectus habitus : scripto deinde exercitu, de remigum supplemento agi cœptum. In quam rem quum neque hominum satis, nec, ex qua pararentur stipendiumque acciperent, pecuniæ quidquam ea tempestate in publico esset[1], edixerunt consules, ut privati ex censu ordinibusque, sicut antea, remiges darent cum stipendio cibariisque dierum triginta. Ad id edictum tantus fremitus hominum, tanta indignatio fuit, ut magis dux, quam materia, seditioni deesset[2]. *Secundum Siculos Campanosque plebem romanam perdendam lacerandamque sibi consules sumpsisse. Per tot annos tributo exhaustos nil reliqui, præter terram nudam ac vastam, habere: tecta hostes incendisse, servos agri cultores rempublicam abduxisse, nunc ad militiam parvo ære emendo, nunc remiges imperando. Si quid cui argenti ærisve fuerit, stipendio remigum et tributis annuis ablatum: se, ut dent, quod non habeant, nulla vi, nullo imperio cogi posse. Bona sua venderent; in corpora, quæ reli-*

5. *Ad pontificum collegium rejecerunt;* vide ad II, 22, n. 4.

Cap. XXXV. 1. *In publico esset;* vide ad II, 9, n. 4. — *Ut privati ex censu ordinibusque, ut antea,* etc. Cf. XXIII, 49; XXIV, 18.

2. *Materia seditioni deesset;* vide ad XXVI, 40, n. 6. — Sic nostras *Racine, Mithridate,* act. III, scen. 1 : « Tous n'attendent qu'un chef contre la tyrannie. » Ed. — *Secundum Siculos;* vide ad I, 4, n. 1. — *Servos agri cultores rempublicam abduxisse;* abductos in usum reip. jussu eorum, qui reip. præsint; Gron. — *Nunc ad militiam parvo ære,* stipendio, *emendo*

qua essent, sævirent: ne unde redimantur quidem quidquam superesse. Hæc non in occulto, sed propalam in foro atque oculis ipsorum consulum ingens turba circumfusi fremebant: nec eos sedare consules, nunc castigando, nunc consolando, poterant. Spatium deinde his tridui se dare ad cogitandum dixerunt: quo ipsi ad rem inspiciendam [3] expediendamque usi sunt. Senatum postero die habuerunt de remigum supplemento: ubi quum multa disseruissent, cur æqua plebis recusatio esset, verterunt orationem eo, ut dicerent, *Privatis id, seu æquum, seu iniquum, onus injungendum esse: nam unde, quum pecunia in ærario non esset, paraturos navales socios* [4]*? Quomodo autem sine classibus aut Siciliam obtineri, aut Italia Philippum arceri posse, aut tuta Italiæ litora esse?*

XXXVI. Quum in hac difficultate rerum consilium hæreret, ac prope torpor quidam occupasset hominum mentes, tum Lævinus consul, *Magistratus senatui et senatum populo, sicut honore præstent, ita ad omnia, quæ dura atque aspera essent, subeunda duces debere esse.* « Si quid injungere inferiori velis, id prius in te « ac tuos si ipse juris statueris, facilius omnes obedien- « tes habeas. Nec impensa gravis est [1], quum ex ea plus « quam pro virili parte sibi quemque capere principum « vident: itaque classes habere atque ornare volumus « populum romanum [2]? privatos sine recusatione remi-

eos, *nunc remiges imperando*, dum jusserit, remiges dari, servos esse remiges. — *Ingens turba circumfusi.* Gebhardus conjiciebat *ingenti turba;* sed nihil mutandum, inprimis quum pæne omnes MSS in vulgatam consentiant. Ed.

3. *Ad rem inspiciendam;* vide ad III, 25, n. 4.

4. *Paraturos* se *navales socios;* vid. ad IX, 38, n. 1.

Cap. XXXVI. 1. *Nec impensa gravis est*, acerba inferiori, plebive. — *Pro virili parte;* vid. ad Præf. n. 3.

2. *Itaque* si *volumus populum rom. classes habere atque ornare* (vide ad IX, 40, n. 12), necesse est, vel auctor sum, ut *nobismet ipsis primum impe-*

« ges dare? nobismet ipsis primum imperemus. Aurum,
« argentum, æs signatum omne senatores crastino die
« in publicum conferamus[3]; ita ut annulos sibi quisque
« et conjugi et liberis, et filio bullam, et, quibus uxor
« filiæve sunt, singulas uncias pondo auri relinquant;
« argenti, qui curuli sella sederunt, equi ornamenta et
« libras pondo, ut salinum patellamque deorum causa
« habere possint : cæteri senatores libram argenti tan-
« tum, æris signati quina millia in singulos patresfami-
« liæ relinquamus. Cæterum omne aurum, argentum,
« æs signatum, ad triumviros mensarios[4] extemplo de-
« feramus, nullo ante senatusconsulto facto; ut volun-
« taria collatio et certamen adjuvandæ reipublicæ exci-
« tet ad æmulandum animos primum equestris ordinis,
« dein reliquæ plebis. Hanc unam viam, multa inter
« nos colloquuti, consules invenimus : ingredimini,
« diis bene juvantibus. Respublica incolumis et priva-
« tas res facile salvas præstat : publica prodendo[5], tua

remus remiges (ut cap. 35), vel injungamus impensas, tributa, quæ conferenda sunt. Interrogatio orationem reddit graviorem.

3. *In publicum conferamus*, scilicet usum, vel ærarium (vide ad II, 9, n. 4, et XXXIX, 7, n. 2), vel potius ex ædibus *ad triumviros mensarios deferamus*, ut mox dicitur, palam comportemus, ut XXVIII, 36, n. 3. Cf. ad II, 24, n. 6. — *Ita ut annulos sibi quisque relinquant;* vide ad I, 41, n. 1. — *Filio bullam;* vide ad Juvenal. V, 164, 165. — *Et, quibus uxor filiæve sunt, singulas uncias pondo auri relinquant;* cf. Gron. de Pec. vet. I, 6, qui *filiæque* legit, ne hæc adversentur legi Oppiæ, triennio ante latæ, de qua vide ad XXXIV, 1, n. 2 et 3. Sed ne sic quidem omnis eximitur nobis scrupulus. Nam Lævinus non semiunciam auri, ut Oppius, sed in summis rerum angustiis minus auri relinquendum censuisse videtur uxori. — *Qui curuli sella sederunt*, qui curulem gessere magistratum. — *Argenti*, ex argento, *equi ornamenta*, phaleras. Forte leg. *ex argento* vel *argentea*. — *Libram argenti tantum*, non simul argentea equorum ornamenta. — *Æris signati quina millia.* Asses unciales 5000, qui dant sestertios 1250, marcas argenti nostrates 4, cum unciis 7, et decima sexta unciæ parte, secundum Creverii rationes. Ed.

4. *Cæterum* (reliquum) *omne aurum.., ad triumviros mensarios;* vide ad VII, 21, n. 3. — *Ingredimini* hanc viam.

5. *Publica prodendo*, etc. Vide ad

« nequidquam serves. » In hæc tanto animo consensum est, ut gratiæ ultro consulibus agerentur. Senatu inde misso, pro se quisque aurum, argentum et æs in publicum conferunt, tanto certamine injecto, ut prima inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse; ut nec triumviri accipiundo, nec scribæ referundo[6] sufficerent. Hunc consensum senâtus equester ordo est sequutus; equestris ordinis plebes. Ita sine edicto, sine coercitione magistratus, nec remige in supplementum, nec stipendio respublica eguit; paratisque omnibus ad bellum, consules in provincias profecti sunt.

XXXVII. Neque aliud magis[1] tempus belli fuit, quo Carthaginienses Romanique pariter variis casibus immixtis magis in ancipiti spe ac metu fuerint. Nam Romanis et in provinciis, hinc in Hispania adversæ res, hinc prosperæ in Sicilia, luctum et lætitiam miscuerant : et in Italia, quum Tarentum amissum damno et dolori, tum arx cum præsidio retenta præter spem gaudio fuit : et terrorem subitum pavoremque urbis Romæ obsessæ et oppugnatæ Capua post dies paucos capta in lætitiam vertit. Transmarinæ quoque res[2] qua-

II, 43, n. 5, et XXII, 10, n. 10. — Sic auctor ad Her. lib. IV : « Sapiens nullum pro republica periculum vitabit, ideo quod sæpe fit, ut, quum pro republica perire noluerit, necessario cum rep. pereat... Ex naufragio patriæ salvus nemo potest enatare, etc. » Ed.

6. *Nec scribæ referundo*, ad referendum in tabulas publicas. — *Sine coercitione magistratuum* (vide ad IV, 53, n. 2) ex emend. Gron. pro vulg. *sine cohortatione.*

Cap. XXXVII. 1. *Neque aliud magis*, etc. hoc *magis* mox repetitur et expungendum est; Gron. Cf. ad I, 3, n. 8. — *Variis casibus immixtis.* Walchius, Emend. pag. 156, ait et sensum et latinitatem flagitare *immixti :* eleganter enim homines rebus mixti, immixti, permixti dicuntur, non res hominibus. Sic Tac. Annal. III, 38, *consiliis permixtum;* IV, 40, negotiis *permixtos*, et al. quam emendationem nonnulli codd. tuentur. Ed.

2. *Transmarinæ quoque res*, in Macedonia ac Græcia, *quadam vice pensatæ*, ut lib. XXVII, cap. 40 pr. et XXXVII, 1, *adversa secundis pensata*, etc. Jactatæ, ut modo in dete-

dam vice pensatæ : Philippus hostis tempore haud satis opportuno factus ; Ætoli novi adsciti socii Attalusque Asiæ rex, jam velut despondente fortuna Romanis imperium Orientis. Carthaginienses quoque Capuam amissam[3] et Tarentum captum æquabant ; et, ut ad mœnia urbis romanæ nullo prohibente se pervenisse ingloria ponèbant, ita pigebat irriti incepti, pudebatque adeo se spretos, ut, sedentibus ipsis ad romana mœnia, alia porta exercitus romanus in Hispaniam duceretur[4]. Ipsæ quoque Hispaniæ quo propius spem venerant, tantis duobus ducibus exercitibusque cæsis, debellatum ibi ac pulsos inde Romanos esse ; eo plus, ab L. Marcio tumultuario duce[5] ad vanum et irritum victoriam redactam esse, indignationis præbebat. Ita æquante fortuna[6], suspensa omnia utrimque erant, integra spe, integro metu, velut illo tempore primum bellum inciperent.

XXXVIII. Hannibalem ante omnia angebat, quod Capua, pertinacius oppugnata ab Romanis, quam defensa ab se, multorum Italiæ populorum animos averterat : quos neque omnes tenere præsidiis[1], nisi vellet in multas parvasque partes carpere exercitum, quod

riorem partem, modo in meliorem inclinaret pondus ; Ern. —*Despondente ;* vide ad IV, 13, n. 1.

3. *Carthaginienses quoque amissam Capuam*, Capuæ possessionem, *et Tarentum captum*, Tarenti expugnationem, *æquabant*, illa re tantum damni, quantum hac lucri fecisse videbantur et putabant.

4. *Exercitus roman. in Hispaniam duceretur ;* vide cap. 11. — *Quo propius spem venerant*, sc. Carthaginienses. Conf. ad I, 25, n. 11.

5. *Ab L. Marcio tumultuario duce ;* vide ad I, 37, n. 4, et conf. XXV, 37-39. — *Eo plus indignationis præbebat, victoriam redactam esse*, etc. id, quod victoria redacta erat. *Præbebat* edd. ante Drak. qui edidit ex quibusdam MSS. *Præbebant*, scilicet Hispaniæ Carthaginiensibus.

6. *Ita æquante fortuna*, scilic. adversa secundis, nisi *æquante* passive dictum (vide ad II, 3, n. 2), vel leg. *ista* aut *æquata*. — *Suspensa ;* vid. ad II, 32, n. 5.

Cap. XXXVIII. 1. *Omnes tenere præsidiis ;* vid. ad XXII, 22, n. 9. — *In multas partes carpere exercitum ;* vide ad III, 5, n. 1.

minime tum expediebat, poterat; nec deductis præsidiis, spei liberam vel obnoxiam timori sociorum relinquere fidem[2]. Præceps in avaritiam[3] et crudelitatem animus ad spolianda, quæ tueri nequibat, ut vastata hosti relinquerentur, inclinavit. Id fœdum consilium quum incepto, tum etiam exitu fuit : neque enim indigna patientium modo abalienabantur animi, sed cæterorum etiam ; quippe ad plures exemplum, quam calamitas, pertinebat[4]. Nec consul romanus tentandis urbibus, sicunde spes aliqua se ostendisset, deerat. Salapiæ principes erant Dasius et Blattius[5] : Dasius Hannibali amicus; Blattius, quantum ex tuto poterat, rem romanam fovebat, et per occultos nuntios spem proditionis fecerat Marcello ; sed sine adjutore Dasio res transigi non poterat. Multum ac diu cunctatus, et tum quoque magis inopia consilii potioris, quam spe effectus, Dasium appellabat : at ille, quum ab re aversus, tum æmulo potentatus inimicus, rem Hannibali aperit. Arcessito utroque, Hannibal quum pro tribunali quædam ageret[6], mox de Blattio cogniturus, starentque submoto populo accusator et reus : Blattius de proditione Dasium appellabat[7]. *Enimvero*, ille, velut in

2. *Nec spei liberam sociorum relinquere fidem* poterat, h. e. efficere, ut sociis liceret, ad eas partes, a quibus plus commodi sperarent, transire, ad Romanos deficere; ut liberam haberent spem; conf. ad XXII, 34, n. 8. *Spei liberam fidem* eorum sociorum, qui nutantes jam ita facilius se ad Romanos defecturos sperabant; *timori obnoxiam* eorum, qui ex animo ei faventes metu armorum cogi poterant, ut se Romanis jungerent; Drak.

3. *Præceps in avaritiam;* vid. ad I, 32, n. 13.

4. *Ad plures exemplum q. c. pertinebat;* vide ad XXIII, 49, n. 3. — *Tentandis urbibus deerat;* vide ad III, 46, n. 3, et IX, 35, n. 1.

5. *Salapiæ principes erant Dasius et Blattius*, etc. Conf. Appian. Hannib. 45-47, et Val. Max. III, 8, ext. 1, et de *Salapia* supra ad XXIV, 20, n. 9. *Blattius* MS Flor. et Putean. In aliis libris *Blatius* (ut apud Appian.), *Blactius, Blasius :* apud Valer. *Blasius* et *Blassius*. Conf. Gronov. Obss. IV, 11, p. 166.

6. *Pro tribunali quædam ageret;* vide ad cap. 27, n. 4.

7. *Blattius de proditione Dasium*

manifesta re, exclamat, *sub oculis Hannibalis secum de proditione agi.* Hannibali atque eis, qui aderant, quo audacior res erat, minus similis veri visa est. *Æmulationem profecto atque odium esse; et id crimen adferri, quod, quia testem habere non posset, liberius fingenti sit*[8]. Ita inde dimissi sunt: nec Blattius ante abstitit tamen tam audaci incepto, quam idem obtundendo docendoque, quam ea res ipsis patriæque salutaris esset, pervicit, ut præsidium punicum (quingenti autem Numidæ erant) Salapiaque traderetur Marcello. Nec sine cæde multa tradi potuit: longe fortissimi equitum toto punico exercitu erant[9]. Itaque quamquam improvisa res fuit, nec usus equorum in urbe erat, tamen, armis inter tumultum captis, et eruptionem tentaverunt, et, quum evadere nequirent, pugnantes ad ultimum occubuerunt; nec plus quinquaginta ex his in potestatem hostium vivi venerunt: plusque aliquanto damni hæc ala equitum amissa Hannibali, quam Salapia, fuit: nec deinde unquam Pœnus (quo longe plurimum valuerat) equitatu superior fuit.

XXXIX. Per idem tempus, quum in arce tarentina vix inopia tolerabilis esset, spem omnem præsidium, quod ibi erat, romanum præfectusque præsidii[1] atque arcis M. Livius in commeatibus ab Sicilia missis habebant. Qui ut tuto præterveherentur oram Italiæ, classis viginti ferme navium Rhegii stabat. Præerat classi commeatibusque D. Quintius, obscuro genere ortus, cæterum multis fortibus factis gloria militari

appellabat, cum eo agebat rogans hortans; propr. prior eum sermone adibat, alloquebatur. — *Enimvero;* vide ad I, 51, n. 5.

8. *Id crimen afferri, quod, quia testem habere non potuisset, liberius fingenti sit;* vide ad IX, 19, n. 3, et XXX, 32, n. 4. — *Liberius fingeretur* edd. ante Gron. ex interpret.

9. *Longe fortissimi equitum toto punico exercitu erant*, scilicet illi D Numidæ.

Cap. XXXIX. 1. *Præfectus præsidii*, etc. Vide ad XXIV, 20, n. 7.

illustris. Primo quinque naves, quarum maximæ duæ triremes a Marcello ei traditæ erant, habuit[2]: postea rem impigre sæpe gerenti tres additæ quinqueremes: postremo ipse, a sociis Rheginisque et a Velia et a Pæsto debitas ex fœdere exigendo, classem viginti navium, sicut ante dictum est, effecit. Huic ab Rhegio profectæ classi Democrates cum pari classe navium tarentinarum numero[3], quindecim millia ferme ab urbe ad Sacriportum obvius fuit. Velis tum forte, improvidus futuri certaminis, Romanus veniebat. Sed circa Crotonem Sybarimque suppleverat remigio naves, instructamque et armatam egregie pro magnitudine navium classem habebat; et tum forte sub idem fere tempus et venti vis omnis cecidit, et hostes in conspectu fuere, ut ad componenda armamenta[4] expediendumque remigem ac militem ad imminens certamen satis temporis esset. Raro alias tantis animis justæ concurrerunt classes: quippe quum in majoris discrimen rei quam ipsæ erant[5], pugnarent; Tarentini, ut, recupe-

2. *A Marcello ei traditæ erant, habuit:* si constaret, eum has omnes quinque naves a Marcello accepisse, non dubitarem, distinctione post *quinqueremes* posita, expellere *habuit:* sed quia hoc, etsi non improbabile, tamen incertum est, nihil tento; Duk. — *Debitas ex fœdere*, naves, quas socii secundum fœderis leges Romanis dare debebant.

3. *Cum pari classe...numero.* Creverius arbitratur vocem *classe* hic superfluam et odiosam esse. Ed.—*Quindecim millia ferme* (vide ad IX, 24, n. 2) *ab urbe*, Tarento, *ad Sacriportum*, locum sinui tarentino adjacentem, et non minus ignotum, quam Sacriportus in Volscis, ubi Marii filius a Sulla victus. — *Sybaris*, ut Drakenb. verbis utar, antiquioribus temporibus appellata est, quæ postea *Thurii* dicta fuit. Quum autem, prisco illo *Sybaris* nomine jam diu antea abolito, Livius eam urbem supra X, 2, et alibi recentiore *Thuriorum* appellatione vocitaverit, quin et mox hoc capite *Thurinos* memoret, vox *Sybarim* suspecta est Cluv. Ital. ant. IV, 13, ejusque loco *Siberinam* legendum suspicatur. Ed. — *Suppleverat remigio naves;* vide ad III, 15, n. 8. — *Armatam pro magnitudine navium;* vide ad VII, 33, n. 2, et IX, 40, n. 12.

4. *Ad componenda armamenta;* vide ad XXI, 49, n. 7.

5. *In majoris discrimen rei, quam ipsæ erant*, scil. magnæ, h. e. quam cui multitudo navium responderet,

rata urbe ab Romanis post centesimum prope annum[6], arcem etiam liberarent, spe commeatus quoque hostibus, si navali prælio possessionem maris ademissent, interclusuros; Romani, ut, retenta possessione arcis ostenderent, non vi aut virtute, sed proditione ac furto[7] Tarentum amissum. Itaque ex utraque parte signo dato quum rostris concurrissent, neque retro navem inhiberent[8], nec dirimi ab se hostem paterentur, quam quis indeptus navem erat, ferrea injecta manu; ita conserebant ex propinquo pugnam, ut non missilibus tantum, sed gladiis etiam prope collato pede gereretur res[9]. Proræ inter se junctæ hærebant; puppes alieno remigio[10] circumagebantur. Ita in arcto stipatæ erant naves[11], ut vix ullum telum in mari vanum intercideret. Frontibus velut pedestris acies urgebant, perviæque naves pugnantibus erant. Insignis tamen inter cæteras pugna fuit duarum, quæ primæ agminis concurrerant inter se. In romana nave ipse Quintius erat, in tarentina Nico[12], cui Perconi fuit cognomen, non publico modo, sed privato etiam odio invisus atque infestus Romanis; quod ejus factionis erat, quæ

quam pro numero navium. Conf. ad VI, 17, n. 1, et VII, 33, n. 2.

6. *Post centesimum prope annum*, propr. annum LXIII inde ab anno U. C. 480, quo Milo, Tarento præfectus a Pyrrho, urbem L. Papirio cos. tradidit. — *Spe* concepta seu facta, quum spes esset, *commeatus quoque hostibus interclusuros*, sc. se esse. Cf. ad III, 15, n. 6, et XXIV, 13, n. 2. *Interclusuros* et *spe* ex plerisque MSS pro vulg. *spem commeatus interclusuri*, quod forte non spernendum.

7. *Prod. ac furto*; v. IX, 31, n. 7.

8. *Neque retro navem inhiberent*, propr. cursum navis cohiberent seu reprimerent retro eam agendo, seu convertendo remis, quod fit inprimis fugæ causa vel ab ingressuris portum. Cf. XXX, 10; XXXVII, 30; Græv. ad Cic. ad Att. XII, 13; XIII, 21, et Gron. Obss. IV, 26. — *Ferrea injecta manu*, quod nobis dicitur *entern*; vide ad XXIV, 34, n. 6. — *Conserebant pugnam*, al. *conferebant*; vide ad VI, 12, n. 7.

9. *Collato pede gereretur res*; vide ad VI, 12, n. 7.

10. *Alieno remigio*, sc. romanorum navium puppe remis Tarentinorum, Tarentinarum remis Romanorum.

11. *In arcto st. naves*; v. V, 38, n. 4.

12. *Nico, cui Perconi fuit c.* etc. Vide ad XXV, 8, n. 2.

Tarentum Hannibali prodiderat. Hic Quintium, simul pugnantem hortantemque suos, incautum hasta transfigit : ille atque præceps cum armis procidit[13] ante proram. Victor Tarentinus, in turbatam duce amisso navem impigre transgressus, quum submovisset hostes, et prora jam Tarentinorum esset, puppim male conglobati tuerentur Romani, repente et alia a puppi triremis hostium apparuit. Ita in medio circumventa romana navis capitur. Hinc cæteris terror injectus, ut prætoriam navem captam videre; fugientesque passim, aliæ in alto mersæ, aliæ in terram remis abreptæ mox prædæ fuere Thurinis Metapontinisque[14]. Ex onerariis, quæ cum commeatu sequebantur, perpaucæ in potestatem hostium venere : aliæ, ad incertos hinc atque illinc obliqua transferentes vela, in altum evectæ sunt. Nequaquam pari fortuna per eos dies Tarenti res gesta : nam ad quatuor millia hominum frumentatum egressa quum in agris passim vagarentur, Livius, qui arci præsidioque romano præerat, intentus in omnes occasiones gerendæ rei, C. Persium, impigrum virum, cum duobus millibus armatorum ex arce emisit. Qui, vage effusos per agros palatosque adortus, quum diu passim cecidisset, paucos ex multis, trepida fuga incidentes, semiapertis portarum foribus, in urbem compulit, ne urbs eodem impetu caperetur[15]. Ita æquatæ

13. *Ille atque præceps procidit;* vid. ad Præf. n. 13. *Illè simul atque p. cum armis p. a. proram, victor,* etc. Curio et post eum alii edidere. Sed illud *simul* abest a MSS et antt. edd. prob. Gron. qui monet, *atque* h. l., ut et alibi, inpr. apud Plautum, positum esse pro *continuo* vel *statim*. Conf. Duk. et Drak. ad h. l. et ad XXVII, 21; Gell. X, 29; Burm. et Heyn. ad Virg. Georg. I, 203; Davis. ad Cic. Leg. II, 4, et Schelleri Lex. lat. Forte leg. *transfigit, atque* (et) *ille*, etc.

14. *Thurinis Metapontinisque*, qui ad Hannibalem defecerant; vide ad XXII, 61; XXV, 15. — *Aliæ;* vide ad IV, 10, n. 2.

15. *Ne urbs eodem impetu caperetur*, verba, quæ pendent a *semiapertis;* unde vel illa post hanc vocem, vel *in urbem compulit* post *multis* ponenda suspicari possis. Cf. Jac. Gron.

res ad Tarentum; Romanis victoribus terra, Tarentinis mari. Frumenti spes, quæ in oculis fuerat, utrosque frustrata pariter.

XL. Per idem tempus Lævinus consul, jam magna parte anni circumacta[1], in Siciliam, veteribus novisque sociis exspectatus, quum venisset, primum ac potissimum omnium ratus, Syracusis nova pace inconditas componere res. Agrigentum inde, quod belli reliquum erat, tenebaturque a Carthaginiensium valido præsidio, duxit legiones : et adfuit fortuna incepto. Hanno erat imperator Carthaginiensium, sed omnem in Mutine Numidisque spem repositam habebant[2]. Per totam Siciliam vagus prædas agebat ex sociis Romanorum : neque intercludi ab Agrigento vi aut arte ulla, nec quin erumperet, ubi vellet, prohiberi poterat. Hæc ejus gloria, quia jam imperatoris quoque famæ officiebat, postremo in invidiam[3] vertit; ut ne bene gestæ quidem res jam Hannoni propter auctorem satis lætæ essent. Propter quæ postremo præfecturam ejus filio suo dedit, ratus, cum imperio auctoritatem quoque ei inter Numidas erepturum : quod longe aliter evenit; nam veterem favorem ejus sua insuper invidia auxit. Neque ille indignitatem injuriæ tulit, confestimque ad Lævinum occultos nuntios misit de tradendo Agrigento. Per quos ut est facta fides

ad Gell. XII, 5. Ante *ne* Pal. sec. inserit *parumque abfuit*, quod probant Gebhard. et Doering.

Cap. XL. 1. *Magna parte anni circumacta;* vide ad VI, 1, n. 3. — *Exspectatus;* conf. ad XXVIII, 27, n. 6. — *Nova pace inconditas componere res,* ut XLV, 17 pr. et al. *ordinare provinciam.* Conf. ad XXI, 57, n. 11, et XXIV, 24, n. 2. — *Belli reliquum;* vide ad IV, 27, n. 1. Ad seqq. et de *Agrigento* cf. Polyb. IX, 27.

2. *Spem repositam habebant*, scil. Carthaginienses : male omnes libri (præter Put. et Colb.) *habebat;* nam sic Hanno non irritasset Mutinen ablata præfectura; Gronov. — *Prædas agebat*, scil. Mutines.

3. *In invidiam vertit gloria;* vide ad II, 3, n. 2.

compositusque rei gerendæ modus, portam ad mare ferentem Numidæ quum occupassent, pulsis inde custodibus aut cæsis, Romanos ad id ipsum missos in urbem acceperunt. Et quum agmine jam in media urbis[4] ac forum magno tumultu iretur, ratus Hanno non aliud, quam tumultum ac successionem (id quod et ante acciderat) Numidarum esse, ad comprimendam seditionem processit. Atque ille, quum ei multitudo major, quam Numidarum, procul visa, et clamor romanus haudquaquam ignotus ad aures[5] accidisset, prius quam ad ictum teli veniret, capessit fugam. Per aversam portam emissus, assumpto comite Epicyde, cum paucis ad mare pervenit; nactique opportune parvum navigium, relicta hostibus Sicilia, de qua per tot annos certatum erat, in Africam trajecerunt. Alia multitudo Pœnorum Siculorumque, ne tentato quidem certamine, quum cæci in fugam ruerent, clausique exitus essent, circa portas cæsa. Oppido recepto Lævinus, qui capita rerum Agrigenti erant, virgis cæsos securi percussit: cæteros prædamque vendidit: omnem pecuniam Romam misit. Fama Agrigentinorum cladis Siciliam quum pervasisset, omnia repente ad Romanos inclinaverunt. Prodita brevi sunt viginti oppida; sex vi capta; voluntaria deditione in fidem venerunt ad quadraginta: quarum civitatium principibus quum pro cujusque merito consul pretia[6] pœnasque exsolvisset, coegissetque Siculos, positis tandem armis, ad agrum colendum animos convertere, ut esset non incolarum modo alimentis frugifera insula, sed urbis

4. *In media urbis*, scil. loca; vide ad Drakenb.

5. *Ad aures accidisset clamor;* vid. ad XXI, 10, n. 15. — *Ad ictum teli veniret*, forte cum Periz. legendum *ad jactum*: nam *sub ictum teli venire* bene dicitur, non *ad ictum;* Drak. Cf. ad librum XLIII, cap. 10, n. 4.

6. *Pretia pœnasque*, quidam libri vett. *præmia p.* Conf. Drak. — *Sed urbis Romæ ... annonam levaret;* vide ad I, 40, n. 1, et II, 34, n. 10. —

Romæ atque Italiæ (id quod multis sæpe tempestatibus fecerat) annonam levaret; ab Agathyrna inconditam multitudinem secum in Italiam transvexit. Quatuor millia hominum erant, mixti ex omni colluvione exsules, obærati, capitalia ausi plerique, et quum in civitatibus suis ac sub legibus vixerant, et postquam eos ex variis causis fortuna similis conglobaverat Agathyrnam, per latrocinia ac rapinam tolerantes vitam. Hos neque relinquere Lævinus in insula, tum primum nova pace coalescente [7], velut materiam novandis rebus, satis tutum ratus est : et Rheginis usui futuri erant ad populandum bruttium agrum, assuetam latrociniis quærentibus manum. Et, quod ad Siciliam attinet, eo anno debellatum est.

XLI. In Hispania principio veris P. Scipio, navibus deductis [1] evocatisque edicto Tarraconem sociorum auxiliis, classem onerariasque ostium inde Iberi fluminis petere jubet. Eodem legiones ex hibernis convenire quum jussisset, ipse cum quinque millibus sociorum ab Tarracone profectus ad exercitum est. Quo quum venisset, alloquendos maxime veteres milites, qui tantis superfuerant cladibus, ratus, concione advocata, ita disseruit : « Nemo ante me novus impera-
« tor militibus suis prius, quam opera eorum usus es-
« set, gratias agere jure ac merito potuit. Me vobis
« prius, quam provinciam aut castra viderem, obli-

Inconditam mult.; vide ad XXI, 57, n. 11. — *Mixti ex omni colluvione.* Eadem fere occurrunt apud nostratem *P. Corneille*, *Cinna*, Act. V, sc. 1 : « Un tas d'hommes perdus de dettes et de crimes, Que pressent de mes lois les ordres légitimes, Et qui, désespérant de les plus éviter, Si tout n'est renversé ne peuvent subsister. Ed.

7. *Nova pace coalescente insula;* vide ad I, 11, n. 2. — *Materiam novandis rebus;* vide ad I, 39, n. 4, et I, 52, n. 1. — Sic est apud Virg. Æneid. IV, vers. 290 : « Et, quæ sit rebus caussa novandis, Dissimulent. » Ed.

Cap. XLI. 1. *Navibus deductis;* vide ad VIII, 26, n. 1. Mox Livius exornavit brevem Scipionis orationem apud Polyb. X, 6.

« gavit fortuna : primum, quod ea pietate erga patrem « patruumque meum vivos mortuosque fuistis : dein- « de, quod amissam tanta clade provinciæ possessio- « nem integram et populo romano, et successori mihi « virtute vestra obtinuistis. Sed quum jam benignitate « deum id paremus atque agamus, non ut ipsi manea- « mus in Hispania, sed ne Pœni maneant, nec ut pro « ripa Iberi stantes arceamus transitum hostis[2], sed « ut ultro transeamus transferamusque bellum; ve- « reor, ne cui vestrum majus id audaciusque consi- « lium, quam aut pro memoria cladium nuper accep- « tarum, aut pro ætate mea, videatur. Adversæ pugnæ « in Hispania nullius in animo, quam meo, minus ob- « literari possunt; quippe cui pater et patruus intra « triginta dierum spatium, ut aliud super aliud cumu- « laretur familiæ nostræ funus, interfecti sunt. Sed ut « familiaris pæne orbitas ac solitudo frangit animum, « ita publica quum fortuna tum virtus desperare de « summa rerum prohibet[3]. Ea fato quodam data nobis « sors est, ut magnis omnibus bellis victi vicerimus. « Vetera omitto, Porsenam, Gallos, Samnites : a pu- « nicis bellis incipiam : quot classes, quot duces, quot « exercitus priore bello amissi sunt? Jam quid hoc « bello memorem? Omnibus aut ipse adfui cladibus, « aut, quibus abfui, maxime unus omnium eas sensi. « Trebia, Trasimenus, Cannæ, quid aliud sunt, quam « monimenta occisorum exercituum consulumque ro- « manorum? Adde defectionem Italiæ, Siciliæ majoris

2. *Arceamus transitum hostis*, id est, hostes transeuntes, ut I, 30, et III, 69, *fuga* pro fugientibus; Ern. Simpliciter ratio est : prohibeamus transitum hostis. *Arceamus transitu hostes* edidit Drak. ex emend. Gron. — *Audaciusque consilium, quam pro memoria cladium*, etc.; vide ad VII, 33, n. 2. Mox *interfecti sint* malebat Gron.

3. *Publica fortuna desperare de summa rerum prohibet;* vide ad III, 5, n. 6, et VI, 30, n. 3. — *Jam quid hoc bello memorem*, scil. amissum esse?

« partis, Sardiniæ. Adde ultimum terrorem ac pavo-
« rem, castra punica inter Anienem et mœnia romana
« posita, et visum prope in portis victorem Hanniba-
« lem. In hac ruina rerum stetit una integra atque im-
« mobilis virtus populi romani : hæc omnia strata hu-
« mi erexit ac sustulit. Vos omnium primi, milites,
« post cannensem cladem vadenti Hasdrubali ad Alpes
« Italiamque, qui si se cum fratre conjunxisset, nul-
« lum jam nomen esset populi romani, ductu auspi-
« cioque patris mei obstitistis : et hæ secundæ res illas
« adversas sustinuerunt. Nunc, benignitate deum, om-
« nia secunda, prospera, in dies lætiora ac meliora in
« Italia Siciliaque geruntur. In Sicilia Syracusæ, Agri-
« gentum captum[4], pulsi tota insula hostes, recepta-
« que provincia in ditione populi romani est : in Italia
« Arpi recepti, Capua capta : iter omne ab urbe Roma
« trepida fuga emensus Hannibal, in extremum angu-
« lum agri bruttii compulsus, nihil jam majus preca-
« tur deos, quam ut incolumi cedere atque abire ex
« hostium terra liceat. Quid igitur minus conveniat,
« milites, quam, quum aliæ super alias clades cumu-
« larentur, ac dii prope ipsi cum Hannibale[5] starent,
« vos hic cum parentibus meis (æquentur enim etiam
« honore nominis) sustinuisse labantem[6] fortunam
« populi romani; nunc eosdem, quia illic omnia se-
« cunda lætaque sunt, animis deficere? Nuper quoque
« quæ acciderunt, utinam tam sine meo luctu, quam

hoc de bello conj. Sigon. — *Siciliæ majoris partis*, regni Hieronis.

4. *Syracusæ* et *Agrigentum captum;* confer ad I, 24, n. 11; Dukerus ad h. l. ex cap. 40, docet, Agrigentum *principio veris* hujus anni, quo hæc oratio habita, nondum fuisse captum, adeoque Livium hanc orationem, ut alias, de suo exornasse. — *Receptaque* a Marcello *provincia* nunc *in*, etc.

5. *Dii prope ipsi cum Hann. starent;* vide ad VIII, 34, n. 1. — *Cum parentibus meis*, propr. patre ac patruo.

6. *Sustinuisse labantem fortunam;* vide ad II, 39, n. 9.

«vestro, transissent! Nunc dii immortales, imperii «romani præsides, qui centuriis omnibus[7], ut mihi «imperium juberent dari, fuere auctores, iidem au- «guriis auspiciisque et per nocturnos etiam[8] visus «omnia læta ac prospera portendunt. Animus quo- «que meus, maximus mihi ad hoc tempus vates, præ- «sagit nostram Hispaniam esse: brevi extorre hinc «omne punicum nomen maria terrasque fœda fuga «impleturum. Quod mens sua sponte divinat, idem «subjicit[9] ratio haud fallax. Vexati ab iis socii no- «stram fidem per legatos implorant: tres duces dis- «crepantes, prope ut defecerint alii ab aliis, trifariam «exercitum in diversissimas regiones distraxere. Eadem «in illos ingruit fortuna, quæ nuper nos afflixit: nam «et deseruntur ab sociis, ut prius ab Celtiberis nos, «et diduxerunt exercitus; quæ patri patruoque meo «causa exitii fuit. Nec discordia intestina coire eos in «unum sinet, neque singuli nobis resistere poterunt. «Vos modo, milites, favete nomini Scipionum, soboli «imperatorum vestrorum, velut accisis recrescenti stir- «pibus[10]. Agite, milites veteres, novum exercitum no-

7. *Centuriis omnibus* (vide ad cap. 18, n. 6), *ut mihi imperium juberent dari;* «del. *dari:* nam centuriæ non jubent alicui imperium ab alio dari, sed ipsæ dant, *imperium alicui jubent*, scil. *esse;* confer cap. 18; XXX, 41; XXXI, 50, et Sallust. Jug. 84, ubi similiter in uno MS intrusum fuisse *dari* monet Cort. quod et in alio inveni»; Duk.— *Auguriis auspiciisque:* quæ auspicia etiam iis fuisse, qui ex privatis pro consulibus et pro prætoribus in provincias fuerint missi, negant Sigon. de ant. jur. prov. II, 6, de lege cur. 10; Lips. Mil. rom. II, 12; Periz. Anim. hist. cap. 7, pag. 262, sed affirmat Gruch. refut. post disp. Sigon. cap. 4, cui assentitur Duker. propter religiosam auspiciorum etiam in privatis rebus apud veteres Romanos observationem.

8. *Per nocturnos etiam visus*, specie et patris et Neptuni, Carthaginis Novæ oppugnandæ consilium suggerentium, in somnio mihi oblata. Conf. cap. 45, extr. infra XXIX, 27, Polyb. X, 11 et 14; Sil. XV, 159 sq. 180 sq.

9. *Idem subjicit* (vide ad I, 59, n. 7) *ratio haud fallax*, etc.; confer Polyb. X, 6 et 7.

10. *Soboli imperatorum vestrorum, velut accisis recrescenti stirpibus;* vid. ad VI, 1, n. 3. — Eadem fere verbo retulit *Voltaire, Henriade, chant* VII:

« vumque ducem traducite Iberum, traducite in terras « cum multis fortibus factis sæpe a vobis peragratas. « Brevi faciam, ut, quemadmodum nunc noscitatis in « me patris patruique similitudinem oris vultusque et « lineamenta corporis, ita ingenii, fidei virtutisque ad « exemplum expressam effigiem [11] vobis reddam, ut « revixisse, aut renatum sibi quisque Scipionem impe- « ratorem dicat. »

XLII. Hac oratione accensis militum animis, relicto ad præsidium regionis ejus[1] M. Silano cum tribus millibus peditum et trecentis equitibus, cæteras omnes copias (erant autem viginti quinque millia peditum, duo millia et quingenti equites) Iberum traiecit. Ibi quibusdam suadentibus, ut, quoniam in tres tam diversas regiones discessissent punici exercitus, proximum aggrederetur, periculum esse ratus, ne eo facto in unum omnes contraheret, nec par esset unus tot exercitibus, Carthaginem Novam interim oppugnare statuit, urbem quum ipsam opulentam[2] suis

« Un faible rejeton sort entre les rui- « nes De cet arbre fécond coupé dans « ses racines. » Ed.

11. *Fidei virtutisque ad exemplum* (exemplar. ἀρχέτυπον, πρωτότυπον, germ. *Original*) *expressam effigiem vobis reddam*, pro vulg. *exemplum expressum ad effigiem* edidi ex emend. Ruhnken. ad Rutil. Lup. de fig. pag. 108, *et* vel *atque expressam effigiem* vel *et expressam adeo effigiem* conj. Duk. ut Scipio expressa effigies ingenii, etc. esse, eamque in se expressam videri et ab omnibus cognosci voluerit.

Cap. XLII. 1. *Relicto ad præsidium regionis ejus* cis Iberum, ubi Romanorum socii erant, *M. Silano.... Erant autem XXV millia p.*, etc. « adeoque additis copiis, quas Silano reliquerat, totus exercitus erat XXVIII M. peditum, 2800 equites. Et sic etiam Polyb. X, 9, nisi quod cap. 6 numerum equitum Silano relictorum ducentis auget. Sed ex XXV, 37; XXVI, 11, 17, 19, 37, 41, probabile fit, majorem exercitus numerum fuisse. Præter copias tamen Silano traditas fortassis etiam pars exercitus in præsidiis urbium cis Iberum relicta fuit; » Duk. — *Quibusdam suadentibus*, etc., confer Sil. XV, 180 seq. — *Carthaginem Novam interim* (ante talem pugnam) *oppugnare statuit;* confer Polyb. X, 6 et 7. — *In tres tam diversas regiones;* confer cap. 20, et ibi not. 4.

2. *Carthaginem Novam, urbem quum ipsam opulentam*, etc.; confer ad XXI, 5, n. 4; ad Sil. XV, 220 seq.

opibus, tum hostium omni bellico apparatu plenam (ibi arma, ibi pecunia, ibi totius Hispaniæ obsides erant); sitam præterea quum opportune ad trajiciendum in Africam, tum super portum[3] satis amplum quantævis classi, et nescio an unum in Hispaniæ ora, qua nostro adjacet mari. Nemo omnium, quo iretur, sciebat, præter C. Lælium[4]. Is, classe circummissus, ita moderari cursum navium jussus erat, ut eodem tempore exercitus ostenderetur[5], et classis portum intraret. Septimo die ab Ibero Carthaginem ventum est simul terra marique: castra ab regione urbis, qua in septemtrionem versa est, posita[6]: his ab tergo, nam frons natura tuta erat, vallum objectum. Cæterum sita Carthago sic est[7]: sinus est maris media fere Hispaniæ ora, maxime africo vento oppositus, et quingentos passus introrsus retractus, paululo plus

et, ex quo fonte Noster hausit, Polyb. X, 8-10.

3. *Super portum;* confer ad I, 2, n. 3. — *Nescio an* (vide ad II, 2, n. 3) *unum:* al. *unam,* prob. Sigon. coll. Polyb. X, 8 pr. — *Qua* parte.

4. *Præter C. Lælium;* confer Polyb. X, 6, et 9.

5. *Exercitus ostenderetur;* vide ad XXII, 37, n. 2.

6. *Castra ab regione urbis, qua in septemtrionem versa est, posita* (nam ab oriente ac meridie urbem mari, ab occasu autem stagno cingi, mox legimus); *his ab tergo,* exteriore castrorum parte, κατὰ μὲν τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν τῆς στρατοπεδείας, *vallum objectum,* duplex, περιεβάλλετο τάφρον καὶ χάρακα διπλοῦν ἐκ θαλάττης εἰς θάλατταν, *nam frons* castrorum, hosti urbique obversa, *natura tuta erat,* κατὰ δὲ τὴν πρὸς τὴν πόλιν ἁπλῶς οὐδέν· αὐτὴ γὰρ ἡ τοῦ τόπου φύσις ἱκανὴν ἀσφάλειαν αὐτῷ παρεσκεύαζε, Polyb. X, 9. Confer extrema hujus cap. verba et Polyb. X, 11. Vocem *frons* inseruit Rhen. (confer Sil. XV, 227). In MSS et edd. antt. legitur: *his ab tergo (nam natura tuta erant) nullum vallum objectum.* Hinc J. Fr. Gron. conj. *his ab tergo (alia natura tuta erant) duplum vallum o.* vel *(nam natura t. e. alia) v. o.* Jac. Gron. *ante natura tuta erant,* ut XXVII, 18, n. 2, *ab tergo, ante,* a fronte, *circaque,* et a lateribus. (Confer ad XXVIII, 33, n. 1.) Schel. ad Polyb. de castramet. p. 1151, et Drak. *his ab tergo (nam natura tuta erant) vallum o.* vel *his nisi ab tergo... n. vall. o.*

7. *Cæterum sita Carthago* Nova *sic est: Sinus est,* etc. ad finem cap. ad verbum fere expressa e Polyb. X, 10, 11. Confer et Sil. XV, 220 seq., et Heyne Exc. ad Virg. Æn. I, 159 seq. — *Quingentos passus,* etc., immo

passuum in latitudinem patens. Hujus in ostio sinus parva insula objecta ab alto portum ab omnibus ventis, præterquam africo, tutum facit. Ab intimo sinu peninsula excurrit [8], tumulus is ipse, in quo condita urbs est, ab ortu solis et a meridie cincta mari : ab occasu stagnum claudit, paulum et ad septemtrionem fusum; incertæ altitudinis, utcumque exæstuat aut deficit mare [9]. Continenti urbem jugum ducentos fere et quinquaginta passus patens conjungit : unde quum tam parvi operis munitio esset, non objecit vallum imperator romanus; seu fiduciam hosti superbe ostentans, sive ut subeunti sæpe ad mœnia urbis recursus pateret.

XLIII. Cætera, quæ munienda erant, quum perfecisset, naves etiam in portu, velut maritimam quoque ostentans obsidionem, instruxit, circumvectusque classem, quum monuisset præfectos navium, ut vigilias nocturnas intenti servarent, omnia ubique primo obsessum hostem conari [1] ; regressus in castra, ut consilii sui rationem, quod ab urbe potissimum oppugnanda bellum orsus esset, militibus ostenderet et spem potiundæ cohortando faceret, concione advocata ita disseruit : « Ad urbem unam oppugnandum

MMD passus, et mox *paululo plus passuum M.* ex Polyb. legendum jam monuere Sigon. et Duker. — *Introrsus retractus sinus*, ut *reductus* apud Virg. loco laud.

8. *Ab i. sinu peninsula excurrit;* vide ad XXII, 20, n. 8.

9. *Utcumque* (vide ad XXI, 35, n. 2) *exæstuat aut deficit mare*, quandocumque aut prout (vide ad XXI, 35, n. 2) accedit, seu intumescit aut recedit.

Cap. XLIII. 1, *Omnia* enim *ubique primo*, ab initio, *obsessum hostem conari*, scil. dicens, monens.— *Concione advocata ita disseruit*, etc.; confer Polyb. X, 11. — *Ad urbem unam oppugnandum :* 4 MSS et vett. edd. *oppugnandam*, et rectius, opinor. Illud grammaticum acumen redolet; etsi non desunt exempla. Cf. ad XXXVIII, 3, n. 4; XL, 49, n. 1; XLII, 43, n. 2; ad Sil. VIII, 36; XI, 559, 560; XV, 105; Drak. infra ad XL, 49, n. 1; Gron. Obss. I, 7; Intpp. Virg. Æn. XI, 230; Periz. ad Sanctii Min. III, 8; Cort. ad Sall. Jug. XXII, 5; Oudend. ad Front. III, 6, 7, et ad Cæs. B. G.

« si quis vos adductos credit, is magis operis vestri, « quam emolumenti rationem exactam, milites, ha- « bet. Oppugnabitis enim vere mœnia unius urbis, « sed in una urbe universam ceperitis Hispaniam. Hic « sunt obsides omnium nobilium regum populorum- « que; qui, simul in potestate vestra erunt, extem- « plo omnia, quæ nunc sub Carthaginiensibus sunt, « in ditionem tradent. Hic pecunia omnis hostium, « sine qua neque illi gerere bellum possunt, quippe « qui mercenarios exercitus alant, et quæ nobis ma- « ximo usui ad conciliandos animos barbarorum erit. « Hic tormenta, arma, armamenta[2] et omnis appara- « tus belli est, qui simul et vos instruet, et hostes « nudabit. Potiemur præterea quum pulcherrima opu- « lentissimaque urbe, tum opportunissima portu egre- « gio, unde terra marique, quæ belli usus poscunt, « suppeditentur. Quæ quum magna ipsi habebimus, « tum dempserimus hostibus multo majora: hæc illis « arx; hoc horreum, ærarium, armamentarium; hoc « omnium rerum receptaculum est. Hinc rectus in « Africam cursus est[3]: hæc una inter Pyrenæum et « Gades statio: hinc omni Hispaniæ imminet Africa. « Sed, quoniam vos instructos et ordinatos cognosco, « ad Carthaginem Novam oppugnandam totis viribus

III, 14. — *Magis operis vestri*, laboris nunc a vobis suscipiendi, *quam emolumenti*, in vos inde redundaturi, *rationem habet exactam*, certam, accuratam, satis ponderatam, prope perpensam. Mox *simul* pro *simul ac*.

2. *Arma, armamenta;* confer ad XXI, 49, n. 7. Mox primum *et* post *simul* abest a MS Pet. et abesse potest: sed etiam passim additur, ut XXIX, 35; XXXI, 36; XXXII, 18. — *Quæ belli usus poscunt;* vide ad VI, 25, n. 6.

3. *Hinc rectus in Africam cursus est:* quo tacite spem suis militibus facit, in Africam se transfretaturum; *cursus*, navigatio. Sic Virg. Æ. I, 533. *Hinc omni Hispaniæ imminet Africa:* ita Put., non, ut plerique MSS et edd. antt., *hinc omnis Hispania i. Africæ:* vult enim, Africam (Pœnos) ex hac urbe tanquam ex arce imminere et instare toti Hispaniæ, cui jugum partim imposuerat, partim minabatur; Gron. Confer ad III, 51, n. 3.

« et bono animo transeamus. » Quumque omnes una voce, *hoc faciendum*, succlamarent, eos Carthaginem duxit : tum terra marique eam oppugnari jubet.

XLIV. Contra Mago Pœnorum dux, quum terra marique instrui oppugnationem videret, et ipse copias ita disponit. Oppidanorum duo millia ab ea parte, qua castra romana erant, opponit : quingentis militibus arcem insedit[1] : quingentos tumulo urbis in orientem verso imponit : multitudinem aliam, quo clamor, quo subita vocasset res, intentam ad omnia occurrere jubet. Patefacta deinde porta, eos, quos in via ferente ad castra hostium instruxerat, mittit. Romani, duce ipso præcipiente, parumper cessere, ut propiores subsidiis in certamine ipso submittendis essent. Et primo haud impari stetere acie : subsidia deinde, idemtidem submissa e castris, non averterunt solum in fugam hostes, sed adeo effusis institerunt, ut, nisi receptui cecinisset, permixti fugientibus irrupturi fuisse in urbem viderentur. Trepidatio vero non in prælio major, quam tota urbe fuit : multæ stationes pavore atque fuga desertæ sunt, relictique muri, quum, qua cuique erat proximum, desiluissent. Quod ubi egressus Scipio in tumulum, quem Mercurii vo-

Cap. XLIV. 1. *Quingentis militibus arcem insedit : quingentos*, etc.; confer Polyb. X, 12, qui etiam ibid. et cap. 8, mille tantum milites Magoni tribuit, non decem millia, ut Appian. Hisp. 19. Confer infra cap. 49 pr. — *Occurrere jubet;* vide ad XXI, 61, n. 1. — Hunc locum valde impugnat Walchius, Emend. pag. 17, quasi verba *ad omnia* sensus non patiatur, corrigitque *ad mœnia*. Contra vero stat *Büttner*, Obs. pag. 71 seqq. vulgatamque defendit, mutata Walchii interpunctione, ita legens : ..... *res, intentam ad omnia, occurrere jubet;* ut sensus sit : cæteram multitudinem jussit, omnia circumspectantem, occurrere hostibus, ubicumque opus fuisset. Ed. — *Eos, quos in via ferente ad c. h. instruxerat*, scil. oppidanorum duo millia, eaque fortissima et selecta, *mittit* in hostes, vel *emittit;* nisi ita leg. — *Haud impari stetere acie*, Flor. a manu secnnda *haud impares stetere acies*, quod placere potest; Drakenb. et Duker.; confer ad librum XXVII, cap. 2 : *Romani . . . in multum diei stetere in acie.*

cant[2], animadvertit, multis partibus nudata defensoribus mœnia esse; omnes castris excitos ire ad oppugnandam urbem et ferre scalas jubet. Ipse, trium præ se juvenum validorum scutis oppositis (ingens enim jam vis omnis generis telorum e muris volabat), ad urbem succedit, hortatur, imperat, quæ in rem sunt; quodque plurimum ad accendendos militum animos intererat, testis spectatorque[3] virtutis atque ignaviæ cujusque adest. Itaque in vulnera ac tela ruunt; neque illos muri, neque superstantes armati arcere queunt, quin certatim ascendant. Et ab navibus eodem tempore ea, quæ mari alluitur, pars urbis oppugnari cœpta est: cæterum tumultus inde major, quam vis adhiberi poterat[4]. Dum applicant, dum partim exponunt scalas militesque, dum, qua cuique proximum est, in terram evadere properant, ipsa festinatione et certamine alii alios impediunt.

XLV. Inter hæc repleverat jam Pœnus armatis muros, et vis magna, ex ingenti copia congesta, telorum suppeditabat[1]. Sed neque viri, nec tela, nec quidquam aliud æque, quam mœnia ipsa sese, defen-

2. *In tumulum, quem Mercurii* (ex emend. Ruben. pro *Mercurium* et *Mercurium Teutatem*) *vocant:* forte leg. *Saturni.* Confer Polyb. X, 10, qui docet, septentrionale urbis latus tribus clausum fuisse tumulis collibusve, Vulcani, Saturni, et medio, qui ab Alete heroe nomen habuerit. Ad seqq. conf. Polyb. X, 13.

3. *Quodque plurimum ad accendendos militum animos intererat, testis spectatorque*, etc.; vide ad XXI, 43, n. 12.

4. *Tumultus inde major, quam vis, adhiberi poterat*, ex emend. Gron. In MSS *hiberi* et *haberi;* in edd. antt. *videri.* Forte leg. *cieri*, vel *fieri*, vel potius *inhiberi*, hoc est, adhiberi; vide ad I, 33, n. 7, et III, 38, n. 2. — *Dum applicant*, scil. naves litori, ut XLIV, 32, *partim*, ex parte, aliquot; nisi cum Crev. leg. *raptim.* — Hic enim τὸ *partim* nullum ibi locum habere arbitratur; *raptim* vero aptissimum, quum omnia hic festinationis plena sint. Ed.

Cap. XLV. 1. *Vis magna telorum suppeditabat* (vide ad VI, 24, n. 1), *congesta ex ingenti copia* telorum, quæ in urbe erat, vel potius: quoniam ingens copia eorum in hunc usum congesta erat; ut *ex* sit pro *propter;* vide

debant. Raræ enim scalæ altitudini æquari poterant, et, quo quæque altiores, eo infirmiores erant. Itaque, quum summus quisque evadere non posset, subirent tamen alii, onere ipso frangebantur. Quidam, stantibus scalis[2], quum altitudo caliginem oculis offudisset, ad terram delati sunt. Et quum passim homines scalæque ruerent, et ipso successu audacia atque alacritas hostium cresceret, signum receptui datum est : quod spem non præsentis modo ab tanto certamine ac labore quietis obsessis, sed etiam in posterum dedit, scalis et corona capi urbem non posse: opera et difficilia esse, et tempus datura, ad ferendam opem imperatoribus suis. Vix prior tumultus conticuerat, quum Scipio ab obsessis jam vulneratisque recentes integrosque alios accipere scalas jubet, et vi majore aggredi urbem. Ipse, ut ei nuntiatum est æstum decedere, quod per piscatores tarraconenses, nunc levibus cymbis, nunc, ubi eæ siderent[3], vadis pervagatos stagnum, compertum habebat, facilem pedibus ad murum transitum dari, eo secum armatos duxit. Medium ferme diei erat, et ad id, quod sua sponte cedente in mare æstu trahebatur aqua, acer etiam septemtrio[4] ortus inclinatum stagnum eodem,

ad VII, 39, n. 5. — *Raræ*, paucæ. Ad seqq. confer Polyb. X, 13 et 14.

2. *Stantibus scalis;* forte *stantes in scalis*, vel *nutantibus*. — *Scalis et corona*, oppugnatione et obsidione; conf. ad II, 17, n. 5. — *Opera;* vide ad V, 22, n. 7.

3. *Ubi eæ siderent*, hærerent in vadis fundoque limoso. — *Eo secum armatos duxit*, forte D *secum a. d.;* Crev. Ita Polyb. X, 14, Vocem *secum* adjecit Gronovius quum in optimo codice reperiret *seu*. Non tamen integram huic loco sanitatem restituisse Creverio videtur. Deest profecto numerus eorum, quos Scipio *secum armatos duxit;* et is numerus infra notatur cap. seq. voc. *quingentis:* quo loco quum solo numero illi milites designentur perspicuum est eum supra expressum fuisse. Ed. — *Ad id, quod sua sponte*, etc.; vide ad II, 23, n. 3.

4. *Acer septemtrio;* v. ad XXXVII, 12, n. 4. — *Inclinatum stagnum*, scil. æstu, aquam stagni mutatam (vide ad IX, 32, n. 4), vel potius *sua sponte* seu *æstu recedentem in mare*. Sic XXIX, 7 pr. *æstu fretum inclinatum*

quo æstus, ferebat, et adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret. Hoc, cura ac ratione compertum, in prodigium ac deos vertens Scipio, qui ad transitum Romanis mare verterent et stagno auferrent, viasque ante nunquam initas humano vestigio aperirent, Neptunum jubebat ducem itineris[5] sequi, ac medio stagno evadere ad mœnia.

XLVI. Ab terra ingens labor succedentibus[1] erat: nec altitudine tantum mœnium impediebantur, sed quod euntes ad ancipites utrimque ictus subjectos habebant Romanos; ut latera infestiora subeuntibus, quam adversa corpora, essent. At parte in alia quingentis[2] et per stagnum facilis transitus, et in murum ascensus inde fuit: nam neque opere emunitus erat, ut ubi ipsius loci ac stagni præsidio satis creditum foret; nec ulla armatorum statio aut custodia opposita, intentis omnibus ad opem [eo] ferendam, unde

est, aqua freti ex alto versus litus rediit, recessus maris vel, ut mox dicitur, *mare versum* seu reciprocum fuit: nisi *æstu* dictum pro *æstui* (vide ad IV, 12, n. 8) et hoc pro *in æstum*. Confer tamen ad XXIX, 7, n. 2. *Stagno auferrent*. Codex Put. dat *stagna*; quæ quidem scriptura majorem habet emphasim, adeoque hic aptior Creverio visa est; sed hæc non ita Drakenborchio placuerunt. Ed.

5. *Neptunum ducem itineris*; vide ad cap. 41, n. 8. — *Medio stagno evadere*; vide ad VIII, 15, n. 6.

Cap. XLVI. 1. *Succedentibus*, scil. ad mœnia, ut mox *subeuntibus*, *sed* etiam eo *quod euntes* ad mœnia, subeuntes, *ad ancipites utrimque*, ab utroque latere, *ictus subjectos habebant Romanos*, scil. mœnia; vide ad I, 25, n. 4, et VII, 34, n. 3. Sed si non alia h. l. corrupta sunt, certe vox *euntes*, pro qua Doer. conj. *superstantes*. Plura tentavit Gron. — *Latera infestiora*, magis ad ictus infestos subjecta, iis exposita; vide ad I, 7, n. 7. — *Adversa corpora*; vide ad II, 23, n. 5.

2. *At parte in alia quingentis*, etc. nam Scipio tribus locis aggressus est urbem, ab terra ipse terrestri cum milite, a mari Lælius classe; tertium locum incustoditum, quia stagno naturaliter muniebatur, missos D homines, quum maris æstus decessisset, præter exspectationem invadere jussit: eaque parte primum urbs est capta; Gron. Confer ad hæc et seqq. Polyb. X, 14, et 15. — *Neque opere emunitus*, munitus, *erat* murus (vide ad V, 22, n. 7), *ut ubi*, quum ibi, etc. vid. VIII, 30, n. 7). Mox τὸ *eo* ante *ferendam*, adjectum ab Rhenano, abest a vett. libris et abesse potest.

periculum ostendebatur. Ubi urbem sine certamine intravere, pergunt inde, quanto maximo cursu poterant, ad eam portam, circa quam omne contractum certamen erat. In quod adeo intenti omnium non animi solum fuere, sed etiam oculi auresque pugnantium spectantiumque et adhortantium pugnantes, ut nemo ante ab tergo senserit captam urbem, quam tela in aversos inciderunt, et utrimque ancipitem hostem[3] habebant. Tunc, turbatis defensoribus metu, et mœnia capta, et porta intus forisque pariter refringi cœpta; et mox cædendo confectis[4] ac distractis, ne iter impediretur, foribus, armati impetum fecerunt. Magna multitudo et muros transcendebat; sed hi passim ad cædem oppidanorum versi. Illa, quæ portam ingressa erat, justa acies, cum ducibus, cum ordinibus, media urbe in forum processit. Inde quum duobus itineribus fugientes videret hostes, alios ad tumulum in orientem versum, qui tenebatur quingentorum militum præsidio, alios in arcem, in quam et ipse Mago cum omnibus fere armatis, qui muris pulsi fuerant, refugerat[5]; partim copiarum ad tumulum expugnandum mittit, partim ipse ad arcem ducit. Et tumulus primo impetu est captus, et Mago, arcem conatus defendere, quum omnia hostium plena videret, neque spem ullam esse, se arcemque et præsidium dedidit. Quoad dedita arx est[6], cædes tota urbe

3. *Utrimque ancipitem hostem;* vide ad I, 25, n. 4.

4. *Cædendo confectis* (vide ad II, 40, n. 8) *ac distractis* bene optimi MSS nisi malis *diffractis;* Gron. *cædendo confractis* omnes edd. — *Videret*, scil. Scipio. — Observat Crev. toto hoc capite nusquam Scipionis mentionem fieri: unde necesse fuisset hic nomen ejus exprimi, nisi styli calor Livium abstulisset. Ed.

5. *In quam et ipse Mago cum omnibus fere armatis refugerat;* alii *refugerant;* vide ad XXI, 60, n. 5. — *Partim copiarum*, etc., plerique MSS pro *partem;* vide ad XXIII; 11, n. 10.

6. *Quoad dedita arx est;* vide ad XXIII, 26, n. 1.

passim factæ; nec ulli puberum, qui obvius fuit, parcebatur : tum, signo dato, cædibus finis factus. Ad prædam victores versi, quæ ingens omnis generis fuit.

XLVII. Liberorum capitum[1] virile secus ad decem millia capta : inde, qui cives Novæ Carthaginis erant, dimisit; urbemque et sua omnia, quæ reliqua eis bellum fecerat, restituit. Opifices ad duo millia hominum erant; eos publicos fore populi romani edixit, cum spe propinqua libertatis, si ad ministeria belli enise operam navassent. Cæteram multitudinem incolarum juvenum ac validorum servorum in classem ad supplementum remigum dedit; et auxerat navibus octo captivis classem[2]. Extra hanc multitudinem Hispanorum obsides erant; quorum perinde, ac si sociorum liberi essent, cura habita. Captus et apparatus ingens belli; catapultæ maximæ formæ centum viginti, minores ducentæ octoginta et una; ballistæ majores viginti tres, minores quinquaginta duæ; scorpionum majorum minorumque[3] et armorum telorumque ingens numerus; signa militaria septuaginta quatuor.

Cap. XLVII. 1. *Liberorum capitum* κατὰ, quod attinet ad *virile secus ad decem millia capta :* ita Put. *virile sexus*, et *virilis secus* alii MSS; *virilis sexus* edd. antt. Confer Gron. et Drak. ad h. l. Cort. ad Sallust. hist. II, pag. 960; Ern. et Wolf. ad Suet. Aug. 44, et nos ad Tac. Ann. IV, 62, n. 7. — Forsitan hæc loquendi forma restituenda foret supra cap. 34. Ed. — Ad hæc et seqq. confer Polyb. X, 16, 17, ubi Schweighæuser monet, *opifices* (ἐργαστικοὺς et χειροτέχνας) a Livio in numero *liberorum capitum* comprehendi distinguique a *servis*, sed apud Polyb. etiam a πολιτικοῖς, adeoque fuisse incolas urbis liberos quidem, sed non pleno jure civitatis fruentes et deterioris nonnihil conditionis quam cæteros. — *Publicos*, δημοσίους Polyb. Confer Bynkersh. cap. 5, ad lib. IX, D, de leg. Rhod. de jact. et Lips. Elect. I, 22.

2. *Et auxerat navibus VIII captivis classem;* haud dubie *XVIII captivis* leg. e Polyb. X, 17, 11-13, ubi Schweigh. notat, Livium h. l. non intellexisse Polybium, aut presso pede sequi noluisse : nec nimis magna copia solertium nautarum abundasse Romanos, Pœnos vero in hoc genere in primis fuisse exercitatos magnumque ejusmodi hominum numerum Carthagine repertum dicere Polyb. X, 8.

3. *Scorpionum majorum minorumque;* v. ad XXIV, 34, n. 5. — *Ar-*

Et auri argentique relata ad imperatorem magna vis; pateræ aureæ fuerunt ducentæ septuaginta sex, libras ferme omnes pondo; argenti facti signatique decem et octo millia et trecenta pondo; vasorum argenteorum magnus numerus. Hæc omnia C. Flaminio quæstori appensa annumerataque sunt. Tritici quadraginta millia modium, hordei ducenta septuaginta. Naves onerariæ sexaginta tres[4] in portu expugnatæ captæque : quædam cum suis oneribus, frumento, armis, ære præterea ferroque et linteis et sparto et navali alia materia ad classem ædificandam : ut mininum omnium, inter tantas opes belli captas, Carthago ipsa fuerit.

XLVIII. Eo die Scipio, C. Lælio cum sociis navalibus urbem custodire jusso, ipse in castra legiones reduxit, fessosque milites omnibus uno die belli operibus (quippe qui et acie dimicassent, et capienda urbe tantum laboris periculique adissent, et capta, cum iis, qui in arcem confugerant, iniquo etiam loco pugnassent) curare corpora jussit. Postero die, militibus navalibusque sociis[1] convocatis, primum diis immortalibus laudesque et grates egit, qui se non urbis solum opulentissimæ omnium in Hispania uno die compotem fecissent, sed ante eo congessissent omnis pæne Africæ atque Hispaniæ opes; ut neque hostibus quidquam relinqueretur, et sibi ac suis omnia

genti facti signatique; immo *infecti;* Gronov. de pec. vet. I, 7. Si vulgata lect. retinenda, *vasa argentea* non sunt *argentum factum,* quod falsum est; Duk. Confer XXXIV, 10. — *Argenti*, tum elaborati in vasa, tum signati in monetam censet Crev. 18,300 libras romanas pondo; id est, marcas 28,593 cum sex unciis. Ed.

4. *Naves onerariæ LXIII,* alii exhibent CXIII.

Cap. XLVIII. 1. *Militibus navalibusque sociis;* v. ad IX, 38, n. 1. — *Sed* etiam *ante eo congessissent,* etc., nam passim ipsis tribuitur diis, quod eorum cura, providentia ac voluntate factum putatur, præcipue res magnæ, insolitæ, inopinatæ.

superessent. Militum deinde virtutem collaudavit, quod eos non eruptio hostium, non altitudo mœnium, non inexplorata stagni vada, non castellum in alto tumulo situm, non munitissima arx deterruisset, quo minus transcenderent omnia perrumperentque. Itaque, quamquam omnibus omnia deberet, præcipuum muralis coronæ decus[2] ejus esse, qui primus murum adscendisset : profiteretur, qui se dignum eo duceret dono. Duo professi sunt, Q. Trebellius centurio legionis quartæ et Sex. Digitius socius navalis; nec ipsi tam inter se acriter contendebant, quam studia excitaverant uterque sui corporis hominum. Sociis C. Lælius præfectus classis; legionariis M. Sempronius Tuditanus aderat. Ea contentio quum prope seditionem veniret[3], Scipio tres recuperatores quum se daturum pronuntiasset, qui, cognita causa testibusque auditis, judicarent, uter prior in oppidum transcendisset, C. Lælio et M. Sempronio, advocatis partis utriusque[4], P. Cornelium Caudinum de medio[5] adjecit, eosque tres recuperatores considere et causam cognoscere jussit. Quum res eo majore ageretur certamine, quod amoti tantæ dignitatis[6] non tam advocati, quam

2. *Præcipuum muralis coronæ decus;* vide ad VI, 20, n. 6. — *Sui corporis hominum,* legionariorum sociorumque navalium. Confer ad I, 17, n. 2. — *Aderat;* vide ad III, 14, n. 16.

3. *Contentio quum prope seditionem veniret;* vide ad II, 48, n. 5, et VI, 42, n. 6. — *Recuperatores,* seu *reciperatores* judices in causa privata, per quos, quod suum est, aliquis *recuperat,* et ad quos de re pecuniaria aut possessione cujuscumque rei certatur. Romæ erant e centumviris, et, ut alii judices, *dabantur* a prætore. Confer XLIII, 2.

4. *Advocatis partis utriusque : Advocatus* dicitur amicus, quem *vocamus ad nos,* ut eum consulamus de controversiis nostris, quique honoris causa in judicio in subselliis nostris sedet, aut nobiscum in rem præsentem venit; Ernesti in clave Cic. *Advocati* ad III, 47, n. 3, amici præsentes, et, si opus fuerit, adjuturi consilio, opera, re, deprecando, impediendo; Bauer. Ab *advocatis* distinguuntur XL, 15, n. 7, *patroni,* qui orationem pro aliquo habent in judicio.

5. *Caudinum ... adj.;* v. VI, 6, n. 7.

6. *Amoti* (al. *admoti*) *tantæ digni-*

moderatores studiorum fuerant; C. Lælius, relicto consilio, ad tribunal ad Scipionem accedit, eumque docet, *rem sine modo ac modestia agi, ac prope esse, ut manus inter se conserant. Cæterum, etiamsi vis absit, nihilominus detestabili exemplo rem agi; quippe ubi fraude ac perjurio decus petatur virtutis. Stare hinc legionarios milites, hinc classicos, per omnes deos paratos jurare, magis quæ velint, quam quæ sciant, vera esse, et obstringere perjurio non se*[7] *solum suumque caput, sed signa militaria et aquilas*[8] *sacramentique religionem. Hæc se ad eum de sententia P. Cornelii et M. Sempronii deferre.* Scipio, collaudato Lælio, ad concionem advocavit, pronuntiavitque: *Se satis compertum habere, Q. Trebellium et Sex. Digitium pariter in murum escendisse; seque eos ambos virtutis causa coronis muralibus donare.* Tum reliquos, prout cuique meritum virtusque erat, donavit. Ante omnes C. Lælium præfectum classis et omni genere laudis sibimet ipse æquavit, et corona aurea ac triginta bubus donavit[9].

XLIX. Tum obsides civitatium Hispaniæ vocari jussit: quorum quantus numerus fuerit, piget scribere, quippe quum alibi trecentos ferme[1], alibi septingen-

tatis viri, etc., nam prius affuerant certantibus, sed ita eleganter, ut potius regerent temperarentque studia utrimque faventium, quam, ut advocati (qui acriter defendunt causam suæ partis), accenderent: nunc ab illis ipsorumque certamine abstracti et judices dati multitudinem effrenatiorem reliquerant; Gron. coll. Cic. de Legg. III, 10, *vis populi multo sævior multoque vehementior; quæ ducem quod habet, interdum lenior est, quam si nullum haberet: dux enim suo periculo progredi cogitur; populi impetus periculi rationem sui non habet.* — *Recuperatores considere;* vide ad III, 46, n. 6.

7. *Obstringere perjurio non se*, etc. vide ad IX, 34, n. 16.

6. *Sed* etiam *signa militaria et aquilas;* vide ad Tac. Ann. I, 37, n. 4, et I, 39, n. 9. — *Ad concionem advocavit*, scil. milites; vide ad II, 55, n. 6.

9. *Triginta bubus donavit;* vide ad IV, 16, n. 2.

Cap. XLIX. 1. *Trecentos ferme*, πλείους ὄντας τῶν τριακοσίων, Polyb.

tos viginti quinque fuisse inveniam : æque et alia inter auctores discrepant. Præsidium punicum alius decem, alius septem, alius haud plus quam duum millium fuisse scribit. Capta alibi decem millia capitum, alibi supra quinque et viginti invenias. Scorpiones majores minoresque ad sexaginta captos[2] scripserim, si auctorem græcum sequar Silenum : si Valerium Antiatem, majorum scorpionum sex millia, minorum tredecim : adeo nullus mentiendi modus est ! Ne de ducibus quidem convenit[3] : plerique Lælium præfuisse classi ; sunt, qui M. Junium Silanum dicant. Arinem præfuisse punico præsidio deditumque Romanis, Antias Valerius ; Magonem alii scriptores tradunt. Non de numero navium captarum, non de pondere auri atque argenti et redactæ pecuniæ, convenit : si aliquibus assentiri necesse est, media simillima veris sunt. Cæterum Scipio, vocatis obsidibus[4], primum universos bonum animum habere jussit. *Venisse eos in populi romani potestatem, qui beneficio, quam metu, obligare homines malit, exterasque gentes fide ac societate junctas habere, quam tristi subjectas servitio.* Deinde, acceptis nominibus civitatium, recensuit captivos, quot cujusque populi essent ; et nuntios domum misit, ut ad suos quisque recipiendos veniret.

X, 18. — *Alia inter auctores discrepant;* vide ad I, 3, n. 4. — *Præsidium punicum*, etc.; vide ad cap. 44, n. 1.

2. *Ad sexaginta captas*, Lips. Poliorc. III, 4, conj. *ad V* vel *IX millia*. — *Auctorem græcum Silenum* Calatianum, qui alioquin res Hannibalis, quocum in castris fuit et simul vixit, diligentissime persequutus est; vide Cic. de Div. I, 24; Cornel. Nep. Hann. 13; Voss. hist. græc. lib. III, pag. 189. — Quis non miretur, ait Creverius, diligentiam Livii in appellandis iis auctoribus, quos refellit, quibus derogat fidem, dum Polybii nomen cujus e libro X totam hanc expugnatæ Carthaginis Novæ narrationem pæne ad verbum expressit, alto silentio premit? Ed.

3. *Ne de ducibus quidem convenit;* vide ad I, 3, n. 4. — *Arinem*, in edd. ante Drak. *Armen*. Cf. Sil. XV, 232.

4. *Vocatis obsidibus*, etc.; conf. Polyb. X, 18.

Si quarum forte civitatium legati aderant, eis præsentibus suos restituit; cæterorum curam benigne tuendorum C. Flaminio quæstori attribuit. Inter hæc e media turba obsidum mulier magno natu, Mandonii uxor, qui frater Indibilis Ilergetum reguli erat[5], flens ad pedes imperatoris procubuit, obtestarique cœpit, ut curam cultumque feminarum[6] impensius custodibus commendaret. Quum Scipio, *nihil profecto defuturum*, diceret; tum rursus mulier, « Haud magni ista « facimus[7], inquit : quid enim huic fortunæ non satis « est? Alia me cura, ætatem harum intuentem, (nam « ipsa jam extra periculum injuriæ muliebris sum) « stimulat. » Ætate ac forma florentes circa erant Indibilis filiæ aliæque nobilitate pari[8], quæ omnes eam pro parente colebant. Tum Scipio, « Meæ populique « romani disciplinæ causa facerem, inquit, ne quid, « quod sanctum usquam esset, apud nos violaretur : « nunc, ut id curem impensius, vestra quoque virtus « dignitasque facit, quæ ne in malis quidem oblitæ de- « coris matronalis estis. » Spectatæ deinde integritatis viro tradidit eas, tuerique haud secus verecunde ac modeste, quam hospitum conjuges ac matres, jussit.

L. Captiva deinde a militibus adducitur ad eum adulta virgo, adeo eximia forma, ut, quacumque incedebat, converteret omnium oculos. Scipio, percunctatus patriam parentesque, inter cætera accepit, desponsam eam principi Celtiberorum adolescenti :

5. *Mandonii uxor, qui frater ... reguli erat* (v. Ind. et XXII, 21, n. 2), *flens*, etc.; conf. Polyb. X, 18.

6. *Curam cultumque feminarum* de victu acceperat Scipio, unde respondet *nihil profecto defuturum;* sed mox intelligit, mulierem longe aliud in votis habere, scil. majorem pudicitiæ decorisque matronalis respectum, quam captivæ possint exspectare et Pœni habuissent. Cf. seqq. et Polyb. loc. laud.

7. *Haud magni ista facimus*, scil. quæ ad cultum externum pertinent. — *Huic fortunæ*, nostræ, captivorum.

8. *Aliæque nobilitate pari*, scil. filiæ, seu puellæ.

Allucio nomen erat [1]. Extemplo igitur parentibus sponsoque ab domo accitis, quum interim audiret deperire eum sponsæ amore, ubi primum venit, accuratiore eum sermone [2], quam parentes, alloquitur. «Juvenis, inquit, juvenem appello, quo minor sit «inter nos hujus sermonis verecundia. Ego, quum «sponsa tua capta a militibus nostris ad me ducta es«set, audiremque eam tibi cordi esse [3], et forma fa«ceret fidem, quia ipse, si frui liceret ludo ætatis, «(præsertim recto et legitimo amore) et non res pu«blica animum nostrum occupasset, veniam mihi dari «sponsam impensius amanti vellem; tuo, cujus pos«sum, amori faveo. Fuit sponsa tua apud me eadem, «qua apud soceros tuos parentesque suos, verecun«dia; servata tibi est, ut inviolatum et dignum me te«que dari tibi donum posset. Hanc mercedem unam «pro eo munere paciscor: amicus populo romano sis: «et, si me virum bonum credis esse, quales patrem «patruumque meum jam ante hæ gentes norant, scias «multos nostri similes in civitate romana esse; nec «ullum in terris populum hodie dici posse, quem «minus tibi hostem tuisque esse velis, aut amicum «malis.» Adolescens, simul pudore et gaudio perfusus, dextram Scipionis tenens, deos omnes invocare

Cap. L. 1. *Allucio nomen erat:* optimi MSS *Aluccio.* Indibilis vocatur Valer. Max. IV, 3, n. 1, et Lucceius Plut. Confer Polyb. X, 19 (qui rem, non sponsi nomen, memorat), et, qui hanc de Scipionis continentia historiam ex eo excerpsit, Suidam verb. Πόπλιος. Ejusdem rei memoria nobilitata est argenteo votivoque Scipionis clypeo, qui Parisiis in Museo Reg. servatur, cujusque descriptio delineatioque datur in Jac. Sponii *Recherches d'Antiquité*, et *Journal des Savans, tom. IX,* unde eam exprimendam curavit Drakenb. ad Sil. XV, 268 seq.

2. *Accuratiore sermone*, ad sponsi nempe animum, dulcissimo gratissimoque sensu nunc perfundendum, curatius composito; Doer.

3. *Eam tibi cordi esse;* vide ad VI, 9, n. 1. — *Frui ludo ætatis*, voluptate venerea, ætati meæ conveniente. Conf. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 12, v. 1.

ad gratiam illi pro se referendam, quoniam sibi nequaquam satis facultatis, pro suo animo atque illius erga se merito[4], esset. Parentes inde cognatique virginis appellati : qui, quoniam gratis sibi redderetur virgo, ad quam redimendam satis magnum attulissent auri pondus, orare Scipionem, ut id ab se donum acciperet, cœperunt; haud minorem ejus rei apud se gratiam futuram esse, affirmantes, quam redditæ inviolatæ foret virginis. Scipio, quando tanto opere peterent, accepturum se pollicitus, poni ante pedes jussit, vocatoque ad se Allucio, « Super dotem, inquit, « quam accepturus a socero es, hæc tibi a me dotalia « dona accedent; » aurumque tollere ac sibi habere jussit. His lætus donis honoribusque dimissus domum implevit populares laudibus meritis Scipionis: *Venisse diis simillimum juvenem, vincentem omnia quum armis, tum benignitate ac beneficiis.* Itaque, delectu clientium habito, cum delectis mille et quadringentis equitibus intra paucos dies ad Scipionem revertit.

LI. Scipio retentum secum Lælium, dum captivos obsidesque et prædam ex consilio ejus disponeret, satis omnibus compositis, data quinquereme, captivisque, Magone et quindecim fere senatoribus[1], qui simul cum eo capti erant, in navem impositis, nuntium victoriæ Romam mittit. Ipse paucos dies, quibus morari Carthagine statuerat, exercendis navalibus pedestribusque copiis absumpsit. Primo die legiones

— *Apud soc. tuos*, socerum socrumque, ut apud Virg. Æn. II, 457.

4. *Pro suo animo atque illius erga se merito :* ultima vox, a Rhenano adjecta, abest a MSS et vett. edd. unde forsan delenda, vel leg. *atque illius merito;* Gron. Immo dele *merito*, et repete *animo*, ut sensus sit : pro grato animi sui sensu, atque pro eo, quem ille sibi probaverit, animo, hoc est, pro insigni illius magnanimitate; Doer.

Cap. LI. 1. *Magone et XV fere senatoribus*, etc.; confer Polyb. X, 18 pr., et 19 extr. — *Exercendis copiis navalibus pedestribusque ;* vide ad XXII, 31, n. 4.

in armis quatuor millium spatio decurrerunt[2]; secundo die arma curare et tergere ante tentoria jussit; tertio die rudibus inter se in modum justæ pugnæ concurrerunt[3], præpilatisque missilibus jaculati sunt; quarto die quies data; quinto iterum in armis decursum est. Hunc ordinem laboris quietisque, quoad Carthagine morati sunt, servarunt. Remigium classicique milites, tranquillo[4] in altum evecti, agilitatem navium simulacris navalis pugnæ experiebantur. Hæc extra urbem terra marique corpora simul animosque ad bellum acuebant : urbs ipsa strepebat apparatu belli, fabris omnium generum in publica officina inclusis : dux cuncta pari cura obibat. Nunc in classe ac navali[5] erat; nunc cum legionibus decurrebat; nunc operibus adspiciendis tempus dabat, quæque in officinis, quæque in armamentario ac navalibus fa-

2. *Legiones in armis quatuor millium spatio decurrerunt;* vide ad IX, 24, n. 2, et XXIII, 35, n. 3. Ad hæc vero et seqq. de exercitationibus militaribus, a Scipione institutis, conf. Polyb. X, 20, cujus capp. 21 et 22, similis quidem argumenti, sed ad Philopœmenem referenda esse, jam ibi docuit Schweigh.

3. *Rudibus inter se in modum justæ pugnæ concurrerunt,* ξυλίναις ἐσκυτωμένοις μετ' ἐπισφαιρῶν μαχαίραις (rudibus aut gladiis, qui corio inducti pilisque coriaceis præfixi erant) Polyb. loco laud. qui tamen id quarto die factum esse tertiumque quieti datum tradit. *Rudibus* optimi MSS. at *sudibus* edd. ante Gron. ut infra XL, 6 extr. et 9 extr. nisi et ibi potius *rudes* substituendæ sunt. Confer ad Sil. VIII, 552 et Intpp. Suet. Calig. 32, Sall. Cat. LVI, 3, et Virg. Æn. VII, 524. — *Præpilatis missilibus* (quorum mucronibus aliquid rotundi e corio aliave materia, instar *pilæ*, præligatum est, ut ictus dentur sine vulnere; quales sunt rudes ferreæ, quæ Germanis *Rappiere*, Gallis *fleurets* dicuntur) *jaculari,* τοῖς ἐσφαιρωμένοις γρόσφοις ἀκοντίζειν, Polyb. loco land. ubi Schweigh. τούτους pro τοῖς conjicit, ut his missilibus petiti sint, qui rudibus pugnaverint, genusque exercitationis simile fuerit ei, quod describit Xenoph. Cyrop. II, 3, 17 seq. ubi *rudes* dicuntur νάρθηκες παχεῖς, ut *vectes* Veget. I, 9, ubi v. Schwebel. Cf. Lips. Poliorc. IV, 4, et *Yvo Villiom.* in loca controv. Titii V, 10, 11.

4. *Remigium classicique milites tranquillo*, etc.; vide ad III, 15, n. 8, et XXIV, 8, n. 6. — Ad hæc et seqq. confer Polyb. X, 20.

5. *Classe ac navali.* Non hic navalia intelligit Walchius, Emend. pag. 170, infra enim mox memorantur. Quare putat verbum post *navali* excidisse, ut *pugna, certamine*, aut aliud simile.

brorum multitudo plurima in singulos dies certamine ingenti faciebat. His ita inchoatis, refectisque, qua quassi erant, muris, dispositisque præsidiis ad custodiam urbis, Tarraconem est profectus, a multis legationibus protenus in via aditus: quas partim dato responso ex itinere dimisit, partim distulit Tarraconem[6], quo omnibus novis veteribusque sociis edixerat conventum. Et cuncti fere, qui cis Iberum incolunt, populi, multi etiam ulterioris[7] provinciæ convenerunt. Carthaginiensium duces primo ex industria famam captæ Carthaginis compresserunt: deinde, ut clarior res erat, quam ut tegi ac dissimulari posset, elevabant verbis[8]. *Necopinato adventu ac prope furto unius diei*[9] *urbem unam Hispaniæ interceptam: cujus rei tam parvæ præmio elatum insolentem juvenem immodico gaudio speciem magnæ victoriæ imposuisse. At, ubi appropinquare tres duces, tres victores hostium exercitus audisset, occursuram ei extemplo domesticorum funerum memoriam.* Hæc in vulgus jactabant[10], haudquaquam ipsi ignari, quantum sibi ad omnia virium, Carthagine amissa, decessisset.

Ed. — *Operibus adspiciendis*, forte *inspiciendis*, id est, considerandis et examinandis, quam multa et quam bona a fabris facta essent; Duk. Sed vide ad XXI, 6, n. 4. — *Refectisque, qua* parte, ubi, *quassi erant*, nisi malis *quassati*, vel e MS Rhen. *quæ quassata erant muri*, ut XXXIII, 17; *quassaverant* plerique MSS unde alii conj. *quos quassaverant*, scil. milites, vel *quos quassaverat* Scipio.

6. *Distulit Tarraconem* legationes, hoc est, aditum responsumque legatis dandum, donec Tarraconem venisset.

7. *Ulterioris provinciæ* optimi MSS, non *u. Hispaniæ*. Aut eo respicit Livius, quod pater patruusque Scipionis Africani eam provinciam fecerunt, aut utitur phrasi suo tempori convenientiore; Gron. Mihi Livius ulteriorem Hispaniam videtur vocare *provinciam*, non sui tantum, sed etiam illius temporis, quo hæc gesta sunt, respectu, ea ratione, qua *provincia* dicitur omnis regio, in qua bellum geritur: nec Scipiones post multorum annorum conatus Hispaniam ulteriorem potuerunt facere *provinciam*; Duk.

8. *Elevabant verbis rem;* vide ad III, 21, n. 5.

9. *Furto unius diei;* vide ad lib. IX, cap. 31, n. 7.

10. *Hæc in vulgus jactabant*, edebant, spargebant.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXVII.

BREVIARIUM.

Cap. I; Marcellus consul tria Samnii oppida capit; at Cn. Fulvius Centumalus ad Herdoneam, ut biennio ante Cn. Fulvius Flaccus prætor, ab Hannibale devincitur. — II; Quam Pœno lætitiam brevem faciunt secunda Marcelli cum eo prælia ad Numistronem in Lucanis et ad Venusiam in Apulia. — III; Conjuratio Capuæ a Blosiis aliisque facta opprimitur; et Atellani Calatiam traducuntur, Nucerini Atellam. — IV; Legati a Syphace Romam et a Romanis Alexandriam ad Ptolemæum Cleopatramque reges mittuntur ad petendam renovandamque amicitiam. Multa nuntiantur prodigia. — V; Comitiorum habendorum causa M. Valerius Lævinus consul ex Sicilia revocatur, sed, quia ob trepidos nuntios ex Africa allatos in provinciam extemplo redire jubetur, eo invito et ex plebiscito a Marcello dictator dicitur Q. Fulvius Flaccus. — VI; Idem Fulvius, tribunis nequidquam intercedentibus, et Q. Fabius Maximus creantur consules. Classis punica, in Sardiniam trajecta, cum præda omnis generis in Africam redit. Sacerdotes aliquot Romæ mortui et alter censorum. Ludi romani et plebeii. — VII; C. Lælius, P. Scipionis legatus, Romam venit, Patresque certiores facit de rebus in Hispania gestis et de Hasdrubalis transitu in Italiam. Provinciæ et imperia exercituum partita. — VIII; Primus ex plebe creatur curio maximus, et C. Valerius Flaccus flamen dialis tum invitus inauguratur, tum jus priscum in senatum veniendi usurpat. Legiones in Italia suppletæ, et præsidia Siciliæ partim minuta,

partim aucta. — IX; Legati XII coloniarum in Latio Romam missi negant esse, unde milites pecuniamque dent. — X; Reliquarum XVIII coloniarum legatis citatis, et milites ex formula paratos subsidiumque omne pollicentibus, gratiæ aguntur; illis nihil respondetur. Aurum promitur vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servatur. — XI; Prodigia procurata. Senatus principisque ejus lectio et notæ censoriæ. — XII; Consules ad bellum proficiscuntur; et Marcellus ad Canusium bis cum Hannibale, marte primum æquo et postero die adversa fortuna, pugnat. — XIII; Milites, acerbe ab eo increpiti ignominiaque notati, orant, ut iterum educantur in aciem, — XIV; et egregiam, nec tamen incruentam, ab hoste victoriam reportant. — XV; Fulvio se dedunt Hirpini, Lucani et Volcentes. Fabius, Manduria in Sallentinis vi capta, Tarentum obsidet; quam prodit ei præfectus præsidii, captus amore mulierculæ, cujus frater est in exercitu fabiano. — XVI; Ab cæde ad diripiendam urbem discurritur; et Hannibal frustra tum ad opem ferendam festinat, tum insidias struit Fabio. — XVII; In Hispania multi populi ac principes, in his Edesco, Mandonius et Indibilis, ad Romanos deficiunt. — XVIII; P. Scipio prope Bæculam vincit Hasdrubalem Hamilcaris filium. — XIX; Respuit nomen regium, quo ab Hispanis, quos captos deditosque sine pretio omnes dimittit domum, ingenti consensu salutatur; et ex Afris captivis vendi jussis Massivam, adultum regii generis puerum, Masinissæ avunculo cum donis remittit. — XX; Duces Pœnorum in Hispania consilio de bello habito decernunt, ut Hasdrubal Hamilcaris filius in Italiam, Hasdrubal Gisgonis in Lusitaniam, Mago ad conducenda mercede auxilia in Baliares, et Masinissa cum equitibus in citeriorem Hispaniam abeat. Scipio Tarentum, Marcellus vero et Fulvius, hic comitiorum causa, ille ad deprecandam ignominiam rogationemque C. Publicii Bibuli, trib. pl. de imperio ejus abrogando, Romam redeunt. — XXI; M. Claudius Marcellus quintum, et T. Quintius Crispinus consules creantur: comitia prætoria: defectio Etruriæ oppressa: ludi romani et plebeii: ædiles. — XXII; Provinciæ et viginti legiones divisæ. — XXIII; Prodigia: ludi Apollinares, in perpetuum in statam diem voti pestilentiæ causa. — XXIV; Ob metum etrusci tumultus Arretio obsides, senatorum liberi, deducuntur Romam, ibique legio relinquitur in præsidio. — XXV; De Tarentinis et M. Livio, præfecto arcis magna con-

tentione in senatu agitur coram Fabio. Ædes Honoris et Virtutis. Consules copias conjungunt in Apulia, inter Venusiam Bantiamque, quo et Hannibal redit. — XXVI; Ipsi cum paucis equitibus exploratum eunt tumulum inter punica et romana castra. — XXVII; Præcipitant in insidias, et Marcellus perit, Crispinus, graviter saucius, cum perpaucis effugit. — XXVIII; Hannibal frustra utitur annulo Marcelli in fraudem Salapitanorum, et adventu suo Locrorum obsidionem solvit. — XXIX; Crispinus Capuam et inde Tarentum proficiscitur, et M. Marcellus patris exercitum Venusiam abducit. M. Valerius cum classe 100 navium ex Sicilia in Africam transmittit, agrumque clupeensem late vastat. — XXX; Philippus in Græcia Achæis adversus Ætolos horumque socios, Machanidam, Attalum et Romanos, auxilium fert, et a concilio frustra Ægii de pace habito Argos redit, ubi curatio Heræorum Nemeorumque ad eum delata erat, quia se Macedonum reges ex ea civitate oriundos referunt. — XXXI; Romanos, duce P. Sulpicio agrum inter Sicyonem et Corinthum effuse vastantes, compellit in naves, et ingenti inde gaudio, sed et fœdæ libidini indulget. — XXXII; Paulo post a Sulpicio Ætolisque ad Elim vincitur, et Macedoniam, ab Eropo et Dardanis infestatam, repetit. — XXXIII; Achæi cum Ætolis Eleisque haud procul Messene prosperam faciunt pugnam, et Attalus Sulpiciusque Æginæ hibernant. Crispinus ex vulnere moritur, dicto ante comitiorum ludorumque magnorum faciendorum causa dictatore T. Manlio Torquato. — XXXIV; Cum C. Claudio Nerone invitus consul creatur M. Livius Salinator, multis ante annis ex consulatu populi judicio damnatus et semper inde memor ignominiæ acceptæ. — XXXV; Prætorum comitia. L. Manlius trans mare legatus it in Græciam. Consules in collegio ponunt veteres inimicitias, et diversæ iis decernuntur provinciæ extremis Italiæ finibus, Neroni adversus Hannibalem Bruttii et Lucani, Livio Gallia adversus Hasdrubalem, jam Alpibus appropinquantem.—XXXVI; Sacerdotes creati. Lustrum conditum, et numerus civium (137108) aliquanto minor, quam ante punicum bellum. Comitium tectum. Ludi romani plebeiique. Provinciæ divisæ et per eas 23 legiones. — XXXVII; Prodigia eorumque procuratio. — XXXVIII; Ob inopiam juventutis majoremque belli terrorem coloni etiam maritimi, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, et volones scribuntur milites.—XXXIX; Hasdrubal sua et aliorum spe celerius transit

Alpes, sed tempus perdit oppugnatione Placentiæ. — XL; Homines anxii curis digredientes in provincias consules prosequuntur. Hannibal e Sallentinis in Bruttios repellitur a C. Hostilio Tubulo et Q. Claudio. — XLI; Vincitur a Nerone cos. ad Grumentum in Lucanis, — XLII; et iterum in Apulia haud procul Venusia. — XLIII; Hasdrubalis literæ fratri scriptæ intercipiuntur a Romanis, iisque lectis Nero robur exercitus sui clam hoste et quam primum ad collegam ducere statuit. — XLIV; Maxima hinc Romæ trepidatio, variaque hominum judicia de tam audaci conatu consulis. — XLV; Is in itinere demum militibus detegit consilium suum, et, qua eos ducit, ex agris et urbibus, quæcumque ipsis jumentisque usui esse possunt, in viam deferuntur. — XLVI; Nocte clam ingreditur castra collegæ, ad Senam Metaurumque flumina posita, quibus et L. Porcius Licinus prætor sua jungit; et Nerone auctore confestim signum pugnæ proponitur. — XLVII; Hasdrubal vero, suspicatus duos adesse consules, et variis anxius curis, detrectat prælium, castraque movet vigilia prima; sed desertus a fraudulentis viæ ducibus per tortuosi amnis flexus haud multum procedit. — XLVIII-XLIX; Atrox conseritur pugna, in qua ipse cadit, et 56 millia Pœnorum, octo Romanorum occiduntur. — L; Celerrimus Neronis ad stativa sua reditus, habitusque animorum, quem Romæ incerta primum exspectatio eventus et prima deinde victoriæ fama effecit. — LI; Publica lætitia et supplicatio post adventum legatorum, a consulibus missorum. Nero caput Hasdrubalis projici ante stationes hostium, captivos quosdam ire ad fratrem ejus jubet. Hannibal, agnoscere se fortunam Carthaginis fertur dixisse, omniaque auxilia, latius diffusa, in bruttium agrum, extremum Italiæ angulum, contrahit.

I. Hic status rerum Hispaniæ erat. In Italia consul Marcellus, Salapia per proditionem recepta, Maroneam et Meles[1] de Samnitibus vi cepit : ad tria millia militum ibi Hannibalis, quæ præsidii causa relicta erant, oppressa. Præda (et aliquantum ejus fuit) mi-

Cap. I. 1. *Maronea et Meles* (forsan *Melæ*, ut supra XXIV, 20, hodie *Molise*), oppida non aliis, quod sciam, memorata. *Marmoreas* et *Marmoras* plerique MSS. — *Ad III millia*, etc.; confer Plut. Marcell. pag. 312. — *Ali-*

liti concessa : tritici quoque ducenta quadraginta millia modium, et centum decem millia hordei inventa. Cæterum nequaquam inde tantum gaudium fuit, quanta clades intra paucos dies accepta est[2], haud procul ab Herdonea urbe. Castra ibi Cn. Fulvius[3] proconsul habebat, spe recipiendæ Herdoneæ, quæ post cannensem cladem ab Romanis defecerat, nec loco satis tuto posita, nec præsidiis firmata. Negligentiam insitam ingenio ducis augebat spes ea, quod labare iis adversus Pœnum fidem[4] senserat, postquam, Salapia amissa, excessisse his locis in Bruttios Hannibalem auditum est. Ea omnia, ab Herdonea occultos nuntios delata Hannibali, simul curam sociæ retinendæ urbis, et spem fecere incautum hostem aggrediendi. Exercitu expedito, ita ut famam prope præveniret, magnis itineribus ad Herdoneam contendit, et, quo plus terroris hosti objiceret, acie instructa accessit. Par audacia Romanus, consilio et viribus impar, copiis raptim eductis, conflixit : quinta legio et sinistra[5] ala acriter pugnam inierunt. Cæterum Hannibal, signo equitibus dato, ut, quum pedestres acies occupassent præsenti certamine oculos animosque, circumvecti, pars castra hostium, pars terga trepidantium[6] inva-

quantum; v. ad II, 39, n. 1. — *Ducenta quadraginta millia modium;* secundum Crev. rationes, modii sunt Parisienses 185,000 : *Centum* vero *decem millia,* modii itidem nostrates paulo minus 84,792. Ed.

2. *Quanta clades... accepta est,* propr. quantum tristitiæ e clade, quæ — *haud procul ab Herdonea;* vide ad XXIV, 20, n. 5.

3. *Cn. Fulvius* Centumalus, diversus a Cn. Fulvio Flacco, qui ad eamdem Herdoneam victus est; vide XXV, 21.

4. *Labare iis* (Herdoneatibus) *fidem;* confer ad II, 39, n. 9.

5. *Sinistra ala;* vide ad XXV, 21, n. 4.

6. *Terga trepidantium,* fortiter ardenterque pugnantium : nam *trepidare* notionem festinationis et cupiditatis, qua rei cuidam insistitur, habet: nec præ timore tantum, sed etiam præ moræ impatientia et animi ardore *trepidari* solet; Doer. Hæc exemplis firmarunt Gron. et Drak. Confer tamen ad I, 14, n. 6, et III, 49, n. 4. Cre-

derent, ipse in Fulvii similitudinem nominis, quod Cn. Fulvium prætorem biennio ante in iisdem devicerat locis, increpans, similem eventum pugnæ fore affirmabat. Neque ea spes vana fuit: nam quum cominus acie et peditum certamine multi cecidissent Romanorum, starent tamen ordines signaque, equestris a tergo tumultus[7], simul a castris clamor hostilis auditus, sextam ante legionem, quæ, in secunda acie posita, prior ab Numidis turbata est; quintam deinde atque eos, qui ad prima signa erant, avertit. Pars in fugam effusi, pars in medio cæsi: ubi et ipse Cn. Fulvius cum undecim tribunis militum[8] cecidit. Romanorum sociorumque quot cæsa[9] in prælio millia sint, quis pro certo affirmet? quum tredecim millia alibi, alibi haud plus, quam septem, inveniam. Castris prædaque victor potitur; Herdoneam, quia et defecturam fuisse ad Romanos comperit, nec mansuram in fide, si inde abscessisset, multitudine omni Metapontum ac Thurios traducta, incendit: occidit principes, qui cum Fulvio colloquia occulta habuisse comperti sunt. Romani, qui ex tanta clade evaserant, diversis itineribus semermes ad Marcellum consulem in Samnium perfugerunt.

II. Marcellus, nihil admodum tanta clade territus, literas Romam ad senatum de duce et exercitu ad

verius notat τὸ *trepidare*, etsi non semper eorum est qui pavent, semper certe aliquid incompositi tumultus indicare, cujus hic nullum vestigium. Quare vulg. *pugnantium* revocavit. Quidam MSS ferunt *oppugnantium*. Put. *oppidantium*, unde Gronovius conjecturam *trepidantium* eruit. Ed. — *In Fulvii similitudinem...increpans*; confer n. 3, et ad I, 51, n. 1.

7. *Equestris a tergo tumultus*, ut, *terrestris exercitus* XXXV, 20, n. 4, *tumultus silvestris* infra cap. 26, et *equestris terror* cap. 42 pr. ubi tamen MSS Put. Cantabr. et al. *eques terror:* unde Drak. edidit *equester terror*; vide ad X, 5, n. 4; ad Tac. Ann. II, 88, n. 5, et ad Sil. III, 463; X, 351.

8. *Cum XI tribunis militum:* ita et Plut. loc. laud.

9. *Romanorum sociorumque quot cæsa*, etc.; confer Plut. loco laud.

Herdoneam amisso scribit. *Cæterum eumdem se*[1], *qui post cannensem pugnam ferocem victoria Hannibalem contudisset, ire adversus eum, brevem illi lætitiam, qua exsultet, facturum.* Et Romæ quidem quum luctus ingens ex præterito, tum timor in futurum erat. Consul, ex Samnio in Lucanos transgressus, ad Numistronem[2] in conspectu Hannibalis loco plano, quum Pœnus collem teneret, posuit castra; addidit et aliam fidentis speciem, quod prior in aciem eduxit[3]: nec detrectavit Hannibal, ut signa portis efferri vidit. Ita tamen aciem instruxerunt, ut Pœnus dextrum cornu in collem erigeret, Romani sinistrum ad oppidum applicarent. Ab hora tertia quum ad noctem pugnam extendissent, fessæque pugnando primæ acies essent, ab Romanis prima legio et dextera ala[4], ab Hannibale hispani milites et funditor baliaris, elephanti quoque,

Frontin. Strat. II, 5, 21; Appian. Hann. 48; Oros. IV, 18, ibique Fabric.

Cap. II. 1. *Eumdem se*, etc.; confer Plut. Marcell. pag. 312.

2. *Ex Samnio in Lucanos transgressus, ad Numistronem:* apud Ptol. Νουμίστρων in Bruttiis mediterraneis, quorum superior pars passim a Livio Lucanis tribuitur. *Numestrani* memorantur Plin. III, 11, seu 15.

3. *Prior in aciem eduxit;* vide ad I, 23, n. 4. — Pluribus hunc locum ostendit impeditum esse Creverius. Primum quia intelligi non potest, quæ in hoc prælio prima acies Romanorum fuerit, distincta a duabus legionibus et a duabus alis: quippe Marcellus (vid. XXVI, 28) duas tantum habuisse legiones dicatur, paremque numerum sociorum in duas divisum alas. Altera difficultas in eo posita est, quod quum primæ acies ad noctem pugnam extendissent, haud satis temporis superesse debuit, ut primæ legionis pugna cum secunda acie Pœnorum *diu neutro inclinata steterit*, et mox integri alii a fessis exciperent prælium, donec pugnantes nox dirimeret. Quare cl. ille nostras Livii interpres ita locum emendat: «*... Romani sinistrum ad oppidum applicarent. Diu pugna neutro incl. stetit. Ab hora tertia quum ad noct. pug. ext. fess. pug. pr. ac. essent*, quæ scilicet erant *ab Romanis*, id est, a Rom. parte, *prima leg. et dext. ala*, *ab Hannibale* vero, id est, ab Hannibalis parte, *hispani mil. et fund. Bal. eleph. quoque*, qui *commisso jam cert. in pr. acti* fuerant; *primæ leg. tertia*, et *dext. alæ sin. subiit*, *et apud host. int. a fess. pug. accepere.*» Ed.

4. *Prima legio et dextera ala* (vid. ad XXV, 21, n. 4) prima Romanorum acies, non ejus subsidium, et apodosis forte est *Primæ legioni tertia*, etc., mediis per epexegesin interpositis; Crev. et Drakenb. Confer et Schel. ad Polyb. diss. XII. Post *subiit* vero ma-

commisso jam certamine, in prælium acti : diu pugna neutro inclinata stetit. Primæ legioni tertia, dexteræ alæ sinistra subiit, et apud hostes integri a fessis pugnam accepere. Novum atque atrox prælium ex tam segni repente exarsit, recentibus animis corporibusque : sed nox incerta victoria diremit[5] pugnantes. Postero die Romani ab sole orto in multum diei stetere in acie. Ubi nemo hostium adversus prodiit; spolia per otium legere, et congestos in unum locum cremavere suos. Nocte insequenti Hannibal silentio movit castra, et in Apuliam abiit : Marcellus, ubi lux fugam hostium aperuit, sauciis cum præsidio modico Numistrone relictis præpositoque his L. Furio Purpureone tribuno militum, vestigiis institit sequi[6]. Ad Venusiam adeptus eum est : ibi per dies aliquot quum ab stationibus procursaretur, mixta equitum peditumque tumultuosa magis prælia, quam magna[7], et ferme omnia Romanis secunda fuerunt. Inde per Apuliam ducti exercitus sine ullo memorando certamine; quum Hannibal nocte signa moveret, locum insidiis quærens; Marcellus, nisi certa luce, et explorato ante, non sequeretur.

III. Capuæ interim Flaccus dum bonis principum

jorem distinct. posuit Doer. — *Funditor baliaris* MSS Put. et al. elegantius, quam vulg. *funditores Baliares.* Confer ad XXI, 21, n. 7. — *Ex tam segni*, forte *jam ;* Duk.

5. *Nox incerta victoria diremit pugnantes :* at, si fides habenda Frontino, Strat. II, 2, n. 6, « Hannibal cavas et præruptas vias objecit a latere, ipsaque loci natura pro munimentis usus clarissimum ducem vicit ». — *In multum diei ;* vide ad XXII, 52, n. 1.

6. *Vestigiis institit sequi*, e vestigio, confestim, vel potius ita ut vestigia legeret, seu persequeretur, cœpit sequi, scilicet Hannibalem. Ita aliquem *vestigiis sequi, persequi, consequi* VI, 32; IX, 45, ap. Cic. Brut. 90, et pro Cluent. 13; et *insistit sequi* XXXVII, 27, *reputare*, etc., sæpissime apud Livium. Confer ad VI, 32, n. 5, et XXIV, 26, n. 7. Itaque non est quod auctore Doer. deleatur *sequi*, etsi bene quoque dicitur *instare vestigiis;* ut cap. 12 et al.

7. *Tumultuosa magis prælia, quam magna ;* vide ad XXI, 16, n. 5. — *Explorato ante ;* vide ad I, 41, n. 10.

vendendis, agro, qui publicatus fuerat [1], locando (locavit autem omnem frumento) tempus terit; ne deesset materia in Campanos sæviendi, novum in occulto gliscens per indicium protractum est facinus. Milites ædificiis emotos, simul ut cum agro tecta urbis fruenda locarentur, simul metuens, ne suum quoque exercitum, sicut Hannibalis, nimia urbis amœnitas emolliret, in portis murisque sibimet ipsos tecta militariter coegerat ædificare. Erant autem pleraque ex cratibus aut tabulis facta, alia arundine texta, stramento intecta omnia, velut de industria, alimentis ignis. Hæc noctis una hora ut omnia incenderent, centum septuaginta Campani, principibus fratribus Blosiis [2], conjuraverant. Indicio ejus rei ex familia Blosiorum facto, portis repente jussu proconsulis clausis, quum ad arma signo dato milites concurrissent; comprehensi omnes, qui in noxa erant, et, quæstione acriter habita, damnati necatique; indicibus libertas et æris dena millia data. Nucerinos et Acerranos querentes, ubi habitarent, non esse, Acerris ex parte incensis, Nuceria deleta, Romam Fulvius ad senatum misit. Acerranis permissum, ut ædificarent quæ incensa erant: Nucerini Atellam, quia id maluerant (Atellanis Calatiam migrare jussis), traducti. Inter multas magnasque res, quæ, nunc secundæ, nunc adversæ, occupabant co-

Cap. III. 1. *Agro, qui publicatus fuerat* (vide ad III, 31, n. 2), *locando*, usum et fructus ejus colonis redemptoribusve certa mercede concedendo; confer ad V, 23, n. 6. Sic mox *fruenda* (fructum usumque eorum, *Niesbrauch*) *locare*, ut cap. 11, et XXXII, 7, n. 2; XLII, 19, n. 2, *agroque* Lov. 5. Confer ad I, 24, n. 11. — *Locavit autem omnem frumento*, vectigali frumentario (Germ. *Frucht-Zins* aut *Zehnten*), ita ut frumentum (decimæ) quotannis pro agri proventu daretur a conductoribus, non pecunia. Confer Gron. Obss. IV, 16, et Intpp. Plin. Ep. IX, 37, § 3. — *In Campanos*, cives urbis Capuæ, qui semper ita appellantur Livio; Gron.

2. *Principibus fratribus Blosiis*; vide ad XXIII, 7, n. 6. — *Ex familia*, servis. — *Æris dena millia*. Hic æs grave intelligendum putat Creyer.

gitationes hominum, ne tarentinæ quidem arcis excidit memoria. M. Ogulnius et P. Aquillius in Etruriam legati ad frumentum coemendum, quod Tarentum portaretur, profecti; et mille milites de exercitu urbano[3], par numerus Romanorum sociorumque, eodem in præsidium cum frumento missi sunt.

IV. Jam æstas in exitu erat, comitiorumque consularium instabat tempus: sed literæ Marcelli, negantis e re publica esse[1], vestigium abscedi ab Hannibale, cui cedenti certamenque abnuenti gravis ipse instaret, curam injecerant[2], ne aut consulem, tum maxime res agentem, a bello avocarent[3], aut in annum consules deessent. Optimum visum est, quamquam extra Italiam esset, Valerium potius consulem ex Sicilia revocari. Ad eum literæ jussu senatus ab L. Manlio prætore Urbis[4] missæ cum literis consulis M. Marcelli; ut ex iis nosceret, quæ causa Patribus eum potius, quam collegam, revocandi ex provincia esset. Eo fere tempore legati ab rege Syphace Romam venerunt, quæ is prospera prælia cum Carthaginiensibus fecisset, memorantes. *Regem nec inimiciorem ulli populo, quam carthaginiensi, nec amiciorem, quam romano*, affirmabant *esse. Misisse eum antea legatos in Hispaniam ad Cn. et P. Cornelios, imperatores romanos: nunc ab ipso velut fonte petere romanam amicitiam vo-*

itaque ea dena millia æstimat marcis argenti Paris. 15, cum unciis quinque. Rollinus vero æquat 500 *livres*. Ed.

3. *Mille milites de exercitu urbano*, et quidem *par numerus Romanorum sociorumque*, quingenti Romani et D socii; sed e pluribus MSS leg. *par n. sociorum*: nam in exercitu seu legionibus *urbanis* non erant socii; Duker. Confer ad XXVI, 28, n. 2.

Cap. IV. 1. *E re publica esse*; vide ad I, 27, n. 5. — *Vestigium*, vel passum unum. — *Gravis ipse instaret*; confer ad XXXIX, 53, n. 3, *gravius* quædam edd. prob. Gron.

2. *Curam injecerant* Patribus, senatui, ad quem *literæ Marcelli* missæ erant et seqq. pertinent.

3. *A bello avocarent* comitiorum habendorum causa.

4. *Ab L. Manlio prætore Urbis*; vide supra ad XXV, c. 1, n. 7.

luisse. Senatus non legatis modo benigne respondit, sed et ipse legatos cum donis ad regem misit, L. Genucium, P. Pœtelium, P. Popillium. Dona tulere, togam et tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram ex quinque pondo auri[5] factam. Protenus et alios Africæ regulos jussi adire : iis quoque quæ darentur, portata, togæ prætextæ et terna pondo pateræ aureæ. Et Alexandriam ad Ptolemæum[6] Cleopatramque reges M. Atilius et M'. Acilius legati, ad commemorandam renovandamque amicitiam missi, dona tulere, regi togam et tunicam purpuream cum sella eburnea, reginæ pallam pictam cum amiculo purpureo. Multa ea æstate, qua hæc facta sunt, ex propinquis urbibus agrisque nuntiata sunt prodigia[7] : Tusculi agnum cum ubere lactenti natum : Jovis ædis culmen fulmine ictum

5. *Ex quinque pondo auri.* Id est, septem marcis nostratibus, cum sex unciis et semuncia. Ed. — *Jussi adire* legati. Vulgo *jussit* legitur. *Jussis adire...portata sunt* (scilicet dona) emend. Doer. Sed non est quod displiceat τὸ *jussi*, modo post *adire* major ponatur distinctio. — *Terna pondo :* Gron. de pec. vet. I, 6, emend. *ternas*, scil. libras. Confer ad XXX, 21, n. 1. — Plurimi dant *ternum*. Cæterum pondus est quaternarum marcarum nostrat. cum quinque unciis et semuncia. Ed.

6. *Ad Ptolemæum* Philopatorem *Cleopatramque reges* (ut XXXVII, 3 et al.), fratrem sororemque, tori et regni consortes, more Orientalium; vide ad Tac. Ann. II, 3, n. 4. *Reges* pro rege et regina; v. ad I, 39, n. 2. In Ægypto potissimum id receptum fuisse, ut reginæ, tanquam imperii summive fastigii consortes, in publicis solennibus monimentisque una cum maritis compellarentur inscriberenturque, docet Spanhem. de usu et pr. num. Diss. VII, pag. 423. Soror autem et uxor Ptolemæi hujus perperam *Eurydice* dicitur Justino XXX, 1, at rectius *Arsinoe* Polyb. V, 83, 3; XV, 25, n. 2; XV, 33, 11 seq., et auctori libri III, Machab. I, 1 et 3. — Hic *Ptolemæus* paulo ante initium secundi belli punici regnare occœperat. Nunc renovatur amicitia, cum ejus avo Ptolemæo Philadelpho inita; vide Freinsh. Supplem. lib. XIV, 38, vel Rollin, *Histoire Romaine,* tom. III, lib. X, cap. 5. Ed.

7. *Nuntiata sunt prodigia,* etc.; vide ad I, 31, n. 1. — *Tusculi agnum natum cum ubere lactenti*, continente lac; *lactanti* plerique MSS et omnes edd. ante Gron. recte, si verum ac perpetuum est, quod Serv. ad Virg. Georg. I, 315, monet : « *Lactans* est, quæ lac præbet; *lactens*, cui lac præbetur. » Sed ex iis, quæ Burmannus ad Seren. Sam. v. 349, notavit, colligitur, *ubera lactentia* dici posse ra-

ac prope omni tecto nudatum : iisdem ferme diebus Anagniæ terram, ante portam ictam [8], diem ac noctem sine ullo ignis alimento arsisse : et aves, ad compitum anagninum, in luco Dianæ nidos in arboribus reliquisse : Tarracinæ in mari haud procul portu angues magnitudinis miræ lascivientium piscium modo exsultasse : Tarquiniis porcum cum ore humano genitum : et in agro capenate, ad lucum Feroniæ [9], quatuor signa sanguine multo diem ac noctem sudasse. Hæc prodigia hostiis majoribus procurata [10] decreto pontificum, et supplicatio diem unum Romæ ad omnia pulvinaria, alterum, in capenate agro, ad Feroniæ lucum indicta.

V. M. Valerius consul literis excitus, provincia exercituque mandato Cincio prætori, M. Valerio Messalla præfecto classis cum parte navium in Africam prædatum simul speculatumque, quæ populus carthaginiensis ageret pararetque, misso, ipse decem navibus Romam profectus [1], quum prospere pervenisset, senatum extemplo habuit. Ibi de suis rebus gestis commemoravit : *Quum annos prope sexaginta in Sicilia terra marique sæpe magnis cladibus bellatum esset, se eam provinciam confecisse* [2]. *Neminem carthaginiensem in*

tione matris, quæ ubera lacte plena gerat; Drak.

8. *Anagniæ terram ictam* fulmine. *Hermam* non male conj. Ruben. nam Hermæ, seu Mercurii προπύλαιοι ante *portas* statui solebant; Gron. Confer ad Juvenal. VIII, 53. Sed in Italia fuisse hunc morem non constat; Duk. — *Ad compitum anagninum;* vide Tab. Peuting., Itiner. Anton. ibique Wessel. pag. 306, et Cluver. Ital. ant. III, 6, pag. 982.

9. *In agro capenate ad lucum Feroniæ,* vide ad I, 30, n. 4. — *Signa,* statuas, *sanguine sudasse;* vide ad XXII, 1, n. 11.

10. *Hæc prodigia hostiis majoribus procurata,* confer Ind. et ad I, 20, n. 11. — *Supplicatio ad omnia pulvinaria;* vide ad III, 7, n. 4.

Cap. V. 1. *Ipse decem* cum *navibus Romam profectus,* ut mox *Messalla L navibus;* v. ad I, 14, n. 4. — *Annos prope LX,* propr. LV, ab Ap. Claudio cos., qui primus bellum in Siciliam transtulit; Sigon.

2. *Se eam provinciam confecisse;* vide ad II, 40, n. 9. — *Neminem Si-*

Sicilia esse : neminem siculum, qui metu inde fugati abfuerint, non esse : omnes in urbes, in agros suos reductos, arare, serere; desertam recoli tandem terram, frugiferam ipsis cultoribus, populoque romano pace ac bello fidissimum annonæ subsidium. Exin Mutine, et si quorum aliorum merita[3] erga populum romanum erant, in senatum introductis, honores omnibus, ad exsolvendam fidem a consule[4], habiti. Mutines etiam civis romanus factus, rogatione ab tribuno plebis, ex auctoritate patrum, ad plebem lata. Dum hæc Romæ geruntur, M. Valerius Messalla quinquaginta navibus quum ante lucem ad Africam accessisset, improviso in agrum uticensem exscensionem fecit; eumque late depopulatus, multis mortalibus cum alia omnis generis præda captis, ad naves rediit, atque in Siciliam transmisit; tertiodecimo die, quam profectus inde erat, Lilybæum revectus. Ex captivis, quæstione habita, hæc comperta, consulique Lævino omnia ordine per-

culum non esse nunc in Sicilia, h. e. in Siciliam rediisse.

3. *Et si quorum aliorum merita*, etc. vide ad XXIV, 1, n. 7.

4. *Ad exsolvendam fidem a consule*, hoc est, consulis, quod Rhen. ex ingenio, non e libris substituit. Vulgaris est locutio Græcorum, qui ἀπὸ et παρὰ periphrastice cum genit. ponunt pro simpl. genitivo; vide Schweigh. ad Polybium, III, 9, 2, et III, 69, 13. Sic *princeps ab Sabinis* I, 12, *literæ ab Tarquiniis* II, 3, n. 7; *literæ ab Porcio* XXVII, 39, n. 1; *cecidere ab Romanis ducenti* XLII, 60, n. 1; *sinistra ala ab Romanis pugnabat* XXVII, 14, n. 2 (nisi potius *ab Romanis* utroque loco, saltem posteriore, ubi et *ala* est sociorum, dictum pro *a parte Romanorum*, ut παρὰ Ῥωμαίων pro simpl. Ῥωμαίων, utque paullo post XXVII, 14, *ab Hannibale Hispani primam obtinebant frontem*, et cap. 12, n. 5, *cedere ab Romanis ala*, et forte I, 12, *princeps ab Sabinis*, et XXXVII, 23, *cornu sinistrum ab regiis*) *caduceator ab Antiocho* XXXVII, 45, n. 2. Confer et ad XXII, 37, n. 1; XXXVII, 23, n. 8; XXXVIII, 21, n. 2; XLII, 48, n. 6; XLII, 56, n. 4. Eodem forsan referenda, quæ notavi ad II, 22, n. 2; III, 22, n. 4; IV, 7, n. 4; X, 14, n. 2; X, 43, n. 1. Conf. Cort. ad Plin. Ep. IV, 22, § 4. Alii h. l. supplent *datam*, et *missi*, *missæ* in formulis : *legati* et *literæ ab aliquo*, *nuntii a collega*, etc. Eodem vero modo et *ex* pro *a*, seu *ab* ponitur; vide ad XXXV, 32, n. 3. — *Mutines etiam civis*, etc.; confer Varr. apud Pedian. in Pison. Mox post *captis* tres MSS addunt *multis occisis*.

scripta, ut sciret, quo in statu res Africæ essent: *Quinque millia Numidarum cum Masinissa, Galæ filio, acerrimo juvene, Carthagine esse; et alios per totam Africam milites mercede conduci, qui in Hispaniam ad Hasdrubalem trajicerentur, ut is, quam maximo exercitu primo quoque tempore in Italiam transgressus, jungeret se Hannibali: in eo positam victoriam credere Carthaginienses. Classem præterea ingentem apparari ad Siciliam repetendam, eamque se credere brevi trajecturam.* Hæc recitata a consule ita movere senatum, ut non exspectanda comitia consuli censerent, sed dictatorem comitiorum habendorum causa dici, et extemplo in provinciam redeundum. Illa disceptatio tenebat[5], quod consul in Sicilia se M. Valerium Messallam, qui tum classi præesset, dictatorem dicturum esse aiebat: Patres extra romanum agrum (eum autem in Italia terminari) negabant dictatorem dici posse. M. Lucretius tribunus plebis quum de ea re consuleret, ita decrevit senatus, *Ut consul prius, quam ab Urbe discederet, populum rogaret, quem dictatorem dici placeret; eumque, quem populus jussisset, diceret dictatorem. Si consul noluisset, prætor populum rogaret*[6]*: si ne is quidem vellet, tum tribuni*

5. *Illa disceptatio tenebat*, morabatur rem vel consulem; vide ad II, 63, n. 3. — *Patres extra romanum agrum negabant dictatorem dici posse;* conf. ad VII, 24, n. 6. Neque etiam extra Italiam exercitum ducere licebat dictatori: quod libera rep. non nisi semel factum legimus in Epit. Liv. XIX. — Mox *Italia terminari* (intra Italiæ fines contineri, ita ut ager extra Italiam situs non sit Romanus) pro vulg. *in Italia t.* ex 4 MSS et quibusdam editt. legendum esse, jam alii monuere. — Notat Crev. ea sic accipienda esse, ut nullus extra Italiam ager pro romano habitus fuerit, non ut omnis Italiæ ager romanus esset, ut colligitur ex c. 29 infra: nimirum *ager romanus* habitus fuisse videtur, quilibet Italiæ ager, qui Romanorum ditionis esset. Ed.

6. *Prætor populum rogaret*, scil. prætorum princeps, *urbanus*, quam vocem edd. ante Drak. adjiciunt, non MSS. — *Se populum rogaturum* de eo, *quod suæ potestatis esset:* nam dictator non nisi a consule dici poterat. Confer ad lib. III, cap. 62, n. 5, et lib. IV, cap. 31, n. 4.

ad plebem ferrent. Quum consul se populum rogaturum negasset, quod suæ potestatis esset, prætoremque vetuisset rogare; tribuni plebis rogarunt, plebesque scivit, ut Q. Fulvius, qui tum ad Capuam erat, dictator diceretur. Sed, quo die id plebis concilium futurum erat, consul clam nocte in Siciliam abiit, destitutique Patres literas ad M. Claudium mittendas censuerunt, ut desertæ ab collega rei publicæ subveniret, diceretque, quem populus jussisset, dictatorem. Ita a M. Claudio consule Q. Fulvius dictator dictus, et ex eodem plebiscito et ab Q. Fulvio dictatore P. Licinius Crassus pontifex maximus magister equitum dictus.

VI. Dictator postquam Romam venit, Cn. Sempronium Blæsum legatum, quem ad Capuam habuerat, in Etruriam provinciam ad exercitum misit, in locum C. Calpurnii prætoris; quem, ut Capuæ exercituique suo præesset, literis excivit. Ipse comitia, in quem diem primum potuit, edixit; quæ, certamine inter tribunos dictatoremque injecto, perfici non potuerunt[1]. Galeria juniorum, quæ sorte prærogativa erat, Q. Fulvium et Q. Fabium consules dixerat, eodemque jure vocatæ inclinassent, ni tribuni plebis C. et L. Arennii se interposuissent, qui, *neque magistratum continuari*[2] *satis civile esse*, aiebant, *et multo fœdioris exempli, eum ipsum creari, qui comitia haberet. Itaque, si suum nomen dictator acciperet*[3], *se comitiis intercessuros : si*

Cap. VI. 1. *Perfici non potuerunt.* Sive sic cum Crev. legas ex regio codice a Donjat. allegato, sive *poterant* ex Victor. recipias, sese commode habebit oratio; at, quod vulgo editi dant, *potuerant* hic stare non potest. Ed.— *Galeria juniorum, quæ sorte prærogativa erat... eodemque inclinassent,* et in eamdem sententiam inclinaturæ fuissent, *jure vocatæ;* vide ad III, 51, n. 3, et XXIV, 7, n. 9. — *Ni tribuni plebis se interposuissent;* vide ad III, 46, n. 2. — De hoc loco vid. Gron. Obs. IV, 1. Ed.

2. *Magistratum continuari,* Fulvium dictatorem fieri consulem. Confer ad IV, 22, n. 4, et XXVIII, 38, n. 4. — *Satis civile;* vide ad VII, 5, n. 2, et VII, 42, n. 2.

3. *Si suum nomen dictator acciperet,*

aliorum, præterquam ipsius, ratio haberetur, comitiis se moram non facere[4]. Dictator causam[5] comitiorum auctoritate senatus, plebiscito, exemplis tutabatur. *Namque, Cn. Servilio consule, quum C. Flaminius alter consul ad Trasimenum cecidisset, ex auctoritate Patrum ad plebem latum, plebemque scivisse, ut, quoad bellum in Italia esset, ex iis, qui consules fuissent, quos et quoties vellet, reficiendi consules populo jus esset; exemplumque eam in rem se habere vetus L. Postumii Megelli, qui interrex iis comitiis, quæ ipse habuisset, consul cum C. Junio Bubulco creatus esset; recens Q. Fabii, qui sibi continuari consulatum, nisi id bono publico fieret, profecto numquam*[6] *sivisset.* His orationibus quum diu certatum esset, postremo ita inter dictatorem ac tribunos convenit, ut eo, quod censuisset senatus, staretur. Patribus id tempus rei publicæ visum est, ut per veteres et expertos bellique peritos imperatores res publica gereretur; itaque moram fieri comitiis non placere. Concedentibus tribunis, comitia habita : declarati consules Q. Fabius Maximus quintum, Q. Fulvius Flaccus quartum : prætores inde creati, L. Veturius Philo, T. Quintius Crispinus, C. Hostilius Tubulus, C. Aurunculeius. Magistratibus in annum creatis, Q. Fulvius dictatura se abdicavit. Extremo æstatis hujus classis punica navium quadraginta, cum præfecto Hamilcare in Sardiniam trajecta, olbiensem primo, dein, postquam ibi P. Manlius Vulso

si Fulvius se consulem creari pateretur; vide ad IX, 46, n. 5.

4. *Comitiis se moram non facere;* vide ad III, 24, n. 6.

5. *Causam comitiorum*, ea quæ nunc in comitiis agerentur. — *Plebemque scivisse*, etc., cujus plebisciti nulla mentio supra facta. — *L. Postumii Meg.* cos. cum *C. Junio Bub.* an. Urb. 461.

6. *Numquam sivisset*, Put. *sisset*, prob. Gron. — *Ut eo, quod censuisset senatus, staretur;* vide ad III, 36, n. 11. — *Res publica gereretur;* vide ad II, 64, n. 3. — *Moram fieri c.;* vide ad III, 24, n. 6.

prætor cum exercitu apparuit, circumacta inde ad alterum insulæ latus, caralitanum agrum[7] vastavit, et cum præda omnis generis in Africam rediit. Sacerdotes romani eo anno mortui aliquot suffectique. C. Servilius Pontifex factus in locum T. Otacilii Crassi; Ti. Sempronius Ti. F. Longus[8] augur factus in locum T. Otacilii Crassi: decemvir item sacris faciundis in locum Ti. Sempronii C. F. Longi Ti. Sempronius Ti. F. Longus suffectus. M. Marcius rex sacrorum mortuus est, et M. Æmilius Papus maximus curio: neque in eorum locum sacerdotes eo anno suffecti. Et censores hic annus habuit L. Veturium Philonem et P. Licinium Crassum, maximum pontificem: Crassus Licinius nec consul, nec prætor ante fuerat, quam censor est factus[9]: ex ædilitate gradum ad censuram fecit. Sed hi censores neque senatum legerunt, nec quidquam publicæ rei egerunt: mors diremit[10] L. Veturii: inde et Licinius censura se abdicavit. Ædiles curules L. Veturius et P. Licinius Varus ludos romanos diem unum instaurarunt[11]: ædiles plebis Q. Catius et L. Porcius

7. *Olbiensem primo, dein caralitanum agrum:* oppida Sardiniæ *Olbia* ad mare et versus septemtrionem, et *Caralis*, seu *Carales* (hodie *Cagliari*) versus meridiem. — Ptolemæus Olbiam Caralinque eodem Sardiniæ latere ponit, videlicet ortum spectante. Quare Glareanus non videt, quomodo hic locus constet. Ed. — *Sacerdotes..... mortui aliquot.* T. Otacilius in Sicilia mortuus erat anno 541; vide ad lib. XXVI, 22, 23. Ed.

8. *Ti. Sempronius Ti. F. Longus* duo sacerdotia accepit, quod et habuit *T. Otacilius Crassus* aliique; Gron. coll. XXIX, 38; XXX, 26, et XL, 42. Confer Spanhem. de usu et pr. num. diss. XII, pag. 368, et Manut. ad Cic. Ep. ad div. XIII, 68. Sed verba *Ti. Sempronius...Crassi*, ex codd. Reg., Put. et Petav. inserta, pro panno assuto habet Drak. quia XLI, 21, auguratus Sempronii nulla fiat mentio.

9. *Crassus Licinius* (vide ad III, 1, n. 1), *censor, nec consul nec prætor ante fuerat;* confer cap. 11. Censores creabantur plerumque e consularibus.

10. *Mors diremit* (collegium ipsamque censuram sustulit, finivit) *L. Veturii*, etc.; vide ad V, 31, n. 4. — *Ædilis curulis L. Veturius* filius censoris modo memorati. Confer Pigh. Ann. ad an. 543, pag. 189.

11. *Ludos romanos diem unum instaurarunt;* vide ad II, 36, n. 1. —

Licinus ex mulctaticio argento signa ænea ad Cereris dedere, et ludos, pro temporis ejus copia[12], magnifici apparatus fecerunt.

VII. Exitu anni hujus, die quarto et tricesimo, quam ab Tarracone profectus erat, C. Lælius legatus Scipionis Romam venit; isque cum agmine captivorum ingressus urbem, magnum concursum hominum fecit. Postero die in senatum introductus, captam Carthaginem, caput Hispaniæ, uno die, receptasque aliquot urbes, quæ defecissent, novasque in societatem adscitas, exposuit. Ex captivis comperta his fere congruentia, quæ in literis fuerant M. Valerii[1] Messallæ. Maxime movit Patres Hasdrubalis transitus in Italiam, vix Hannibali atque ejus armis subsistentem[2]: productus et in concionem Lælius eadem edisseruit. Senatus, ob res feliciter a P. Scipione gestas, supplicationem in unum diem decrevit: C. Lælium primo quoque tempore, cum quibus venerat navibus, redire in Hispaniam jussit. Carthaginis expugnationem in hunc annum contuli, multis auctoribus; haud nescius quosdam esse, qui anno insequenti captam[3] tradiderint: quod mihi minus simile veri visum est, annum integrum Scipionem nihil gerundo in Hispania consumpsisse. Q. Fabio Maximo quintum, Q. Fulvio Flacco

Signa ænea ad Cereris; vide ad X, 23, n. 12.

12. *Pro temporis ejus copia*, facultate (cf. ad VII, 33, n. 2, et XXVIII, 21, n. 6), *ludos fecerunt* plebeios; vid. ad II, 36, n. 1.

Cap. VII. 1. *In literis M. Valerii Messallæ;* vide cap. 5.

2. *Vix Hannibali atque ejus armis subsistentem*, resistentem, vel sufficientem, parem; vide ad I, 4, n. 12, et Schelleri Lexic. *obsistentem* edit. Ascens. et al. ex interpr. ut *resistentem* MS Hafn. — *Subsistentem*, quemadmodum apud Ciceronem Epist. ad Familiares, XI, 10; quod ex optimis MSS reposuerunt Victorius et Gebh. Ed.

3. *Quosdam esse, qui anno insequenti captam tradiderint* Carthaginem; in quibus et Polybius fuit. Cf. Schweigh. ad Polybium, X, 2 pr. — *Quod mihi minus simile veri*, etc. Vid. ad VI, 8, n. 2.

quartum consulibus, idibus martiis, quo die magistratum inierunt, Italia ambobus provincia decreta; regionibus tamen partitum imperium: Fabius ad Tarentum, Fulvius in Lucanis ac Bruttiis rem gereret: M. Claudio prorogatum in annum imperium. Prætores sortiti provincias: C. Hostilius Tubulus[4] urbanam, L. Veturius Philo peregrinam cum Gallia, T. Quintius Crispinus Capuam, C. Aurunculeius Sardiniam. Exercitus ita per provincias divisi: Fulvio duæ legiones, quas in Sicilia M. Valerius Lævinus haberet; Q. Fabio, quibus in Etruria C. Calpurnius præfuisset, decretæ. Exercitus urbanus ut in Etruriam succederet: C. Calpurnius eidem præesset provinciæ exercituique: Capuam exercitumque, quem Q. Fulvius habuisset, T. Quintius obtineret: C. Hostilius ab C. Lætorio[5] proprætore provinciam exercitumque, qui tum [jam] Arimini erat, acciperet. M. Marcello, quibus consul bene rem gesserat, legiones decretæ[6]: M. Valerio cum L. Cincio (his quoque est enim prorogatum in Sicilia imperium) cannensis exercitus datus[7]; eumque supplere ex militibus, qui ex legionibus Cn. Fulvii superessent, jussi. Conquisitos eos consules in Siciliam miserunt; additaque eadem militiæ ignominia, sub

4. *C. Hostilius urbanam*, etc. Vide ad II, 40, n. 9.

5. *C. Hostilius ab C. Lætorio:* immo *L. Veturius ab C. L.* quod ex supra dictis et cap. 10 ac 20 patere, jam monuerunt Pigh. in Annal. ad an. 544 et Gronov. Conf. ad XXV, 41, n. 8. Mox *exercitumque (Arimini erat) acciperet* vet. cod. Rhen. prob. Gron. Abest certe a multis MSS τὸ *jam*.

6. *M. Marcello, quibus consul bene rem gesserat, legiones decretæ*, ergo prima et secunda; vid. ad cap. 2. Sed duodevicesimam et vicesimam memorari cap. 12 et 14, jam monuit Periz. Hæc quemadmodum in concordiam redigenda sint, cogitent acutiores.

7. *M. Valerio cum L. Cincio prorogatum in Sicilia imperium et cannensis exercitus datus*, etc. Vid. XXIII, 25, n. 5; XXIV, 44, n. 3, et XXV, 41, n. 8. — *Ex legionibus Cn. Fulvii* Centumali procons., ad Herdoneam victi; vide ad XXVII, 1. — *Conquisitos eos consules in Siciliam miserunt;* propr. mittendos censuerunt, vel mitti

qua cannenses militabant, quique ex prætoris Cn. Fulvii exercitu, ob similis iram fugæ, missi eo ab senatu fuerant. C. Aurunculeio eædem in Sardinia legiones, quibus P. Manlius Vulso eam provinciam obtinuerat, decretæ. P. Sulpicio, eadem legione eademque[8] classe Macedoniam obtinere jusso, prorogatum in annum imperium. Triginta quinqueremes ex Sicilia Tarentum ad Q. Fabium consulem mitti jussæ: cætera classe prædatum in Africam aut ipsum M. Valerium Lævinum trajicere[9], aut mittere, seu L. Cincium, seu M. Valerium Messallam: nec de Hispania quidquam mutatum, nisi quod non in annum Scipioni Silanoque, sed donec revocati ab senatu forent, prorogatum imperium est. Ita provinciæ exercituumque in eum annum[10] partita imperia.

VIII. Inter majorum rerum curas comitia maximi curionis[1], quum in locum M. Æmilii sacerdos crearetur, vetus excitaverunt certamen: patriciis negantibus C. Mamilii Vituli, qui unus ex plebe petebat, habendam rationem esse, quia nemo ante eum, nisi ex Patribus, id sacerdotium habuisset. Tribuni appellati ad

jusserunt; conf. cap. 8. — *Quique ex prætoris Cn. Fulvii* Flacci, ibidem victi (vide ad XXV, 21), *exercitu, ob similis iram fugæ* (v. ad I, 5, n. 5), *missi eo*, etc. Vid. XXVI, 1.

8. *P. Sulpicio*, cum *eadem legione eademque classe*, etc. sed classis tantum mentio fit infr. cap. 22 et hanc ab eo retentam, legionem vero dimissam tradit Livius, XXVI, 20. Hinc ipsum vel librarios ejus peccasse, suspicabatur Periz. Diversos forte auctores sequutus est Livius; conf. ad I, 55, n. 4, et XXI, 3, n. 2.

9. *Cætera* cum *classe* (vide ad I, 14, n. 4) *prædatum in Africam*.... *trajicere*, scilic. jussum est; Gronov. Multæ edd., non MSS, post *classe* inserunt *placere*.

10. *In eum annum*: omnes MSS et add. ante Curionem *in eum locum*, h. e. in id tempus (vide ad IX, 45, n. 1), prob. Gronov. « *In eum annum* notat usque ad finem anni, qui agi incipietur: quid autem notabit *in eum locum*, i. e. in id tempus? » Drakenb.

Cap. VIII. 1. *Comitia maximi curionis*, etc. Vide ad III, 7, n. 3. — *M. Æmilii* demortui; vid. cap. 6. — *Vetus excitaverunt agmen*; cf. ad X, 6 sq. — *Tribuni appellati* (vide ad II,

senatum rejecerunt: senatus populi potestatem[2] fecit. Ita primus ex plebe creatus maximus curio C. Mamilius Vitulus: et flaminem dialem invitum inaugurari coegit P. Licinius pontifex maximus C. Valerium Flaccum. Decemvir sacris faciundis creatus in locum Q. Mucii Scævolæ demortui C. Lætorius. Causam inaugurari coacti flaminis libens reticuissem, ni ex mala fama in bonam vertisset[3]: ob adolescentiam negligentem luxuriosamque C. Flaccus flamen captus[4] a P. Licinio pontifice maximo erat, L. Flacco fratri germano cognatisque aliis ob eadem vitia invisus. Is, ut animum ejus cura sacrorum et ceremoniarum cepit, ita repente exsuit antiquos mores, ut nemo tota juventute haberetur prior, nec probatior primoribus Patrum, suis pariter alienisque, esset. Hujus famæ consensu elatus ad justam fiduciam sui, rem intermissam per multos annos ob indignitatem flaminum priorum repetivit, ut in senatum introiret. Ingressum eum curiam quum

27, n. 2) *ad senatum* rem (quam vocem excidisse bene suspicabatur Gron.) *rejecerunt;* vide ad II, 22, n. 4.

2. *Senatus populi potestatem fecit*, scilicet rem, vel eam, Curionis max. creandi seu e Patribus seu e plebe; Gron. qui e MSS *populi* tanquam latinius pro vulg. *populo* recepit. *Potestas* et *arbitrium* nonnunquam dicitur id, quod in potestate et arbitrio alicujus positum est; conf. ad XXII, 22, n. 5, et XLIII, 15, n. 2. — Eodem modo apud Sallustium Jugurth. 78: *Græci optionem Carthaginiensium faciunt.* Ed.

3. *Ni fama* C. Valerii Flacci *ex mala* fama *in bonam vertisset* se, versa fuisset; vide ad II, 3, n. 2.

4. *C. Flaccus flamen captus* (scil. e patriciis, ut alibi de sacerdotibus, inpr. Vestalibus, pro electus, proditus) *a pontifice maximo*, qui tres nominabat patricios, ex quibus a populo in comitiis tributis legebatur unus et a Pont. Max. *inaugurabatur*. Conf. Tac. Annal. IV, 16, et Cic. Leg. agr. II, 7. — Hic disserit Creverius verbum *capi* in hac re proprium esse: dicebatur enim flamen *capi*, vestalis *capi*, id est, eligi a pontifice maximo. Vid. A. Gellium, lib. I, cap. 12. Quod autem hic L. Flaccus flamen captus memoratur a pontifice max. ob adolescentiam negligentem luxuriosamque, nimirum vel speravit pontifex id, quod evenit, fore ut animus ejus cura sacrorum et cæremoniarum occupatus vitia exueret: vel quia clarissimo genere ortus adolescens ob pravos mores nullum publicum munus

L. Licinius prætor[5] inde eduxisset, tribunos plebis appellavit flamen. Vetustum jus sacerdotii repetebat: datum id cum toga prætexta et sella curuli et flaminio esse. Prætor, non exoletis vetustate annalium exemplis stare jus, sed recentissimæ cujusque consuetudinis usu, volebat: nec patrum, nec avorum memoria dialem quemquam id jus usurpasse. Tribuni, rem inertia flaminum obliteratam ipsis, non sacerdotio, damno fuisse, quum æquum censuissent, ne ipso quidem contra tendente prætore, magno assensu patrum plebisque, flaminem in senatum introduxerunt; omnibus ita existimantibus, magis sanctitate vitæ, quam sacerdotii jure, rem eam flaminem obtinuisse. Consules prius, quam in provincias irent, duas urbanas legiones; in supplementum, quantum opus erat cæteris exercitibus militum, scripserunt[6]. Urbanum veterem exercitum Fulvius consul C. Fulvio Flacco legato (frater hic consulis erat) in Etruriam dedit ducendum, et legiones, quæ in Etruria erant, Romam deducendas. Et Fabius consul reliquias exercitus Fulviani conquisitas (fuere autem ad tria millia trecenti triginta sex) Q. Maximum filium ducere in Siciliam ad M. Valerium proconsulem jussit, atque ab eo duas legiones et triginta quinqueremes accipere. Nihil hæ eductæ ex in-

adipisci posse videretur, ideo solari cognatos ejus voluit, hoc ei impertito sacerdotio. Ed. —*Tota juventute* MSS et vett. edd. pro *in tota j.*, quod primus edidit Jac. Gron.

5. *L. Licinius prætor:* sed nemo hoc anno Licinius prætor fuit, at sequenti duo *P. Licinii* (v. ad cap. 21); ita leg. *P. Licinius;* Sigon. Enimvero hic proximo demum anno fuit prætor urbanus, et hoc *C. Hostilius,* cujus nomen forte corruperunt librarii. Mox leg. *datum id cum toga prætexta et sella curuli flaminio esse;* quod jam monuere viri docti; conf. I, 20.

6. *Duas urbanas legiones in supplementum ... scripserunt* male vulgo jungutur: nam *urbanæ legiones* non solebant distribui in supplementum aliarum, sed fere ad præsidium Urbis relinquebantur; Duk. Cf. ad XXVI, 28, n. 2. — *Reliquias exercitus Fulviani,* etc. conf. cap. 1 et 7. — *Ad tria millia,* Put. *ad quatuor millia.*

sula legiones minuerunt nec viribus nec specie ejus provinciæ præsidium : nam quum, præter egregie suppletas duas veteres legiones, transfugarum etiam Numidarum equitum peditumque magnam vim [7] haberet, Siculos quoque, qui in exercitu Epicydis aut Pœnorum fuerant, belli peritos viros, milites scripsit. Ea externa auxilia quum singulis romanis legionibus adjunxisset, duorum speciem exercituum servavit : altero L. Cincium partem insulæ, qua regnum Hieronis fuerat, tueri jussit; altero ipse cæteram insulam tuebatur, divisam quondam romani punicique imperii [8] finibus; classe quoque navium septuaginta partita, ut omni ambitu litorum præsidia oræ maritimæ essent. Ipse cum Mutinis equitatu provinciam peragrabat, ut viseret agros cultaque ab incultis notaret, et perinde dominos laudaret castigaretque [9]. Ita tantum ea cura frumenti provenit, ut et Romam mitteret, et Catanam

7. *Magnam vim haberet*, scilicet M. Valerius proc. Siciliæ, ad quem et seqq. referenda.

8. *Altero L. Cincium partem insulæ* Siciliæ, *qua regnum Hieronis fuerat, tueri jussit; altero ipse cæteram insulam tuebatur* (cf. ad XXV, 41, n. 8), *divisam quondam romani punicique imperii finibus :* «Hoc nunquam factum fuit, nec Pœni in ea ullum Romanorum imperium, nec Romani Pœnorum unquam esse voluerunt. Ante bellum punicum primum divisa erat finibus regni syracusani et imperii punici. Eo finito Romani partem illam, quæ antea imperii punici fuerat, obtinuerunt, et in formam provinciæ, quæ postea *vetus provincia* dicta est, redegerunt. Deinde anno quarto belli punici secundi post necem Hieronymi, nepotis Hieronis, Pœni quidem imperium illius invaserunt, sed brevi post a Romanis rursus tota insula ejecti sunt; de quo Lævinus supra c. 5 gloriatur. Forte leg. *regii* pro *romani*. Refero autem *quondam* ad id tempus, quod bellum punicum primum præcessit. *Fines imperii regii* sunt, quibus quondam regnum Hieronis fuerat. » Duk. Sed *pars insulæ, qua regnum Hieronis fuerat*, distinguitur h. l. a *cætera insula*, etc. adeoque sic verba *divisam quondam* saltem ad universam, non *cæteram insulam* referenda. Quum ante primum punicum bellum nihil in Sicilia possederint Romani, divisionem illam, si locum habuerit unquam, ad solum belli punici primi tempus pertinere potuisse, monet Crever. — *Classe quoque navium LXX partita* a Valerio cum Cincio.

9. *Perinde dominos l. c.*, forte *proinde ;* Gron. Mox junge *tantum frumenti provenit.*

conveheret, unde exercitui, qui ad Tarentum æstiva acturus esset, posset præberi.

IX. Cæterum transportati milites in Siciliam (et erant major pars latini nominis[1] sociorumque) prope magni motus causa fuere: adeo ex parvis sæpe magnarum momenta rerum pendent! Fremitus enim inter Latinos sociosque in conciliis ortus: *Decimum annum delectibus, stipendiis exhaustos esse. Quotannis ferme clade magna pugnare: alios in acie occidi, alios morbo absumi; magis perire sibi civem, qui ab Romano miles lectus sit, quam qui a Pœno captus: quippe ab hoste gratis remitti in patriam; ab Romanis extra Italiam in exsilium verius, quam in militiam, ablegari. Octavum jam ibi annum senescere cannensem*[2] *militem, moriturum ante, quam Italia hostis (quippe nunc quum maxime florens viribus) excedat. Si veteres milites non redeant in patriam, novi legantur, brevi neminem superfuturum. Itaque, quod propediem res ipsa negatura sit, prius quam ad ultimam solitudinem atque egestatem perveniant, negandum populo romano esse. Si consentientes in hoc socios videant Romani, profecto de pace cum Carthaginiensibus jungenda cogitaturos. Aliter numquam, vivo Hannibale, sine bello Italiam fore.* Hæc acta in conciliis. Triginta tum coloniæ populi romani erant[3]: ex iis duodecim, quum

Cap. IX. 1. *Latini nominis;* vid. ad I, 10, n. 2. — *Ex parvis magnarum momenta rerum pendent;* vide ad III, 27, n. 6. — *Exhaustos esse* se; quod forte excidit.

2. *Cannensem militem*, etc. Vide ad XXIII, 25, n. 5.

3. *Triginta tum coloniæ populi rom. erant*, quæ hoc et seq. cap. nominantur. Sed, quod Sigon. monuit, Dionysio Livioque auctoribus, jam LIII deductæ erant (e quibus initio belli punici secundi non nisi XXX superstites erant): *Medulla, Cameria, Fidenæ, Antemnæ, Crustumeria, Ostia, Signia, Circeii, Cora, Pometia, Velitræ*, a. U. 260; *Norba*, a. 262; *Antium*, a. 285 et 413; *Ardea*, a. 312; *Lavici*, a. 337; *Vitellia, Sutrium* (quam coloniam Diodorus a. 366, et Vell. I, 14, a. 372 deductam tradit); *Satricum*, a. 372 (si apud Velleium, I, 14,

omnium legationes Romæ essent [4], negaverunt consulibus esse, unde milites pecuniamque darent. Eæ fuere Ardea[5], Nepete, Sutrium, Alba, Carseoli, Cora, Suessa, Circeii, Setia, Cales, Narnia, Interamna. Nova re consules icti[6], quum absterrere eos a tam detestabili consilio vellent, castigando increpandoque plus quam leniter agendo, profecturos rati, *eos ausos esse consulibus dicere*, aiebant, *quod consules, in senatu ut pronuntiarent, in animum inducere non possent. Non enim detrectationem eam munerum militiæ, sed apertam defectionem a populo romano esse. Redirent itaque propere in colonias, et, tamquam integra re, loquuti magis, quam ausi, tantum nefas, cum suis consulerent. Admonerent, non Campanos, neque Tarentinos eos esse, sed Romanos; inde oriundos, inde in colonias atque in agrum bello captum stirpis augendæ causa missos: quæ liberi parentibus deberent, ea illos Romanis debere, si ulla pietas, si memoria*

Satricum leg. pro *Sutrium*); *Nepet*, s. *Nepete*, a. 373; *Setia*, a. 377; *Cales*, a. 421; *Anxur*, seu *Tarracina*, a. 426; *Fregellæ*, a. 427; *Sora*, a. 439, 450; *Luceria*, a. 440; *Suessa* Auruncorum, *Pontia* et *Saticula*, a. 441 (vide ad Velleium, I, 14); *Casinum*, a. 442; *Interamna*, a. 443; *Alba* Æquorum, a. 450; *Carseoli*, a. 451; *Narnia*, seu *Nequinum*, a. 453; *Minturnæ* et *Sinuessa*, a. 456; *Venusia*, a. 460 (vid. Vell. l. l.); *Castrum*, *Sena* et *Adria*, paulo post a. 462 (vid. Epit. XI, sed et Vell.); *Cosa* et *Pæstum* (aut *Posidonia;* vid. Epit. XIV et Vell.), a. 479; *Ariminum* et *Beneventum*, a. 484; *Firmum*, a. 486; *Æsernia*, a. 487; *Æsulum* et *Alsium*, a. 503; *Fregenæ*, a. 505; *Brundusium*, a. 506; *Spoletium*, a. 509; *Valentia*, a. 511; *Cremona* et *Placentia*, a. 532. (His addendum *Ferentinum;* vid. XXXIV, 42, n. 2.) Cf. Ind. Vell. I, 14; Sigon. de Jure Ital. II, 5; III, 4. Cæterum locus noster præ cæteris docet, quam dura fuerit coloniarum conditio. Cf. et XXVII, 38; XXIX, 15, 37; XXXVI, 3, et Heyn. Opusc. acad. t. III, p. 81 seq.

4. *Quum omnium legationes Romæ essent,* « vel ob eam causam a consulibus evocatæ, vel ultro Romam profectæ, ut recte Lips. de Mil. Rom. I, 7; ex Liv. XXXIV, 56. » Duk.

5. *Eæ fuere Ardea, Nepete,* etc. cf. XXIX, 16, ubi tamen *Sora* legitur pro *Cora:* unde vel ibi vel h. l. peccarunt librarii.

6. *Nova re consules icti;* vid. ad I, 16, n. 2.

antiquæ patriæ esset. Consulerent igitur de integro: nam, tum quidem quæ temere agitassent[7], *ea prodendi imperii romani, tradendæ Hannibali victoriæ esse.* Quum alternis hæc consules diu jactassent, nihil moti legati, *neque se, quod domum renuntiarent, habere*, dixerunt, *neque senatum suum, quid novi consuleret, ubi nec miles, qui legeretur, nec pecunia, quæ daretur in stipendium, esset.* Quum obstinatos eos viderent consules, rem ad senatum detulerunt; ubi tantus pavor animis omnium est injectus, ut magna pars, *actum de imperio*, diceret. *Idem alias colonias facturas; idem socios consensisse omnes*[8], *ad prodendam Hannibali urbem romanam.*

X. Consules hortari et consolari senatum, et dicere, *Alias colonias in fide atque officio pristino fore, eas quoque ipsas, quæ officio decessissent*[1], *si legati circa eas colonias mittantur, qui castigent, non qui precentur, verecundiam imperii habituras esse.* Permissum ab senatu iis quum esset, agerent [facerentque], ut e re publica ducerent, pertentatis prius aliarum coloniarum animis, citaverunt legatos, quæsiverunt-

7. *Nam, tum quidem quæ temere agitassent;* vide ad II, 32, n. 2. Pro *tum* Doer. conj. *jam.* Sed *nam jam* auribus ingratum est. Malim *nunc.* Cf. ad I, 25, n. 1. — *Ea prodendi imperii romani ... esse;* vide ad III, 24, n. 1. — *Alternis* vicibus, ita ut modo consules, modo legati loquerentur, *hæc jactassent;* vide ad II, 12, n. 7; III, 10, n. 2, et IV, 53, n. 5.

8. *Idem socios consensisse ad*, etc. Vid. ad I, 32, n. 14. Sed bene Rhen. ita distinxit h. l. *idem alias colonias facturas, idem socios*, scil. facturos: *consensisse omnes*, etc.

Cap. X. 1. *Quæ officio decessissent*, ed. Mod. et al. recep. *ab officio:* sed veteres dixerunt *decedere re aliqua* vel *de re*, et *discedere ab re;* Gron. Conf. ad III, 33; IV, 29; VIII, 25; XXXI, 10; XXXVII, 54. At *decedere a re* dici Cic. Flacc. 12; Justin. VI, 3, 8; Virg. Æn. II, 109, et *discedere de colloquio* inf. XXXII, 40 (nisi quis hoc quoque, tanquam de loco, dictum velit), monet Duker. ad XXXVI, 22 pr. — *Agerent facerentque, ut e republ. ducerent;* vide ad I, 27, n. 5. Verbum *facerentque* uncis inclusi, quia ignorant illud optimi MSS. Passim tamen cum *agere* jungitur, v. c. a Cic. Fin. III, 17, et Phil. III, 31. — *Aliarum coloniarum;* vid. ad IV, 10, n. 2.

que ab iis, *ecquid milites ex formula*[2] *paratos haberent?* Pro duodeviginti coloniis M. Sextilius Fregellanus respondit: *et milites ex formula paratos esse, et, si pluribus opus esset, plures daturos, et, quidquid aliud imperaret velletque populus romanus, enise facturos: ad id sibi neque opes deesse, animum etiam superesse.* Consules, sibi parum videri præfati pro merito eorum sua voce collaudari eos, nisi universi Patres iis in curia gratias egissent, sequi in senatum jusserunt. Senatus, quam poterat honoratissimo decreto alloquutus eos, mandat consulibus, ut ad populum quoque eos producerent, et inter multa alia præclara, quæ ipsis majoribusque suis præstitissent, recens etiam meritum eorum in rem publicam commemorarent. Ne nunc quidem post tot sæcula sileantur, fraudenturve laude sua, Signini fuere et Norbani Saticulanique et Brundisini et Fregellani et Lucerini et Venusini et Hadriani et Firmani et Ariminenses, et ab altero mari[3] Pontiani et Pæstani et Cosani, et mediterranei Beneventani et Æsernini et Spoletini et Placentini et Cremonenses. Harum coloniarum subsidio tum imperium populi romani stetit[4]; iisque gratiæ et in senatu, et ad populum actæ. Duodecim aliarum coloniarum, quæ detrectaverunt imperium, mentio-

2. *Ecquid*, num, *milites ex formula*, pacto, lege fœderis, *paratos haberent;* vide ad I, 9, n. 3, et XXII, 57, n. 11. — *Pro XVIII coloniis*, recte; vid. ad cap. 9. Neque cum Cluverio Ital. Ant. II, 2, pag. 480 leg. *undeviginti:* nam mox, ubi coloniarum nomina recensentur, *Signini fuere et Nolani et Norbani*, etc. delenda verba *et Nolani*, quæ ab omnibus MSS absunt.— *Post tot sæcula.* Paulo plus ducenti anni effluxerant ab hoc tempore ad illud quo Livius historiam suam scribebat. Quare Creverius cogitat, an hic γένεαι intelligi debeant? Ed.

3. *Ab altero mari*, infero seu Tusco, seu Tyrrheno. Illi ad, aut propius superum seu Hadriaticum colebant.

4. *Coloniarum subsidio imperium stetit;* vide ad II, 29, n. 7. — *Aliarum coloniarum;* v. supra ad IV, 10, n. 2. — *Neque illos dimitti*, scilicet legatos, nisi potius *legatos* legendum pro *illos*.

nem fieri Patres vetuerunt, neque illos dimitti, neque retineri, neque appellari a consulibus. Ea tacita castigatio maxime ex dignitate populi romani visa est. Cætera expedientibus, quæ ad bellum opus erant, consulibus, aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servabatur[5], promi placuit. Prompta ad quatuor millia pondo auri : inde quingena pondo data consulibus et M. Marcello et P. Sulpicio proconsulibus et L. Veturio prætori, qui Galliam provinciam sortitus erat; additumque Fabio consuli centum pondo auri præcipuum[6], quod in arcem tarentinam portaretur. Cætero usi sunt ad vestimenta præsenti pecunia locanda exercitui, qui in Hispania bellum secunda sua fama ducisque gerebat.

XI. Prodigia quoque, prius quam ab Urbe consules proficiscerentur, procurari placuit[1]. In Albano monte tacta de cælo erant signum Jovis arborque templo propinqua, et Ostiæ lacus, et Capuæ murus Fortunæque ædes, et Sinuessæ murus portaque : hæc de cælo tacta. Cruentam etiam fluxisse aquam[2] Albanam, quidam auctores erant : et Romæ intus cellam ædis Fortis Fortunæ[3] de capite signum, quod in corona erat, in ma-

5. *Aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servabatur;* vide ad VII, 16, n. 4. — *Quatuor millia pondo.* Marcæ nostrates 6250. *Quingena*, marcæ 781, cum duabus unciis. *Centum*, marcæ 156 cum duabus itidem unciis, secundum Crev. rationes. Ed.

6. *Additumque Fabio cos. C pondo auri præcipuum*, sc. aurum, nisi leg. *aurum pr.*, singulare, præcipue. — *Cætero*, scilicet auro (quod edd. ante Gron. addunt, non optimi MSS) *usi sunt ad vestimenta præsenti pecunia locanda exercitui;* vid. supra ad lib. I, cap. 12, n. 6, et lib. V, 23, n. 6.

Cap. XI. 1. *Prodigia quoque...procurari placuit*, etc. Vide ad I, 20, n. 11, et I, 31, n. 1. — *Tacta de cælo arbor*, etc. Vid. ad XXIV, 10, n. 7. — *Et Ostiæ lacus*, forte *lucus.*

2. *Cruent. etiam flux. aquam*, etc. Vide ad I, 31, n. 1. — *Quidam auctores erant;* vide ad II, 58, n. 1.

3. *Et Romæ intus cellam* (vide ad III, 19, n. 11) *ædis Fortis Fortunæ;* vide ad X, 46, n. 7. *Intus cellam* (in ceila, ut apud Plaut. Mil. II, 6, 55) optimi MSS pro vulg. *intra cellam*... *Signum*, puto, Fortis Fortunæ. No-

nus sponte sua prolapsum : et Priverni satis constabat bovem loquutum[4], volturiumque frequenti foro in tabernam devolasse, et Sinuessæ natum ambiguo inter marem ac feminam sexu infantem; quos androgynos[5], vulgus (ut pleraque, faciliore ad duplicanda verba græco sermone) appellat : et lacte pluisse, et cum elephanti capite puerum natum. Ea prodigia hostiis majoribus procurata, et supplicatio[6] circa omnia pulvinaria et obsecratio in unum diem indicta; et decretum, ut C. Hostilius prætor ludos Apollini, sicut his annis voti factique erant, voveret faceretque. Per eos dies et censoribus creandis Q. Fulvius consul comitia habuit : creati censores, ambo qui nondum consules fuerant, M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus. Hi censores ut agrum campanum fruendum[7] locarent, ex auctoritate Patrum latum in plebem est, plebesque

men alius dei deæve excidisse credebat Crever. — Recens Livii in gallicum sermonem versi interpres, eam in notis conjecturam edidit : « Nonne colosseum Fortunæ signum, ejusque corona quorumdam numinum, Abundantiæ scilicet, Fecunditatis, etc. simulacris distincta fuit? » Videant periti. Ed.

4. *Bovem loquutum*, etc. Vide ad I, 31, n. 1. — *Volturiumque* optimi MSS pro *vulturiumque*. — *Frequenti foro* (vide ad X, 11, n. 3) *in tabernam devolasse;* vide ad III, 27, n. 3.

5. *Androgynos*, semimares, hermaphroditos. Conf. cap. 37, et XXXI, 12; XXXIX, 22; Plin. VII, 2-4; XI, 49, seu 109; ad Tac. Ann. XII, 64, n. 3, et *Steger von den Prodigien*, p. 136 sq. — *Ut pleraque;* vid. ad X, 13, n. 12. — *Faciliore*, quam Romano, *ad duplicanda verba*, quia facilius flecti potest ad verba componenda ex pluribus, ut *androgynos* et multa alia.

6. *Ea prodigia h. m. procurata, et supplicatio... et obsecratio*, etc. Vide ad I, 20, n. 11; III, 63, n. 2, et V, 13, n. 5. — *Obsecratio* hic, judice Creverio, sumitur specialiore sensu pro ritu quodam peculiari supplicandi diis. Ed. — *Lud. Apoll.*, melius quam quod antea vulgabatur, *Apollinis*. Ed.

7. *Agrum campan. fruendum locarent;* vide ad cap. 3, n. 1. Res, Fulvio prius mandata (vid. ad cap. 3), nunc mandatur censoribus, quorum munus proprium id erat. — *Latum in plebem*, forte *ad plebem* e quibusdam MSS. — Hoc magis Creverio placeret qui dubitat an MSS, licet plurimorum, auctoritas tantum valere debeat, ut inusitata loquendi forma, *ferre in plebem*, admittatur, quum semper alias scriptum *sit*, *ferre ad plebem*, *ad populum*. Ed.

scivit. Senatus lectionem[8] contentio inter censores de principe legendo tenuit. Sempronii lectio erat[9] : cæterum Cornelius *morem traditum a patribus sequendum* aiebat; *ut, qui primus censor ex iis, qui viverent, fuisset, eum principem legerent :* is T. Manlius Torquatus erat. Sempronius, *cui dii sortem legendi dedissent, ei jus liberum eosdem dedisse deos. Se id suo arbitrio facturum, lecturumque Q. Fabium Maximum, quem tum principem romanæ civitatis esse, vel Hannibale judice, victurus esset*[10]. Quum diu certatum verbis esset, concedente collega, lectus a Sempronio princeps in senatu Q. Fabius Maximus consul: inde alius lectus senatus[11], octo præteritis, inter quos L. Cæcilius Metellus erat, infamis auctor deserendæ Italiæ post cannensem cladem. In equestribus quoque

8. *Senatus lectionem* (conf. XXIII, 23, et ad XXIII, 22, n. 1) *contentio de principe* senatus *legendo tenuit;* v. ad II, 63, n. 3. *Princeps senatus* proprie dicebatur is, quem censor senatum recensens aut recitans (ut lib. XXIX, 37 pr. h. e. nomina Patrum, in tabulis scripta, vel ex albo senatorum, recitans) honoris causa primum legebat, cujusque nomen primum perscribebat in novo albo senatorio; vid. Val. et Schweigh. ad Polyb. XXXII, 22, n. 5. Ipsum censorem lectum principem senatus, et tribus lustris Scipionem Africanum, invenimus lib. XXXIV, 44; XXXIX, 52; XL, 51. Dukeri nota est : « Lectionem senatus utriusque censoris fuisse, nemo dubitat; principis senatus unius tantum, cui id sorte obtigerat, nusquam tam aperte, ut hic, proditum est. Sed præterea probabilius argumentis ex aliis locis Livii confirmat Manut. de Sen. Rom. cap. 2. »

9. *Sempronii lectio erat*, ei lectio senatus sorte obtigerat. — *T. Manlius Torquatus*, censor a. U. 519.

10. *Vel Hannibale judice, victurus esset;* ita Put. Flor. Cant. et Hearnii duo MSS. Alii *dicturus :* sed Gud. *dicturum esse :* unde leg. *victurum esse;* Gronov. *Vincere* est evidenter ostendere, evincere; et in judicio dicitur de eo, qui aliquid ita ostendit, ut probet judicibus et obtineat. Conf. Gron. ad h. l. et Drak. ad II, 4, n. 3. — *Hannibale judice.* Sic sæpius hostis vel adversarii judicium invocatur, ut dictis major veniat auctoritas. Cf. ad Virgilium, Eclog. IV, vs. 58 sq. — *Princeps in senatu* pro *p. senatus*, ut XXXVIII, 28, n. 1; Ep. XLIII, et apud Sallust. Jugurth. 25, in quibusdam libris.

11. *Alius lectus senatus*, cæteri senatores lecti, *octo præteritis*, ex senatu ejectis, proprie nominibus eorum omissis a censore senatum recitante, seu legente. Conf. ad XXXIV, 44; XXXVIII, 28; et XL, 51, ubi v. n. 1.

notis[12] eadem servata causa; sed erant perpauci, quos ea infamia attingeret: illis omnibus (et multi erant) adempti equi[13], qui cannensium legionum equites in Sicilia erant. Addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis[14], quæ equo publico emeruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent. Magnum præterea numerum eorum conquisiverunt, qui equo merere deberent, atque ex iis, qui principio ejus belli septemdecim annos nati fuerant, neque militaverant, omnes ærarios fecerunt[15]. Locaverunt inde reficienda[16], quæ circa forum incendio consumpta erant, septem tabernas, macellum, atrium regium.

XII. Transactis omnibus, quæ Romæ agenda erant, consules ad bellum profecti. Prior Fulvius[1] prægressus Capuam: post paucos dies consequutus Fabius; qui et collegam coram obtestatus, et per literas Marcellum, ut quam acerrimo bello detinerent Hannibalem, dum ipse Tarentum oppugnaret: ea urbe adempta hosti jam undique pulso, nec ubi consisteret, nec quid

12. *In equestribus notis*, quibus notati equites (vide ad XXIV, 16, n. 5), *eadem servata causa*, nota censoria affecti, qui Italiæ deserendæ consilium ceperant. — *Ea infamia*, sc. ut præterirentur, vel potius infame consilium deserendæ Italiæ.

13. *Adempti equi;* vide ad XXIV, 18, n. 4.

14. *Ne præterita stipendia procederent iis* (vide ad V, 7, n. 5), *sed dena stipendia e. p. facerent;* vide ad III, 57, n. 5. — *Quæ...emeruerant.* Hæc est Puteani et optimorum codd. scriptura; plures alii, et edd. habent, *qui...meruerant:* quo loquendi modo, ut notat Creverius, discrimen aliquod statui videretur inter eos qui equo publico, et qui equo privato militassent, quum de iis solis sit sermo qui equum publicum habuerant, et proprio nomine *equites romani* vocitabantur. Ed.

15. *Atque ex iis* (forte leg. *atque eos*), *qui principio ejus* (forte *hujus*) *belli XVII annos nati fuerant,...omnes ærarios fecerunt;* vide ad IV, 24, n. 5, et XXV, 5, n. 4.

16. *Locaverunt inde reficienda;* vide ad V, 23, n. 6. — De *incendio circa forum* et de *atrio regio*, vid. ad XXVI, 27.

Cap. XII. 1. *Prior Fulvius prægressus;* vide sup. ad IX, 23, n. 1. — *Bello detinerent* e tribus MSS recepi pro vulg. *b. detineret.*

fidum respiceret habenti, ne remorandi quidem causam in Italia fore. Rhegium etiam nuntium mittit ad præfectum præsidii, quod ab Lævino consule adversus Bruttios ibi locatum erat, octo millia hominum[2]: pars maxima ab Agathyrna (sicut antea dictum est) ex Sicilia traducta, rapto vivere hominum assuetorum: additi erant Bruttiorum indidem perfugæ, et audacia et audendi omnia necessitatibus pares. Hanc manum ad bruttium primum agrum depopulandum duci jussit, inde ad Cauloniam urbem[3] oppugnandam. Imperata non impigre solum, sed etiam avide, exsequuti, direptis fugatisque cultoribus agri, summa vi urbem oppugnabant. Marcellus, et consulis literis excitus, et quia ita in animum induxerat, neminem ducem romanum tam parem Hannibali, quam se, esse, ubi primum in agris pabuli copia fuit, ex hibernis profectus, ad Canusium Hannibali accurrit. Sollicitabat ad defectionem Canusinos Pœnus: cæterum, ut appropinquare Marcellum audivit, castra inde movit. Aperta erat regio, sine ullis ad insidias latebris; itaque in loca saltuosa cedere inde cœpit: Marcellus vestigiis instabat, castraque castrïs conferebat, et, opere perfecto, extemplo in aciem legiones educebat. Hannibal, turmatim per equites peditumque jaculatores levia cer-

2. *Octo millia hominum: pars maxima ab Agathyrna*, etc. vid. XXVI, 40, unde *pars dimidia* suspicari possis. Præterea cum Gronovio forte leg. *octo millium (pars max. ab A., sicut antea d. est, ex S. traducta) r. v. h. a.* — *Indidem*; v. supra ad XXIII, 46, n. 5.

3. *Ad C. urbem* Bruttiorum, quæ Καυλωνία Strab. 6, p. 261; Pausan. VI, 3; Diodor. XVI, 11; Polyb. II, 39; X, 1, et Steph. Byz. dicitur, sed *Caulon* Plin. III, 10; Virg. Æn. III, 553; Ovid. Met. XV, 705, et infr. cap. 15, e conj. Gronov. (qui et h. l. *Caulonem* legendum putabat, quia in quibusdam MSS sit *Cautoneam*, et cap. 15. *Cautones* et *Cautiores* pro vulg. *Cauloniæ*) aliis antiquo græcoque nomine *Aulon*, vel *Aulonia*, Αὐλωνία Appian. Hannib. 49, qui et expugnatam dicit urbem, cujus oppugnationem solutam tradit Liv. inf. c. 15. Conf. de hac urbe inpr. Heyn.

tamina serens[4], casum universæ pugnæ non necessarium ducebat. Tractus est tamen ad id, quod vitabat, certamen : nocte prægressum assequitur locis planis ac patentibus Marcellus; castra inde ponentem, pugnando undique in munitores, operibus prohibet. Ita signa collata, pugnatumque totis copiis, et, quum jam nox instaret, marte æquo discessum est : castra, exiguo distantia spatio, raptim ante noctem permunita. Postero die luce prima Marcellus in aciem copias eduxit : nec Hannibal detrectavit certamen, multis verbis adhortatus milites, *ut, memores Trasimeni Cannarumque, contunderent ferociam hostis : urguere atque instare eum : non iter quietos facere, non castra ponere pati, non respirare aut circumspicere : quotidie simul orientem solem et romanam aciem in campis videndam esse. Si uno prælio haud incruentus abeat, quietius deinde tranquilliusque eum bellaturum.* His irritati adhortationibus simulque tædio ferociæ hostium quotidie instantium lacessentiumque acriter prælium ineunt. Pugnatum amplius duabus horis est. Cedere inde ab Romanis dextra ala et extraordinarii cœpere[5] : quod ubi Marcellus vidit, duodevicesimam legionem in primam aciem inducit. Dum alii trepidi cedunt, alii segniter subeunt, turbata tota acies est, dein prorsus fusa; et, vincente pudorem metu, terga dabant. Cecidere in pugna fugaque ad duo millia et

Opusc. Acad. tom. II, pag. 203, 204.

4. *Levia certamina serens;* vide ad II, 1, n. 6. — *Casum universæ pugnæ;* vide ad I, 38, n. 2.

5. *Cedere inde ab Romanis dextra ala et extraordinarii c.;* v. ad III, 5, n. 3; XXV, 21, n. 4, et sup. ad c. 5, n. 4. — Ex omni sociali exercitu eligebantur fortissimi et promptissimi viri, quos *extraordinarios* vocabant. Ex equitibus pars tertia, ex peditibus quinta sumebatur, ut notat Creverius e Polyb. lib. VI, quem interpretatur Lips. de Mil. Rom. II, 7. Reliqui in duas alas, dextram et sinistram, dividebantur. Erant igitur *alares* et *extraordinarii*, tum equites, tum pedites. Hic de peditibus sermo est. Ed.

septingenti civium sociorumque : in his quatuor romani centuriones, duo tribuni militum, M. Licinius et M. Helvius. Signa militaria quatuor de ala, prima quæ fugit; duo de legione, quæ cedentibus sociis successerat, amissa.

XIII. Marcellus, postquam in castra reditum est, concionem adeo sævam atque acerbam apud milites habuit, ut prælio, per diem totum infeliciter tolerato, tristior iis irati ducis oratio esset. « Diis immortalibus, « ut in tali re[1], laudes gratesque, inquit, ago, quod « victor hostis, cum tanto pavore incidentibus vobis « in vallum portasque, non ipsa castra est aggressus : « deseruissetis profecto eodem terrore castra, quo « omisistis pugnam. Qui pavor hic, qui terror, quæ « repente, qui, et cum quibus pugnaretis, oblivio ani- « mos cepit? nempe iidem sunt hi hostes, quos vin- « cendo et victos sequendo priorem æstatem absum- « psistis; quibus dies noctesque fugientibus per hos « dies institistis; quos levibus præliis fatigastis; quos « hesterno die nec iter facere, nec castra ponere passi « estis. Omitto ea, quibus gloriari potestis : cujus et « ipsius pudere ac pœnitere vos oportet, referam : « nempe, æquis manibus[2] hesterno die diremistis pu- « gnam. Quid hæc nox, quid hic dies attulit? vestræ « his copiæ imminutæ sunt, an illorum auctæ? Non « equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, « nec cum romanis militibus : corpora tantum atque « arma eadem sunt. An, si eosdem animos habuissetis, « terga vestra vidisset hostis? signa alicui[3] manipulo

Cap. XIII. 1. *Ut in tali re*, ut fas est in tali periculo, clade et fuga. Cf. ad VIII, 30, n. 7.

2. *Æq. manibus*, æquo marte, non victoria, quod Romanos decuisset.

3. *Signa alicui manipulo* legionum *aut cohorti* sociorum; ut paulo post *cohortibus*, quæ signa amiserant, et centuriones manipulorum; Duk. Conf. Schel. ad Polyb. Diss. 15, et, qui in

« aut cohorti abstulisset? Adhuc cæsis romanis legio-« nibus gloriabatur. Vos illi hodierno die primum fu-« gati exercitus dedistis decus. » Clamor inde ortus, ut veniam ejus diei daret; ubi vellet, deinde experiretur militum suorum animos. « Ego vero experiar, « inquit, milites, et vos crastino die in aciem educam, « ut victores potius, quam victi, veniam impetretis, « quam petitis. » Cohortibus, quæ signa[4] amiserant, hordeum dari jussit, centurionesque manipulorum, quorum signa amissa fuerant, destrictis[5] gladiis discinctos, destituit; et, ut postero die omnes, equites, pedites, armati adessent, edixit. Ita concio dimissa fatentium, jure ac merito sese increpitos; neque illo die virum quemquam in acie romana fuisse, præter unum ducem; cui aut morte satis faciendum, aut egregia victoria esset. Postero die ornati armatique[6] ad edictum aderant. Imperator eos collaudat, pronuntiatque, *a quibus orta pridie fuga esset, cohortesque, quæ signa amisissent, se in primam aciem inducturum. Edicere jam sese, omnibus pugnandum ac vincendum esse; et annitendum singulis universisque, ne prius hesternæ fugæ, quam hodiernæ victoriæ, fama Romam perveniat.* Inde cibo corpora firmare jussi, ut,

his hæret, Lips. de Mil. Rom. IV, 5.

4. *Cohortibus, quæ signa amiser.*, non triticum, sed *hordeum dari jussit*, non communem militum hominumque cibum, sed jumentorum. Cf. Polyb. VI, 38; Suet. Aug. 24; Dio, 49, et Lips. Mil. Rom. V, 18.

5. *Centuriones manipulorum... destrictis* (vide ad VIII, 7, n. 6) *gladiis* evaginatis, nudatis, ut major esset labor in tenendo; Gron.—*Discinctos*, ἀζώστους, λυσιζώνους, sine cingulo: quemadmodum etiam sagula, aut ea-ligas aliasve militaris habitus partes militibus ignominiæ causa ademptas legimus. Conf. ad Herodian. II, 13; Val. Max. II, 7, 9; Casaub. ad Suet. Aug. 24 extr. et Lips. l. l. *Discincti* autem erant dicebanturque homines molles et ignavi homines; vide ad Sil. II, 56, et VII, 153. — *Destituit;* vide ad II, 12, n. 4. *Destitui jussit* plerique MSS, prob. Gronov. modo male repetitum *jussit* deleatur.

6. *Ornati armatique;* vide ad IX, 40, n. 12.

si longior pugna esset, viribus sufficerent[7]. Ubi omnia dicta factaque sunt, quibus excitarentur animi militum, in aciem procedunt.

XIV. Quod ubi Hannibali nuntiatum est: « Cum eo « nimirum, inquit, hoste res est, qui nec bonam, nec « malam ferre fortunam potest. Seu vicit, ferociter in- « stat victis[1]: seu victus est, instaurat cum victoribus « certamen. » Signa inde canere jussit, copias educit. Pugnatum utrimque aliquanto, quam pridie, acrius est; Pœnis ad obtinendum hesternum decus annitentibus, Romanis ad demendam ignominiam. Sinistra ala ab Romanis[2] et cohortes, quæ amiserant signa, in prima acie pugnabant, et legio vicesima ab dextro cornu instructa. L. Cornelius Lentulus et C. Claudius Nero legati cornibus præerant, Marcellus mediam aciem, hortator testisque præsens, firmabat[3]: ab Hannibale Hispani primam obtinebant frontem, et id roboris in

7. *Viribus sufficerent*, scil. longiori pugnæ; vide ad X, 18, n. 9.

Cap. XIV. 1. *Cum eo hoste res est, qui nec bonam, nec malam ferre fortunam potest. Seu vicit, ferociter instat victis*, etc. Cf. XXII, 37, n. 1; XXVI, 42; Sil. III, 384 sq. IX, 346 sq. Horat. Od. II, 3, 1 sq. III, 27, 74; inpr. IV, 4, 58-68; et ad hh. ll. Mitscherl. Expressit hæc Plut. Marc. p. 313. — *Ad demendam ignominiam*, ut II, 6; VIII, 23; XLI, 3.

2. *Sinistra ala ab Romanis* (vid. ad cap. 5, n. 4) *et cohortes.....et legio vicesima*, ignominia notatæ, *in prima acie pugnabant* jussu Marcelli; vid. cap. 13. Sed cap. 12, *dextra ala* et *legio duodevicesima* pridie dicuntur cessisse: quare alteruter locus corruptus. *Sinistro* et *duodevicesima* non male emend. Drak. Certe mox dicit Livius *cornibus præerant*. Vulgata lectio non bene defenditur a Perizonio, Animadv. hist. cap. 8, p. 340, neque ab iis, qui existimant, eamdem alam, cap. 12, *dextram* et h. l. *sinistram* vocari, quod pridie in dextro, et nunc in sinistro cornu pugnaverit; vide ad XXV, 21, n. 4; XXVII, 7, n. 8, et Duker. ad h. l. ubi et hæc notavit: « Schel. Diss. XII ad Polybium, si recte sententiam ejus capio, putat, idem in acie fuisse, quod in agmine, cujus ordo in dies mutabatur, et ideo nunc *sinistram* alam in prima acie fuisse, quod ibi pridie *dextra* fuerat. Sed hoc quoque repugnat disertis verbis Livii, postridie in prima acie fuisse alam, quæ pridie in eadem fuerat. » Hujus loci difficultatem vidit, sed non aggressus est Creverius. Ed.

3. *Marcellus mediam aciem, hortator testisque præsens, firmabat*, hortatione et præsentia sua validiorem

omni exercitu erat. Quum anceps diu pugna esset, Hannibal elephantos in primam aciem induci jussit, si quem injicere ea res tumultum ac pavorem posset. Et primo turbarunt signa ordinesque, et partim oc-culcatis, partim dissipatis terrore, qui circa erant, nudaverant una parte aciem : latiusque fuga manasset, ni C. Decimius Flavus tribunus militum, signo arrepto primi hastati[4], manipulum ejus signi se sequi jussisset. Duxit, ubi maxime tumultum conglobatæ belluæ faciebant, pilaque in eas conjici jussit. Hæsere omnia tela haud difficili ex propinquo in tanta corpora ictu et tam conferta turba[5] : sed ut non omnes vulnerati sunt, ita, in quorum tergis infixa stetere pila (ut est genus anceps), in fugam versi etiam integros avertere. Tum jam non unus manipulus, sed pro se quisque miles, qui modo assequi agmen fugientium elephantorum poterat, pila conjicere. Eo magis ruere in suos belluæ ; tantoque majorem stragem edere, quam inter hostes ediderant, quanto acrius pavor consternatam agit, quam insidentis magistri imperio regitur. In perturbatam transcursu belluarum aciem signa inferunt romani pedites, et haud magno certamine dissipatos trepidantesque avertunt. Tum in fugientes equitatum immittit Marcellus, nec ante finis sequendi[6] est factus, quam in castra paventes compulsi sunt : nam

animosioremque reddidit. Confer ad II, 31, n. 1, et XXI, 43, n. 12.

4. *Signo arrepto primi hastati;* vid. ad II, 27, n. 7.

5. *Et tam conferta turba.* Creverius ad hunc locum putat Livium scripsisse, ut in Put. legitur, *et tum conferta turba.* Ipsa elephantorum corpora ob molem patent ictibus : sed tum eo magis quod conferta erat turba. Ed. — *Ut est genus anceps* elephantorum, qui tam in suos, quam in hostes ruunt ; Sigon. Nisi potius est ancipitis et dubiæ utilitatis ; Doer. Cf. ad I, 25, n. 4. — *Quanto acrius*, fortius, *pavor consternatam* quamvis belluam *agit*, ea pavore movetur et perturbatur, *quam magistri imperio regitur :* ita optimi MSS prob. Gron. Alii et edd. vett. *consternatas* et *reguntur*.

6. *Finis sequendi*, persequendi.

super alia, quæ terrorem trepidationemque facerent, elephanti quoque duo in ipsa porta corruerant, coactique erant milites per fossam vallumque ruere in castra. Ibi maxima hostium cædes facta : cæsa ad octo millia hominum, quinque elephanti. Nec Romanis incruenta victoria fuit : mille ferme et septingenti[7] de duabus legionibus, et sociorum supra mille et trecentos occisi; vulnerati permulti civium sociorumque. Hannibal nocte proxima castra movit : cupientem insequi Marcellum prohibuit multitudo sauciorum.

XV. Speculatores, qui prosequerentur agmen, missi, postero die retulerunt, Bruttios Hannibalem petere. Iisdem fere diebus[1] et ad Q. Fulvium consulem Hirpini et Lucani et Volcentes, traditis præsidiis Hannibalis, quæ in urbibus habebant, dediderunt sese, clementerque a consule, cum verborum tantum castigatione ob errorem præteritum, accepti. Et Bruttiis similis spes veniæ facta est, quum ab iis Vibius et Pactius fratres, longe nobilissimi gentis ejus, eamdem, quæ data Lucanis erat, conditionem deditionis petentes venissent. Q. Fabius consul oppidum in Sallentinis Manduriam vi cepit; ibi ad quatuor millia hominum capta et cæteræ prædæ aliquantum : inde Tarentum profectus, in ipsis faucibus portus posuit castra. Naves, quas Livius tutandis commeatibus habuerat, partim machinationibus onerat[2] apparatuque mœnium oppugnandorum, partim tormentis et saxis omnique missilium telorum genere instruit, onerarias quoque, non eas solum, quæ remis agerentur; ut alii machi-

7. *Mille ferme et septingenti*, Ρωμαίων τρισχίλιοι Plutarch. Marcell. p. 313, non aliter annumeratis sociis.

Cap. XV. 1. *Iisdem fere diebus*, quidam MSS *ferme*, prob. Doer. — *Ad Q. Fulvium.....dediderunt sese*; vide ad II, 13, n. 4.

2. *Partim machinationibus onerat*; v. ad XXIV, 34, n. 4. — *Onerarias quoque*, quæ velis et remis, *non eas*

nas scalasque ad muros ferrent, alii procul ex navibus vulnerarent mœnium propugnatores. Eæ naves, ab aperto mari ut urbem aggrederentur, instructæ paratæque sunt. Et erat liberum mare, classe punica, quum Philippus oppugnare Ætolos pararet, Corcyram transmissa. In Bruttiis interim Caulonis[3] oppugnatores, sub adventum Hannibalis, ne opprimerentur, in tumulum, a præsenti impetu tutum, se recepere. Fabium, Tarentum obsidentem, leve dictu[4] momentum ad rem ingentem potiundam adjuvit: præsidium Bruttiorum datum ab Hannibale Tarentini habebant. Ejus præsidii præfectus[5] deperibat amore mulierculæ, cujus frater in exercitu Fabii consulis erat. Is, certior literis sororis factus de nova consuetudine advenæ, locupletis, atque inter populares tam honorati, spem nactus per sororem quolibet impelli amantem posse, quid speraret, ad consulem detulit. Quæ quum haud vana cogitatio visa esset, pro perfuga jussus Tarentum transire[6], ac per sororem præfecto conciliatus, primo occulte animum ejus tentando, dein, satis explorata levitate, blanditiis muliebribus perpulit eum ad proditionem custodiæ loci, cui præpositus erat. Ubi et ratio agendæ rei, et tempus convenit, miles, nocte per intervalla stationum[7] clam ex urbe emissus, ea,

solum, quæ remis agerentur; cf. ad XXV, 30, n. 6. Ex h. loco Salmas. Obss. ad Jus Att. p. 653 et alii collegerunt, onerarias remis haud fuisse usas. Sed vid. Scheffer. de Mil. nav. IV, 1, et in Addend. p. 340; Magii Misc. I, 6.

3. *Caulonis oppugnatores;* cf. ad cap. 12, n. 3.

4. *Leve dictu momentum;* vide ad II, 7, n. 11.

5. *Ejus præsidii præfectus,* etc. quæ res diverse narratur ab aliis; vid. Plutarch. Fab. p. 186, et ad Sil. XV, 320 sqq. Vox *præsidii* e glossa irrepsisse videtur. Sed forte legendum est *habebant. Heraclides præfectus deperibat,* etc. conf. Polyb. lib. XIII, 4, qui Tarentum ab Heraclide Romanis proditum docet.

6. *Pro perfuga jussus Tar. transire;* vide ad II, 7, n. 4.

7. *Per intervalla stationum,* per loca, quibus stationes non erant. —

quæ acta erant, quæque ut agerentur, convenerat, ad consulem refert. Fabius vigilia prima, dato signo iis, qui in arce erant, quique custodiam portus habebant, ipse circuito portu ab regione urbis in orientem versa occultus consedit. Canere inde tubæ simul ab arce, simul a portu et ab navibus, quæ ab aperto mari appulsæ erant; clamorque undique cum ingenti tumultu, unde minimum periculi erat, de industria ortus. Consul interim silentio continebat suos : igitur Democrates, qui præfectus antea classis fuerat, forte illo loco præpositus[8], postquam quieta omnia circa se vidit, alias partes eo tumultu personare, ut captæ urbis interdum excitaretur clamor, veritus ne inter cunctationem suam consul aliquam vim faceret, signaque inferret, præsidium ad arcem, unde maxime terribilis accidebat sonus, traducit. Fabius, quum et ex temporis spatio et ex silentio ipso (quod, ubi paulo ante strepebant excitantes vocantesque ad arma, inde nulla accidebat vox) deductas custodias sensisset, ferri scalas ad eam partem muri, qua Bruttiorum cohortem præsidium agitare proditionis conciliator nuntiaverat, jubet. Ea primum est captus murus, adjuvantibus recipientibusque Bruttiis, et transcensum in urbem est : inde et proxima refracta porta, ut frequenti agmine signa inferrentur. Tum, clamore sublato, sub ortum ferme lucis, nullo obvio armato, in forum perveniunt; omnesque undique, qui ad arcem portumque pugnabant, in se converterunt.

XVI. Prælium in aditu fori majore impetu, quam perseverantia, commissum est. Non animo, non ar-

Convenerat; al. *convenerant.* Vide ad I, 3, n. 4.

8. *Forte illo loco præpositus*, scil. præsidio vel propugnatoribus, qui erant illo loco; Gron. Imperium obtinens in illa urbis parte; vid. Drak. *Illi* dedit Rhen., quæ lectio in nonnullis exstat codd. sed minus bene. Ed.

mis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis, par Romano Tarentinus erat. Igitur, pilis tantum conjectis, prius pæne, quam consererent manus, terga dederunt, dilapsique per nota urbis itinera in suas amicorumque domos : duo ex ducibus Nico et Democrates fortiter pugnantes cecidere. Philemenus, qui proditionis ad Hannibalem auctor fuerat, quum citato equo ex prælio avectus esset, vagus paulo post equus errans [1] per urbem cognitus; corpus nusquam inventum est : creditum vulgo est, in puteum apertum ex equo præcipitasse. Carthalonem autem, præfectum præsidii punici, cum commemoratione paterni hospitii, positis armis, venientem ad consulem, miles obvius obtruncat. Alii alios passim sine discrimine armatos, inermes, cædunt, Carthaginienses Tarentinosque pariter. Bruttii quoque multi interfecti, seu per errorem, seu vetere in eos insito odio, seu ad proditionis famam (ut vi potius atque armis captum Tarentum videretur) exstinguendam : tum ab cæde ad diripiendam urbem discursum. Millia triginta servilium capitum dicuntur capti [2]; argenti vis ingens facti signatique, auri octoginta tria millia pondo; signa tabulæque, prope ut quæ moretur difficultas : miles obvius obtruncat Carthalonem; *alii* milites *alios* hostium sine discrimine cædunt. Ed.

Cap. XVI. 1. *Vagus paulo post equus errans*, etc., al. *erransque :* sed frequens est asyndeton et omissio copulæ; vid. Gron. — *Præcipitasse*, sc. se, quod quidam adjicere, sed Livius omittere solet, v. c. II, 51; V, 18; VI, 30; XXV, 11, 27, 40. Conf. ad II, 3, n. 2. — *Alii alios passim... cædunt.* Clariss. Creverius vocem *alii* delendam existimat, utpote additam ab aliquo ne verbum *cædunt* careret suo nomine, quum tamen optime suppleri posset ex sensu *romani milites.* Sed vocem *alii* tuentur omnes libri, quos adhibuit cl. Drak. nec ipse videt,

2. *Millia triginta s. capitum dicuntur capti* pro *capta*, collective et respectu sensus aut generis nobilioris, ut X, 46; XXXIV, 56 pr. XXXVII, 39, 40; XL, 41; XLIV, 42. Sic et *servitia armati* IV, 45, n. 1. *Capita conjurationis cæsi* X, 1, n. 3. *Quatuor millia scutati* XXVIII, 2, n. 2. Cf. ad I, 41, n. 1. — *Tria millia*, al. *septem mill.* — *Signa t.* etc. cf. Heyn. Opusc. Acad. tom. II, p. 229 sq.

Syracusarum ornamenta æquaverint. Sed majore animo generis ejus præda abstinuit Fabius, quam Marcellus; qui interroganti scribæ[3], quid fieri signis vellet, (ingentis magnitudinis dii sunt, suo quisque habitu in modum pugnantium formati) *deos iratos Tarentinis relinqui* jussit. Murus inde, qui urbem ab arce dirimebat, dirutus est ac disjectus. Dum hæc Tarenti aguntur, Hannibal iis, qui Cauloniam obsidebant, in deditionem acceptis, audita oppugnatione Tarenti, dies noctesque cursim agmine acto, quum, festinans ad opem ferendam, captam urbem audisset; « Et Ro- « mani, inquit, suum Hannibalem habent: eadem, « qua ceperamus, arte Tarentum amisimus. » Ne tamen fugientis modo convertisse agmen videretur, quo constituerat loco[4], quinque millia ferme ab urbe posuit castra: ibi paucos moratus dies, Metapontum sese recepit. Inde duos Metapontinos cum literis principum ejus civitatis ad Fabium Tarentum mittit, fidem ab consule accepturos, impunita iis priora fore, si

3. *Interroganti scribæ.....jussit*, immo *interrogante scriba;* Drak. vid. ad XLII, 28, n. 1. — *Quid fieri* (de) *signis vellet*, ut *quidnam se futurum esset* XXXIII, 27 extr. et similia inpr. apud Plaut. et Terent. Veteres dixisse et *quid me fiet* et *quid mihi*, vel *quid faciatis hoc homine* et *huic homini*, docet Drak. ad h. l. et II, 31, n. 8; XXXIV, 32, n. 8; inpr. XLV, 39, n. 4, et Manut. ad Cic. Verr. I, 16. De re ipsa conf. Plut. Fab. p. 187. *Quid fieri signis vellet ingentis magnitudinis. Dii sunt*, etc. distinguebat Roellius. Aliquid hic depravatum vel omissum esse, suspicabantur Crev. et Drak. — Non enim verisimile est omnia tarentina signa ingentis magnitudinis fuisse, et nullum deorum, nisi in pugnantis speciem formatum exhibuisse. Creverio videtur rem elegantius narrasse Plutarchus. Interrogat scilicet scriba, non quid de *signis*, sed quid de *diis* fieri vellet Fabius. Hic vero jubet *deos* iratos Tarentinis relinqui. Cæterum haud facile quis hunc locum corrigat suppleatve. Ed. — *Dii* (deorum signa) *sunt*, non *erant*, quia exstitisse adhuc Livii ætate videntur; Doer.

4. *Quo constituerat loco*, subsistere statuerat, vel sustinuerat a procedendo, stare ac morari, vel modicam quietem capere jusserat, scil. agmen, dum properaret ad liberandum obsidione Tarentum; Gron. Conf. III, 27, n. 6; XXXVIII, 25, n. 5, et Drak. h. l. *Constiterat* al. non improb. Crev.

Metapontum ei cum præsidio punico prodidissent. Fabius, vera, quæ afferrent, esse ratus, diem, qua accessurus esset Metapontum, constituit; literasque ad principes dedit, quæ ad Hannibalem delatæ sunt. Enimvero lætus successu fraudis, si ne Fabius quidem dolo invictus fuisset, haud procul Metaponto insidias ponit. Fabio auspicanti prius, quam egrederetur ab Tarento, aves semel atque iterum non [5] addixerunt. Hostia quoque cæsa consulenti deos haruspex, cavendum a fraude hostili et ab insidiis prædixit. Metapontini, postquam ad constitutam non venerat diem, remissi, ut cunctantem hortarentur, repente comprehensi, metu gravioris quæstionis, detegunt insidias.

XVII. Æstatis ejus principio [1], qua hæc agebantur, P. Scipio in Hispania quum hiemem totam reconciliandis barbarorum animis, partim donis, partim remissione obsidum captivorumque, absumpsisset; Edesco ad eum, clarus inter duces hispanos, venit. Erant conjux liberique ejus apud Romanos : sed præter eam causam etiam velut fortuita inclinatio animorum, quæ Hispaniam omnem averterat ad romanum a punico imperio, traxit eum. Eadem causa Indibili Mandonioque fuit, haud dubie omnis Hispaniæ principibus, cum omni popularium manu, relicto Hasdrubale, secedendi in imminentes castris ejus tumulos, unde per continentia juga [2] tutus receptus ad Romanos esset. Hasdrubal, quum hostium res tantis augescere incrementis cerneret, suas imminui, ac fore, ut, nisi auden-

5. *Aves non addixerunt Fabio;* vid. ad I, 36, n. 3. — Seneca de Brevit. vitæ, cap. 16, *aves non addixissent.* Sic etiam dicitur *admittere.* Ed.

Cap. XVII. 1. *Æstatis ejus principio*, etc. conf. Polyb. X, 34-37, qui has res ad annum insequentem refert, et *Edesconem*, τὸν Ἐδεταγῶν δυνάστην, constanter Ἐδεκῶνα appellat. — *Fortuita inclinatio animorum*, etc. Livius non recte cepisse videtur verba Polyb. X, 34, 2.

2. *Per continentia juga;* vide supra ad IV, 22, n. 4.

do aliquid moveret, qua cœpissent, fluerent[3], dimicare quam primum statuit. Scipio avidior etiam certaminis erat, quum a spe, quam successus rerum augebat, tum quod prius, quam jungerentur hostium exercitus, cum uno dimicare duce exercituque, quam simul cum universis, malebat. Cæterum etiam, si cum pluribus pariter dimicandum foret, arte quadam copias auxerat : nam quum videret, nullum esse navium usum, quia vacua omnis Hispaniæ ora classibus punicis erat, subductis navibus[4] Tarracone, navales socios terrestribus copiis addidit. Et armorum affatim erat captorum Carthagine, et quæ post captam eam fecerat[5], tanto opificum numero incluso. Cum iis copiis Scipio veris principio ab Tarracone egressus, (jam enim et Lælius redierat ab Roma, sine quo nihil majoris rei motum volebat) ducere ad hostem[6] pergit. Per omnia pacata eunti, ut cujusque populi fines transiret, prosequentibus excipientibusque sociis, Indibilis et Mandonius cum suis copiis occurrerunt. Indibilis pro utroque loquutus, haudquaquam ut barbarus stolide incauteque, sed potius cum verecunda gravitate, propiorque excusanti transitionem ut necessariam, quam glorianti eam velut primam occasionem raptam. *Scire enim se, transfugæ nomen*[7] *exsecrabile veteribus sociis, novis suspectum esse : neque eum se reprehendere morem hominum, si tamen anceps odium*

3. *Qua* ratione (nisi leg. *quo*) *cœpissent, fluerent* res; v. ad VII, 29, n. 3. — *Quum a spe;* vide supra ad I, 1, n. 5.

4. *Subductis navibus;* vid. ad VIII, 26, n. 1. — *Navales socios terrestribus copiis addidit;* vide supra ad IX, 38, n. 1.

5. *Quæ post captam eam fecerat,* facienda curaverat, *tanto opificum numero incluso,* propterea, in officinis armamentariis ac navalibus; vide ad XXVI, 51.

6. *Ducere ad hostem pergit,* ut lib. XXXII, 6 pr. Conf. ad I, 23, n. 4.

7. *Scire enim se, transfugæ nomen,* etc. quasi ab Thucyd. III, 9, sumpsisset; Gron. — *Anceps odium* transfugarum, contractum tam apud eos, ad quos accedunt, quam apud illos, quos

causa, non nomen, faciat. Merita inde sua in duces carthaginienses commemoravit, avaritiam contra eorum superbiamque et omnis generis injurias in se atque populares. *Itaque corpus duntaxat*[8] *suum ad id tempus apud eos fuisse; animum jam pridem ibi esse, ubi jus ac fas crederent coli. Ad deos quoque confugere supplices, qui nequeant hominum vim atque injurias pati. Se id Scipionem orare, ut transitio sibi nec fraudi apud eum, nec honori sit. Quales ex hac die experiundo cognorit, perinde operæ eorum pretium faceret.* Ita prorsus respondet facturum Romanus[9]; nec pro transfugis habiturum, qui non duxerint societatem ratam, ubi nec divini quidquam, nec humani sanctum esset. Productæ deinde in conspectum iis conjuges liberique lacrymantibus gaudio redduntur, atque eo die in hospitium abducti: postero die fœdere accepta fides, dimissique ad copias adducendas. Iisdem deinde castris tendebant, donec ducibus iis ad hostem perventum est.

XVIII. Proximus Carthaginiensium exercitus Hasdrubalis prope urbem Bæculam[1] erat: pro castris equitum stationes habebat. In eas velites antesignanique, et qui primi agminis erant, advenientes ex itinere, prius quam castris locum caperent, adeo con-

deseruerunt; Drakenb. Conf. ad I, 25, n. 4. — *Merita inde sua...avaritiam...eorum.* His dat lucem Polyb. lib. IX, in Excerpt. de Virtute et Vitiis. Ed.

8. *Itaque corpus duntaxat*, etc. cf. ad XXXIX, 47, n. 4.

9. *Respondet facturum Romanus;* vide ad XXXII, 11, n. 4.

Cap. XVIII. 1. *Exercitus Hasdrubalis prope urbem Bæculam*, in multis MSS et edd. *Betulam*. Conf. Polyb. X, 38; XI, 20, et Appian. Hispan. 23, 24. (Ad quæ loca vid. Schweigh.) Ille Βαικύλαν vel Βαίκυλα, hic Βαιτύχην appellat urbem, quam prope Castulonem ponunt, sed Steph. Byz. haud longe ab Herculeo freto. Prælium ab Hasdrubale Gisgonis, non Hamilcaris, filio et ad Carmonam commissum tradit Appianus (quum duos duces diversasque clades confudisse jam monuit Schweigh. ad Polyb. X, 38), prope *Bæculam* Livius, et longius a

temptim impetum fecerunt, ut facile appareret, quid utrique parti animorum esset. In castra trepida fuga compulsi equites sunt, signaque romana portis prope ipsis illata : atque illo quidem die, irritatis tantum ad certamen animis, castra Romani posuerunt. Nocte Hasdrubal in tumulum copias recipit, plano campo in summo patentem [2] : fluvius ab tergo ; ante circaque velut ripa præceps oram ejus omnem cingebat : suberat et altera inferior submissa fastigio planities : eam quoque altera crepido haud facilior in ascensum ambibat. In hunc inferiorem campum postero die Hasdrubal, postquam stantem pro castris hostium aciem vidit, equites numidas leviumque armorum [3] Baliares et Afros demisit. Scipio, circumvectus ordines signaque, ostendebat, *hostem, prædamnata spe æquo dimicandi campo, captantem tumulos, loci fiducia, non virtutis armorumque, stare in conspectu. Sed altiora mœnia habuisse Carthaginem, quæ transcendisset miles romanus : nec tumulos, nec arcem, ne mare quidem armis obstitisse suis. Ad id fore altitudines, quas cepissent hostes, ut per præcipitia et prærupta salientes fugerent : eam quoque se illis fugam clausurum* [4]. Cohortesque duas, alteram tenere fauces vallis, per quam deferretur amnis, jubet ; alteram, viam insidere, quæ ab urbe per tumuli obliqua in

Bæcula Polybius. —*Velites antesignanique et qui primi agminis erant ;* vide ad II, 20, n. 3.

2. *In tumul., pl. campo in s. pat.*, ἐπίπεδον τόπον, ὀφρὺν προβεβλημένον, Polyb. X, 38, n. 8. — *Fluvius ab tergo, ante circaque*, etc. Vide supra ad XXVI, 42, n. 6. — *Suberat*, vicina, prope erat (conf. ad Tac. Ann. III, 6, n. 9), *et altera submissa fastigio planities* (quod not. 5, *infimum supercilium* dicitur), ut apud Curt. VI, 6 med. Cf. ad I, 38, n. 6, et XXV, 36, n. 4. — *Altera crepido*, ripa præceps fluvii.

3. *Leviumque armorum Baliares ;* vide ad XXII, 37, n. 2. — *Prædamnata spe* feliciter in *æquo dimicandi campo*, jam ante, quam hujus rei periculum fieret, abjecta ; Doer.

4. *Se illis fugam clausurum ;* vide ad V, 28, n. 4.

agros ferret. Ipse expeditos, qui pridie stationes hostium pepulerant, ad levem armaturam [5], infimo stantem supercilio, ducit. Per aspreta primo, nihil aliud quam via impediti [6], iere : deinde, ut sub ictum venerunt, telorum primo omnis generis vis ingens effusa est in eos : ipsi contra, saxa, quæ locus strata passim, omnia ferme missilia, præbet, ingerere, non milites solum, sed etiam turba calonum immixta armatis. Cæterum, quamquam ascensus difficilis erat, et prope obruebantur telis saxisque, assuetudine tamen succedendi muros et pertinacia animi subierunt primi. Qui, simul cepere aliquid æqui loci, ubi firmo consisterent gradu, levem et concursatorem [7] hostem atque intervallo tutum, quum procul missilibus pugna eluditur, instabilem eumdem ad cominus conserendas manus, expulerunt loco, et cum cæde magna in aciem altiori superstantem tumulo impegere. Inde Scipio, jussis adversus mediam evadere aciem victoribus, cæteras copias cum Lælio dividit, atque eum parte dextra tumuli circumire, donec mollioris ascensus viam inveniret, jubet : ipse ab læva, circuitu haud magno, in transversos hostes incurrit. Inde primo turbata acies est, dum ad circumsonantem undique clamorem flectere cornua et obvertere ordines volunt. Hoc tumultu et Lælius subiit, et, dum pedem referunt, ne ab tergo vulnerarentur, laxata prima [8] acies,

5. *Ad levem armaturam* hostium, *infimo stantem supercilio*, tumulo, aut potius fastigio, clivo tumuli, ut lib. XXXIV, 29, n. 6; nam *supercilium*, ut ὀφρὺς, superior montis collisve pars est, et Livius expressit ὀφρὺν Polyb. X, 38, 39. Conf. supra not. 2; ad XXXVII, 31, n. 5; Heyn. ad Hom. Iliad. XX, 151, et ad Virg. Georg. I, 108.

6. *Nihil aliud quam via impediti*, vid. ad II, 8, n. 9.

7. *Levem et concursatorem hostem*, cui opponitur statarius, qui in ordinibus stat certo loco; Ern. Cf. XXXI, 35 extr. et ad XXI, 35, n. 1, ubi *concursare* simul est incursare, lacessere. — *Pugna eluditur;* vid. ad Tac. Ann. II, 52, n. 8; III, 74, n. 2.

8. *Laxata prima acies*, ut *dilatata*

locusque ad evadendum et mediis datus est; qui per tam iniquum locum, stantibus integris ordinibus, elephantisque ante signa locatis, nunquam evasissent. Quum ab omni parte cædes fieret, Scipio, qui lævo cornu in dextrum incucurrerat, maxime in nuda hostium latera pugnabat. Et jam ne fugæ quidem patebat locus : nam et stationes utrimque romanæ dextra lævaque insederant vias, et portam castrorum ducis principumque fuga clauserat; addita trepidatione elephantorum, quos territos æque atque hostes timebant: cæsa igitur ad octo millia hominum.

XIX. Hasdrubal, jam ante quam dimicaret pecunia rapta, elephantisque præmissis[1], quam plurimos poterat de fuga excipiens, præter Tagum flumen ad Pyrenæum tendit. Scipio, castris hostium potitus, quum præter libera capita omnem prædam militibus concessisset, in recensendis captivis decem millia peditum, duo millia equitum invenit. Ex iis Hispanos sine pretio omnes domum dimisit : Afros vendere quæstorem jussit. Circumfusa inde multitudo Hispanorum, et ante deditorum, et pridie captorum, REGEM eum ingenti consensu appellavit. Tum Scipio, silentio per præconem facto, *sibi maximum nomen imperatoris*

XXXI, 21, et contr. *densata*. At *patefacere ordines* et *aciem* XXVIII, 14, et 22 extr. pro dirimere intervallis. — Laxata est prima acies Pœnorum, locusque ad subeundum in altiorem tumulum mediæ quoque Romanorum aciei datus est : quæ nunquam subiisset, si stetissent integri hostium ordines, elephantique ante signa locati mansissent. Mox *cædes fieret*, quod plurimi tuentur : nec erat causa cur recentt. editoribus magis placeret *fierent;* ea notante Crev. ED.

CAP. XIX. 1. *Hasdrubal jam ante quam*. Creverius intelligit pecuniam ab Hasdrubale raptam antequam dimicaret, elephantos vero præmissos postquam fugæ initium fieri vidit. Non enim elephantos dimisit ante pugnam, ut patet ex iis quæ modo a Livio narrata sunt. ED. — *Pridie captorum*. Ergo dies unus intercesserat, quod testatur Polyb. ED. — *Regem eum...appellavit*, etc. conf. ad Polyb. X, 38, 40, qui etiam tradit, idem jam antea fecisse Edesconem et Indibilem.

esse, dixit, *quo se milites sui appellassent*[2]. *Regium nomen alibi magnum, Romæ intolerabile esse: regalem animum in se esse, si id in hominis ingenio amplissimum ducerent, tacite judicarent; vocis usurpatione abstinerent.* Sensere etiam barbari magnitudinem animi, cujus miraculo nominis alii mortales stuperent, id ex tam alto fastigio aspernantis. Dona inde regulis principibusque Hispanorum divisa, et ex magna copia captorum equorum trecentos, quos vellet, eligere Indibilem jussit. Quum Afros venderet jussu imperatoris quæstor, puerum adultum inter eos forma insigni, quum audisset regii generis esse, ad Scipionem misit. Quem quum percunctaretur Scipio, *quis, et cujas, et cur id ætatis*[3] *in castris fuisset? Numidam esse*, ait, *Massivam populares vocare: orbum a patre relictum, apud maternum avum Galam, regem Numidarum, eductum, cum avunculo Masinissa*[4], *qui nuper cum equitatu subsidio Carthaginiensibus venisset, in Hispaniam trajecisse. Prohibitum propter ætatem a Masinissa, nunquam ante prælium iniisse. Eo die, quo pugnatum cum Romanis esset, inscio avunculo, clam armis equoque sumpto, in aciem exisse; ibi, prolapso equo effusum in præceps*[5], *captum ab Romanis esse.*

2. *Nomen imperatoris, quo se milites sui appellassent* ob res bene gestas; vid. ad Tac. Ann. I, 3, n. 11, et III, 74, n. 7 et 8. — *Vocis usurpatione abstinerent*, in Put. Flor. et Lov. 4 *usurpationem*. Cf. ad XXXIII, 34, n. 2, si lectio est certa: nam *abstinere* quidem quarto casui, sed alio sensu, jungitur; vid. ad II, 22, n. 3.

3. *Id ætatis;* vid. ad II, 29, n. 6. *Massiva* nomen ex Sallust. Jug. 35 notum. — *Eductum;* vide supra ad I, 39, n. 10.

4. *Cum avunculo Masinissa*, qui tamen eum *fratris filium* dicit lib. XXVIII, 35. Quod si verum est, Masinissa fuit ejus patruus, et *Gala avus* paternus, non *maternus*. In hoc παράδοξον videtur induxisse Livium vox græca ἀδελφιδοῦς, a Polybio adhibita; Jac. Gron. Ea enim et fratris et sororis filium significat. Alii *fratrem* etiam sororis maritum dici putant; ut materteræ filium apud Cic. Sen. p. red. 10, et fratrem patruelem infra XXXV, 10, n. 4, ubi cf. Intpp.

5. *Effusum in præceps;* vide ad Præf. n. 13.

Scipio, quum asservari Numidam jussisset, quæ pro tribunali agenda[6] erant, peragit. Inde, quum se in prætorium recepisset, vocatum eum interrogat, *velletne ad Masinissam reverti?* Quum, effusis gaudio lacrymis, *cupere vero*[7], diceret; tum puero annulum aureum, tunicam lato clavo, cum hispano sagulo et aurea fibula, equumque ornatum donat, jussisque prosequi, quoad vellet, equitibus dimisit.

XX. De bello inde consilium habitum; et, auctoribus[1] quibusdam, ut confestim Hasdrubalem consequeretur, anceps id ratus, ne Mago atque Hasdrubal cum eo jungerent copias, præsidio tantum ad insidendum Pyrenæum misso, ipse reliquum æstatis reciendis in fidem Hispaniæ populis absumpsit. Paucis post prælium factum ad Bæculam diebus, quum Scipio, rediens jam Tarraconem, saltu castulonensi excessisset, Hasdrubal Gisgonis filius et Mago imperatores ex ulteriore Hispania ad Hasdrubalem venere, serum post male gestam rem auxilium; consilio[2] in cætera exsequenda belli haud parum opportuni. Ibi conferentibus, quid in cujusque provinciæ regione animorum Hispanis esset, unus Hasdrubal Gisgonis, ultimam Hispaniæ oram, quæ ad Oceanum et Gades vergit, ignaram adhuc Romanorum esse, eoque Carthaginiensibus satis fidam, censebat. Inter Hasdrubalem alterum et Magonem constabat, *beneficiis Scipio-*

6. *Pro tribunali agenda;* vide ad XXVI, 27, n. 4.

7. *Cupere vero*, sane, profecto; vide ad XLV, 19, n. 4.

Cap. XX. 1. *De bello inde consilium habitum est. Auctoribus*, etc. conj. Doer. — *Hasdrubalem*, Hamilcaris filium, *consequeretur;* vide ad XXIV, 45, n. 4. — *Mago atque Hasdrubal*, Gisgonis f. *alter* post *atque* inserunt quidam MSS. Pro *atque* forte leg. *alterque.*

2. *Consilio*, si consilium spectes, *in*, ad, *cætera exsequenda belli* (vide ad IV, 47, n. 1) *opportuni*, opportuno tempore venere. — *Ibi conferentibus* iis sermones, consilia et sententias inter se, h. e. invicem deliberantibus

nis occupatos omnium animos publice privatimque esse; nec transitionibus finem ante fore, quam omnes hispani milites aut in ultima Hispaniæ amoti, aut traducti in Galliam forent. Itaque, etiamsi senatus Carthaginiensium non censuisset[3], *eundum tamen Hasdrubali fuisse in Italiam, ubi belli caput rerumque summa esset; simul ut Hispanos omnes procul ab nomine Scipionis ex Hispania abduceret. Exercitum ejus, quum transitionibus, tum adverso prælio imminutum, Hispanis repleri militibus. Et Magonem, Hasdrubali, Gisgonis filio, tradito exercitu, ipsum cum grandi pecunia ad conducenda mercede auxilia in Baliares trajicere. Hasdrubalem Gisgonis cum exercitu penitus in Lusitaniam abire, nec cum Romanis manus conserere. Masinissæ ex omni equitatu, quod roboris esset, tria millia equitum expleri; eumque vagum per citeriorem Hispaniam sociis opem ferre, hostium oppida atque agros populari.* His decretis, ad exsequenda, quæ statuerant, duces digressi. Hæc eo anno in Hispania acta; Romæ fama Scipionis in dies crescere : Fabio Tarentum captum astu magis, quam virtute, gloriæ tamen esse : Fúlvii senescere fama[4] : Marcellus etiam adverso rumore esse, super quam quod primo male pugnaverat, quia, vagante per Italiam Hannibale, media æstate Venusiam in tecta milites abduxisset. Inimicus erat ei C. Publicius Bibulus tribunus plebis : is jam a prima pugna, quæ adversa fuerat, assiduis concionibus infamem invi-

et secum reputantibus, ut lib. II, 35.

3. *Etiamsi senatus Carthagin. non censuisset*, etc. Conf. XXIII, 27, 28. — *Belli caput rerumque summa;* vide ad III, 5, n. 6, et VI, 14, n. 9. — *Simul et*, f. *ut*. De infinitivis seqq. *repleri*, *trajicere*, *conserere*, etc. vid. supra ad librum XXVI, cap. 32, n. 1.

4. *Fulvii senescere fama;* vide ad I, 22, n. 3. — *Super quam quod* (v. ad XXII, 3, n. 8) *male pugnaverat;* vid. ad cap. 2, 12-14. — *Venusiam;* Sinuessam ap. Plutarch. in Marcello, p. 313. F.

sumque plebi Claudium fecerat, et jam de imperio abrogando ejus[5] agebat; quum tamen necessarii Claudii obtinuerunt, ut, relicto Venusiæ legato, Marcellus Romam rediret ad purganda[6] ea, quæ inimici decernerent, nec de imperio ejus abrogando, absente ipso, ageretur. Forte sub idem tempus et Marcellus ad deprecandam ignominiam, et Q. Fulvius consul comitiorum causa Romam venit.

XXI. Actum de imperio Marcelli in circo[1] Flaminio est ingenti concursu plebisque et omnium ordinum; accusavitque tribunus plebis non Marcellum modo, sed omnem nobilitatem. *Fraude eorum et cunctatione fieri, ut Hannibal decimum jam annum Italiam provinciam habeat*[2]; *diutius ibi, quam Carthagine, vixerit*[3]. *Habere fructum imperii prorogati Marcello populum romanum: bis cæsum exercitum ejus æstiva Venusiæ sub tectis agere.* Hanc tribuni orationem ita obruit[4] Marcellus commemoratione rerum suarum, ut non rogatio solum de imperio ejus abrogando antiquaretur, sed postero die consulem eum ingenti consensu centuriæ omnes crearent. Additur collega T. Quintius Crispinus, qui tum prætor erat. Postero

5. *De imperio abrogando ejus*, immo *ei*, ut et mox: quod hic ostendit ipse positus pronominis; Gronov. Conf. ad XXII, 25, n. 10. Mox pro *quum tamen* Sigon. e cod. malebat *tum tamen*, et Gron. *cunctanter*.

6. *Ad purganda*, refellenda, *ea* crimina, ob *quæ inimici decernerent* iniqua, Gronov. et Ern. Conf. ad IV, 50, n. 3. Eadem ἀκυρολογία in verbo *purgare* occurrit XXXIV, 5, *nihil novi factum purgare*, h. e. ostendendo, nihil novi factum esse, purgare crimina, quæ objicitis; Drak.

Cap. XXI. 1. *In circo Flaminio*; vide ad librum I, cap. 6, n. 6, et lib. III, cap. 54, n. 8.

2. *Italiam provinciam habeat*; vid. ad II, 40, n. 9.

3. *Diutius ibi, quam Carthagine, vixerit*; vide sup. ad XXI, 3, n. 2.— *Habere fructum*, accipere præmium, nos: *es behomme den Lohn*; Doer.— *Bis cæsum exercitum*, etc. Vid. ad cap. 2 et 12 sq.

4. *Hanc tribuni orationem ita obruit*, irritam reddidit, vim accusationis imminuit. Conf. Ernesti Clav. Cic. — *Rogatio antiquaretur* (vid. ad IV, 58, n. 10), *sed* etiam.

die prætores creati P. Licinius Crassus Dives, pontifex maximus, P. Licinius Varus, Sex. Julius [5] Cæsar, Q. Claudius Flamen. Comitiorum ipsorum diebus sollicita civitas de Etruriæ defectione fuit : principium ejus rei ab Arretinis fieri, C. Calpurnius scripserat, qui eam provinciam pro prætore obtinebat. Itaque confestim eo missus Marcellus, consul designatus, qui rem inspiceret [6], ac, si digna videretur, exercitu accito, bellum ex Apulia in Etruriam transferret : eo metu compressi Etrusci quieverunt. Tarentinorum legatis pacem petentibus cum libertate ac legibus suis responsum ab senatu est, ut redirent, quum Fabius consul Romam venisset. Ludi et romani et plebeii eo anno in singulos dies instaurati. Ædiles curules fuere L. Cornelius Caudinus et Ser. Sulpicius Galba : plebeii C. Servilius et Q. Cæcilius Metellus. Servilium negabant [7] jure aut tribunum plebis fuisse, aut ædilem esse; quod patrem ejus, quem triumvirum agrarium occisum a Boiis circa Mutinam esse opinio per decem annos fuerat, vivere atque in hostium potestate esse satis constabat.

XXII. Undecimo anno punici belli consulatum inierunt M. Marcellus quintum (ut numeretur consulatus,

5. *Sex. Julius Cæsar*, primus, qui memoratur, *Cæsar*. — *Q. Claudius Flamen* (alii, *Flaminius*), ut *Sacerdotes* et *Curiones* quidam dicti, et hinc posteri *Flaminini*, ut *Corvus* reliquit *Corvinos;* Gron. Conf. Pigh. Ann. ad an. 535, p. 151.

6. *Qui rem inspiceret;* v. ad XXI, 6, n. 4. — *Ludi et romani et plebeii... instaurati;* vid. ad II, 36, n. 1. — *In singulos dies*, unum romani, unumque plebeii. — *Cornelius Caudinus.* Cornelii prænomen deest in nonnullis; multi dant *Gaudinus*. Ed.

7. *Servilium negabant... constabat;* vide ad XXX, 19, n. 5 et 6. — Captivos in servorum numero habitos fuisse notat hic Creverius. Immo servitutem a captis hostibus initium duxisse inter omnes constat. Quum igitur Servilius captivus, ac proinde servus apud hostes esset, nullum magistratum jure capere poterat hic ejus filius. Neque enim licebat filium ejus, qui servituti subjiceretur, magistratum populi rom. fieri. Ed. — *Triumvirum agrarium;* vid. ad III, 1, n. 6. — Duo mox codd. dant, *occisum a Bolis*. Ed.

quem vitio creatus non gessit[1]) et T. Quintius Crispinus. Utrisque consulibus Italia decreta provincia est et duo consulares prioris anni exercitus (tertius tum erat Venusiæ, cui M. Marcellus præfuerat), ita ut ex tribus eligerent duo, quos vellent; tertius ei traderetur, cui Tarentum et Sallentini provincia evenisset. Cæteræ provinciæ ita divisæ prætoribus: P. Licinio Varo urbana, P. Licinio Crasso pontifici maximo peregrina, et quo senatus censuisset[2]; Sex. Julio Cæsari Sicilia, Q. Claudio Flamini Tarentum. Prorogatum imperium in annum est Q. Fulvio Flacco, ut provinciam Capuam, quæ T. Quintii prætoris fuerat, cum una legione obtineret. Prorogatum et C. Hostilio Tubulo est, ut pro prætore in Etruriam ad duas legiones succederet C. Calpurnio: prorogatum et L. Veturio Philoni est, ut pro prætore Galliam eamdem provinciam cum iisdem duabus legionibus obtineret, quibus prætor obtinuisset. Quod in L. Veturio, idem in C. Arunculeio decretum ab senatu, latumque de prorogando imperio ad populum est, qui prætor Sardiniam provinciam cum duabus legionibus obtinuerat: additæ ei ad præsidium provinciæ quinquaginta naves, quas P. Scipio ex Hispania misisset. Et P. Scipioni et M. Silano suæ Hispaniæ suique exercitus in annum decreti[3]. Scipio ex octoginta navibus, quas aut secum

Cap. XXII. 1. *Consulatus, quem vitio creatus non gessit;* vid. XXIII, 41, et ad V, 17, n. 4.

2. *Et quo senatus censuisset*, scil. eundum, seu eum mittendum, ut lib. XLII, 28, 31 extr. et XLIV, 17 extr. pro quo XLII, 31 med. dicitur: *ut iret, quo sen. cens.* — *Prorogatum et C. Hostilio Tubulo est* imperium, « ex h. l. XXV, 41; XXVI, 28, et XXXII, 1, conficit Gruchius in Resp. ad post. Sigonii Disp. c. 5, *imperium* in *magistratu* insitum fuisse. Nam Hostilius priore anno jurisdictionem urbanam sortitus nullam partem imperii militaris attigerat; vid. ad cap. 7. Unde consequens est, non potuisse ei imperium *prorogari*, nisi id jam ante habuisset. » Duk. Id conjectura tantum impugnatur a Sigonio de lege Cur. cap. 6.

3. *Et P. Scipioni et M. Silano...*

ex Italia adductas aut captas Carthagine habebat, quinquaginta in Sardiniam transmittere jussus, quia fama erat, magnum navalem apparatum eo anno Carthagine esse; ducentis navibus omnem oram Italiæ Siciliæque ac Sardiniæ impleturos. Et in Sicilia ita divisa res est : Sex. Cæsari exercitus cannensis est datus: M. Valerius Lævinus (ei quoque enim prorogatum imperium est) classem, quæ ad Siciliam erat, navium septuaginta obtineret : adderet eo triginta naves, quæ ad Tarentum priore anno fuerant : cum ea centum navium classe, si videretur ei, prædatum in Africam trajiceret. Et P. Sulpicio, ut eadem classe Macedoniam Græciamque provinciam haberet, prorogatum in annum imperium est. De duabus, quæ ad urbem Romam fuerant, legionibus nihil mutatum : supplementum, quo opus esset, scriberent consules, permissum. Una et viginti legionibus eo anno defensum imperium romanum est[4]. Et P. Licinio Varo prætori Urbis negotium datum, *ut naves longas triginta veteres reficeret, quæ Ostiæ erant, et viginti novas naves sociis navalibus impleret; ut quinquaginta navium classe oram maris vicinam urbi romanæ tueri posset.* C. Calpurnius vetitus ab Arretio movere exercitum, nisi quum successor venisset : idem et Tubulo imperatum[5], ut inde præcipue caveret, ne qua nova consilia caperentur.

decreti, quod nihil opus fuisse, ex cap. 7 intelligitur; Creverius. — *Impleturos*, scilicet Carthaginienses. — *Obtineret*, ut obtineret, decretum est.

4. *Una et vig. legionibus eo anno defensum imperium rom. est* : « Senatum post relationem de provinciis solitum statuere, quot legionibus quoque anno gerenda esset respublica, idque Livium in historia singulorum annorum diligenter adnotare, observat Casaub. ad Polyb. I, 16. Decem primis libris hoc vel nusquam, vel certe raro adnotavit Livius, etsi tum sæpe quoque plures quam quatuor legiones, qui duo justi consulares exercitus erant, scriptas narrat. Sed tum nondum ullæ provinciæ erant, nec tot simul copiis bellum gerebatur. » Dukerus.

5. *Idem et Tubulo imperatum*, immo *eidem*, scil. Calpurnio, antequam

XXIII. Prætores in provincias profecti : consules religio tenebat[1], quod, prodigiis aliquot nuntiatis, non facile litabant. Et ex Campania nuntiata erant, Capuæ duas ædes, Fortunæ et Martis, et sepulcra aliquot de cælo tacta : Cumis (adeo minimis etiam rebus prava religio inserit deos) mures in æde Jovis aurum rosisse[2] : Casini examen apium ingens in foro consedisse : et Ostiæ murum portamque de cælo tactam : Cære vulturium volasse in æde Jovis : Volsiniis sanguine lacum manasse. Horum prodigiorum causa diem unum supplicatio fuit : per dies aliquot hostiæ majores sine litatione cæsæ, diuque non impetrata pax deum[3]. In capita consulum, re publica incolumi, exitiabilis prodigiorum eventus vertit. Ludi Apollinares, Q. Fulvio, Ap. Claudio consulibus, a P. Cornelio Sulla prætore Urbis primum facti erant[4]. Inde omnes deinceps prætores urbani fecerant : sed in unum annum vovebant, dieque incerta faciebant. Eo anno pestilentia gravis incidit in Urbem agrosque ; quæ tamen magis in longos morbos, quam in perniciales, evasit.

adveniret Tubulus : non enim poterat hoc Tubulo imperari, qui tum primum in provinciam erat profecturus initio anni sui, quo tempore nondum æquum erat, de ejus successore cogitari : potuisset enim illi prorogari imperium ; et indignum erat, toto imperii sui anno uni urbi non oppugnandæ sed custodiendæ alligari ; Perizon. Recte : verum ita mox leg. *caverent* Duk. et Drak. — Walchius, Emend. pag. 203, *idem* conatur defendere ita, ut referatur ad id, non quod antecedit, sed quod sequitur. Quod vetitus erat Calpurnius ab Arretio movere, eo spectabat, ne inter abscessum veteris et adventum novi prætoris nova consilia orirentur. Ab eo cavere item jubebatur Tubulus. Ed.

Cap. XXIII. 1. *Consules religio tenebat*, retinebat in Urbe, vel impediebat, quo minus proficiscerentur in provincias suas. — *Non facile litabant;* vide ad V, 38, n. 1.

2. *Mures in æde Jovis aurum rosisse*, etc. cf. Plutarch. in Marcello, pag. 314, et sup. ad I, 31, n. 1. — *Vulturium volasse in æde Jovis :* ita optimi MSS ; *in ædem* edd.

3. *Sine litatione...non impetrata pax deum ;* vide ad V, 38, n. 1. — *Vertit*, scil. se, versus est; conf. ad II, 3, n. 2.

4. *Ludi Apollinares, Q. Fulvio, Ap. Claudio consulibus, a P. Cornelio Sulla pr. Urb. pr. facti erant;* vide ad

Ejus pestilentiæ causa et supplicatum per compita tota urbe est, et P. Licinius Varus prætor Urbis legem ferre ad populum jussus, ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur. Ipse primus ita vovit, fecitque ante diem tertium nonas quintiles: is dies deinde solennis servatus.

XXIV. De Arretinis et fama in dies gravior, et cura crescere Patribus: itaque C. Hostilio scriptum est, ne differret obsides ab Arretinis accipere; et, cui traderet Romam deducendos, C. Terentius Varro cum imperio missus: qui ut advenit, extemplo Hostilius legionem unam, quæ ante urbem castra habebat, signa in urbem ferre jussit, præsidiaque locis idoneis disposuit; tum in foro citatis senatoribus obsides imperavit[1]. Quum senatus biduum ad considerandum peteret tempus, aut ipsos extemplo dare, aut se postero die senatorum omnes liberos sumpturum, edixit. Inde portas custodire jussi tribuni militum præfectique socium et centuriones, ne quis nocte urbe exiret. Id

XXV, 12. — *Ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur.* « Senatus jam ante decreverat, ut *in perpetuum*, i. e. quotannis de integro voverentur, XXVI, 23; sed certam diem non constituerat. Postquam iis *status dies* assignatus est, videntur desiisse singulis annis voveri. Nam ex eo, quod Livius dicit, *ipse primus ita vovit*, non sequitur, alios post eum prætores illos semper rursus vovisse; sed ita accipi potest, quum prætores ante eum illos quotannis ex senatusconsulto, sed non in statum diem, vovissent, XXVI, 23; XXVII, 11; ipse primus eos in statum diem vovit. » Duker. — *Ante d. III non. quintiles* fecit ludos; vid. VI, 1, n. 9, et XXXVII, 4, n. 2.

Cap. XXIV. 1. *In foro citatis senatoribus obsides imperavit;* malim *in forum*, ut paulo post dicitur; Duk. — Walchius, Emend. pag. 90, defendit *in foro*, putatque Livium ita dixisse βραχυλογίᾳ ductum, ut in electione præpositionis potius verbi, quod animo obversabatur, quam relativi rationem haberet. Sic XXV, 2, *a bello intentos;* et ibid. cap. 7, *deductique in comitio*, al. Ed. — *Quum senatus biduum peteret tempus* pro *bidui*, ut *terra Italia* XXV, 7; *domus marita* XXVII, 31, n. 2; *jussa magistra* et similia; Drak. Conf. ad XXVIII, 2, n. 2, et ad Sil. I, 173. Vel leg. *bidui*, vel del. *tempus;* Duk. — *Custodire jussi tribuni*, etc. Hanc lectionem e Put. sumpsit Gronovius, nisi quod in optimo codice legitur perperam *jussit*.

segnius negligentiusque factum : septem principes senatus, prius quam custodiæ in portis locarentur, ante noctem cum liberis evaserunt. Postero die luce prima, quum senatus in forum citari cœptus esset, desiderati, bonaque eorum venierunt. A cæteris senatoribus centum viginti obsides, liberi ipsorum, accepti, traditique C. Terentio Romam deducendi. Is omnia suspectiora, quam ante fuerant, in senatu fecit : itaque, tanquam imminente etrusco tumultu, legionem alteram ex urbanis Arretium ducere jussus ipse C. Terentius, eamque habere in præsidio urbis. C. Hostilium cum cætero exercitu placet totam provinciam peragrare, et cavere, ne qua occasio novare cupientibus res daretur[2]. C. Terentius, ut Arretium cum legione venit, claves portarum quum magistratus poposcisset[3], negantibus iis comparere, fraude amotas magis ratus, quam negligentia intercidisse, ipse alias claves omnibus portis imposuit; cavitque cum cura, ut omnia in potestate sua essent. Hostilium intentius monuit, ut in eo spem, non moturos quidquam Etruscos, poneret, si, ne quid moveri posset, cavisset.

XXV. De Tarentinis inde magna contentione in senatu actum coram Fabio, defendente ipso, quos ceperat armis, aliis infensis, et plerisque æquantibus eos[1] Campanorum noxæ pœnæque. Senatusconsul-

Editi passim et scripti exhibent : *jussit tribunis milit. præfectisq. soc. et centurionibus :* quam loquendi formam ab illis aureæ latinitatis scriptoribus usurpatam esse, sibi Creverius persuadere non potest. Ed.

2. *Ne qua occasio novare cupientibus res daretur ;* vide ad I, 11, n. 1, et I, 52, n. 1.

3. *Claves portarum quum magistratus poposcisset* Terentius ; vide ad I, 24, n. 6. — *Comparere ;* vide ad VI, 1, n. 6.

Cap. XXV. 1. *Æquantibus eos, eorum noxam pœnamque, Campanorum noxæ pœnæque ;* vide supra ad lib. V, cap. 23, n. 4, et lib. X, cap. 19, n. 2.

tum in sententiam M'. Acilii factum est, ut oppidum præsidio custodiretur, Tarentinique omnes intra mœnia continerentur: res integra postea referretur, quum tranquillior status Italiæ esset: et de M. Livio[2], præfecto arcis tarentinæ, haud minore certamine actum est, aliis senatusconsulto notantibus[3] præfectum, quod ejus socordia Tarentum proditum hosti esset; aliis præmia decernentibus, quod per quinquennium arcem tutatus esset, maximeque unius ejus opera receptum Tarentum foret; mediis ad censores, non ad senatum, notionem de eo pertinere dicentibus, cujus sententiæ et Fabius fuit. Adjecit tamen, *fateri se, opera Livii Tarentum receptum, quod amici ejus vulgo in senatu jactassent; neque enim recipiundum fuisse, nisi amissum foret.* Consulum alter T. Quintius Crispinus ad exercitum, quem Q. Fulvius Flaccus habuerat, cum supplemento in Lucanos est profectus. Marcellum aliæ atque aliæ objectæ animo religiones tenebant[4]: in quibus, quod, quum bello gallico ad Clastidium ædem Honori et Virtuti vovisset, dedicatio ejus a pontificibus impediebatur; quod negabant, unam cellam duobus recte dedicari[5], quia, si de cælo tacta, aut prodigii aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret, quod, utri deo res divina fieret, sciri non posset; neque enim duobus, nisi certis,

2. *De M. Livio, præfecto*, etc. vide ad XXIV, 20, n. 7.

3. *Aliis senatusconsulto notantibus præfectum*, h. e. notandum censentibus; Gron. Vid. III, 21, 31; XXIV, 16, n. 5, et XXV, 3, n. 7. — *Mediis* (vide ad I, 31, n. 5) *ad censores notionem de eo pertinere dicentibus*, id est, cognitionem, judicium, ut *noscere causas* XXX, 24, n. 1. Conf. Gronov. ad h. l. et nos ad Tac. Ann. III, 35, n. 5. — *Neque enim;* vide ad III, 39, n. 8.

4. *Marcellum objectæ animo religiones tenebant;* vide ad V, 15, n. 6; XXV, 12, n. 1, et XXVII, 23, n. 1. — *Bello gallico ad Clastidium ædem Honori et Virtuti vovisset*, etc. vide ad XXV, 40, n. 2.

5. *Negabant, unam cellam duobus recte* (*rite* Hearnii L. 1, prob. Duk.) *dedicari:* cur vero non duæ dedicatæ?

deis rite una hostia fieri [6]. Ita addita Virtutis [7] ædes approperato opere; neque tamen ab ipso ædes eæ dedicatæ sunt : tum demum ad exercitum, quem priore anno Venusiæ reliquerat, cum supplemento proficiscitur. Locros in Bruttiis Crispinus oppugnare conatus, quia magnam famam attulisse Fabio Tarentum rebatur, omne genus tormentorum machinarumque ex Sicilia arcessierat; et naves indidem accitæ erant, quæ vergentem ad mare partem urbis oppugnarent. Ea omissa oppugnatio est, quia Lacinium Hannibal admoverat copias [8]; et collegam eduxisse jam ab Venusia exercitum fama erat, cui conjungi volebat. Itaque in Apuliam ex Bruttiis reditum, et inter Venusiam Bantiamque, minus trium millium passuum intervallo, consules binis castris consederant. In eamdem regionem et Hannibal rediit, averso ab Locris bello. Ibi ambo consules, ingenio feroces, prope quotidie in aciem exire; haud dubia spe, si duobus exercitibus

Cf. ad III, 17, n. 3, et III, 19, n. 11.

6. *Neque enim duobus deis rite una hostia fieri*, scilic. *rem divinam :* sed verbum *fieri* etiam simplic. eo sensu dicitur, vide ad X, 42, n. 9; *nisi certis*, nisi certo constaret, utrique eam deberi; ita ut dubium non relinquatur, utrum huic, an illi, sacrum fieret; Crev. Immo *certis* quibusdam, scil. iis, quibus una eademque hostia rite sacrificari solet; nisi potius leg. *secretis :* nam duobus diis cella inter se secretis, utri eorum, si quid accidisset, una hostia sacrificanda esset, sciri potuit; Doer. Nihil horum satis probandum videtur. Forte leg. *neque enim duobus* (scil. diis), *nisi lectisterniis, rite una hostia fieri.* Conf. ad V, 13, et XXII, 10.

7. *Ita addita Virtutis ædes*, sed dedicata demum a filio Marcelli; vid. XXIX, 11, et ad XXV, 40, n. 2. Vera duplicis templi constructio non magis nota est, quam forma statuarum Honoris ac Virtutis. Conf. Plin. XXXV, 11, seu 37; Plutarch. Marcell. p. 314 (p. 463, ed. Reisk.); Intpp. Vitruv. Proœm. ad lib. VII; Programma Acad. Hafn. vulgatum XXIX jan. a. 1806; inprim. *d. Freimüthige oder Ernst u Scherz* a. 1806, nis 55, 74, 75.

8. *Lacinium Hannibal admoverat copias;* vide ad XXIV, 3, n. 3, et XXV, 24, n. 9. — *Inter Venusiam Bantiamque* (opp. in confinio Apuliæ Lucaniæque situm), ut apud Plutarch. Marcell. pag. 314 F. — *Quotidie in aciem exire.* Antea vulgabatur *milites in aciem excire;* sed conjectura Gronovius loci emendationem assequutus erat, quam dant quidam optimæ notæ codd. Ed.

consularibus junctis commisisset sese hostis, debellari posse.

XXVI. Hannibal quia cum Marcello bis priore anno congressus vicerat victusque erat, ut, cum eodem si dimicandum foret, nec spem, nec metum ex vano haberet[1]; ita duobus consulibus haudquaquam sese parem futurum credebat: itaque, totus in suas artes versus, insidiis locum quærebat. Levia tamen prælia inter bina castra vario eventu fiebant: quibus quum extrahi æstatem posse[2] consules crederent, nihilominus oppugnari Locros posse rati, L. Cincio, ut ex Sicilia Locros cum classe trajiceret, scribunt: et, ut ab terra quoque oppugnari mœnia possent, ab Tarento partem exercitus, qui in præsidio erat, duci eo jusserunt. Ea ita futura per quosdam Thurinos compertum Hannibali quum esset, mittit ad insidendam ab Tarento viam. Ibi sub tumulo Peteliæ[3] tria millia equitum, peditum duo in occulto locata: in quæ inexplorato euntes Romani quum incidissent, ad duo millia armatorum cæsa, mille et quingenti ferme vivi capti: alii dissipati fuga per agros saltusque Tarentum rediere. Tumulus erat silvestris inter punica et romana castra, ab neutris primo occupatus; quia Romani, qualis pars ejus, quæ vergeret ad hostium castra, esset, ignorabant; Hannibal insidiis, quam castris, aptiorem eum crediderat. Itaque nocte ad id missas aliquot Numidarum turmas medio in saltu condide-

Cap. XXVI. 1. *Metum ex vano* (vanum, inanem, ut XXXIII, 31) *haberet*, forte *habebat;* Gron.

2. *Extrahi æstatem posse;* vide ad IV, 43, n. 6. — *L. Cincio:* sed ei jam Valerius successerat. Conf. cap. 7, 8, 22, et ad cap. 7, n. 8.

3. *Sub tumulo Peteliæ;* v. ad XXIII, 30, n. 1. — *Ad duo millia arm. cæsa,* τὸν περὶ Πετηνὰν (Πετηλίαν) λόφον ὑφεὶς ἐνέδρας πενταχοσίους καὶ δισχιλίους ἀπέκτεινε· Plut. l. l. — *Mille et quingenti* e Put. et melioribus MSS recepi pro vulg. *et mille ducenti.* — *Tumulus erat silvestris;* vide ad c. 1, n. 7. — *Ad id;* vide ad I, 34, n. 5.

rat, quorum interdiu nemo ab statione movebatur, ne aut arma, aut ipsi procul conspicerentur. Fremebant vulgo in castris romanis, occupandum eum tumulum esse et castello firmandum; ne, si occupatus ab Hannibale foret, velut in cervicibus haberent hostem[4]. Movit ea res Marcellum, et collegæ, « Quin « imus, inquit, ipsi cum equitibus paucis explora- « tum? Subjecta res oculis nostris certius dabit con- « silium. » Consentiente Crispino, cum equitibus ducentis et viginti[5], ex quibus quadraginta Fregellani, cæteri Etrusci erant, proficiscuntur. Sequuti M. Marcellus, consulis filius, et A. Manlius, tribuni militum; simul et duo præfecti socium, L. Arennius et M'. Aulius. Immolasse eo die quidam[6] memoriæ prodidere consulem Marcellum, et, prima hostia cæsa, jecur sine capite inventum; in secunda omnia comparuisse, quæ assolent, auctum etiam visum in capite: nec id sane haruspici placuisse, quod secundum trunca et turpia exta nimis læta apparuissent.

4. *In cervicibus haberent hostem;* vide supra ad III, 31, n. 1. Ad seqq. et c. 27, de Marcelli obitu, cf. Polyb. X, 32; Appian. Bell. Hannib. c. 50; Plutarch. Marcell. p. 315 sq. et Sil. XV, 334-398. Horum et Livii narratio hic variat, ut olim fama. Conf. ad cap. 27 extr.

5. *Cum equitibus CCXX*, ut et ap. Plutarch. Appianus memorat CCC, et Polybius, numero forte corrupto, τῶν ἱππέων ἴλας, seu εἴλας δύο, duas alas, vel potius turmas (unde *tres turmæ eq.* et τρεῖς ἴλαι, quæ et οὐλαμοὶ vocantur, sibi respondent ap. Liv. XXVIII, 14, et Polyb. XI, 23), quæ in romano equitatu XXX equitibus constabant. Numero tamen majores ἴλας commemorat Ælian. Tact. cap. 21, et εἴλην seu ἴλην a Romanis etiam *alam* vocari, quæ Græcis propr. ἱππαρχία dicatur et DXII equitum sit, docent idem Ælian. cap. 20, et Arrian. Tact. p. 51, ed. Blanc. Conf. Schweigh. ad Polyb. VI, 25, n. 1, et X, 21, n. 4. Cæterum consules præter equites etiam τριάκοντα (nisi leg. τριακοσίους cum Intpp.) velites lictoresque secum sumpsisse tradit Polyb. — *M'. Aulius*, optimi MSS; *M'. Aullius;* et cap. 27, *M'. Auxilius.*

6. *Immolasse eo die quidam*, etc. Cf. Plut. l. l. et Val. Max. I, 6, n. 9, qui in secunda hostia caput jeciñoris duplex fuisse dicit. — *Jecur sine capite inventum;* v. VIII, 9, n. 1. — *Auctum* jecur, aut majorem solito molem, ut subst. sit; Crev. — *Secundum*, post,

XXVII. Cæterum consulem Marcellum tanta cupiditas tenebat dimicandi cum Hannibale, ut nunquam satis castra castris collata crederet. Tum quoque vallo egrediens signum dedit[1], ut ad locum miles esset paratus, ut, si collis, in quem speculatum irent, placuisset, vasa colligerent ac sequerentur. Exiguum campi ante castra erat: inde in collem aperta undique et conspecta ferebat via. Numidis speculator, nequaquam in spem tantæ rei positus, sed si quos vagos, pabuli aut lignorum causa longius a castris progressos, possent excipere, signum dat, ut pariter ab suis quisque latebris exorirentur. Non ante apparuere, quibus obviis ab jugo ipso consurgendum erat, quam circumiere, qui a tergo includerent viam[2]. Tum undique omnes exorti, et clamore sublato impetum fecere. Quum in ea valle consules essent, ut neque evadere possent in jugum occupatum ab hoste, nec receptum ab tergo circumventi haberent; extrahi tamen diutius certamen potuisset, ni cœpta ab Etruscis fuga pavorem cæteris injecisset. Non tamen omisere pugnam deserti ab Etruscis Fregellani[3], donec integri consules hortando ipsique ex parte pugnando rem sustinebant. Sed postquam vulneratos ambo consules,

Cap. XXVII. 1. *Signum dedit;* vide ad IV, 39, n. 1. — *Ut ad locum miles esset paratus*, h. e. ad tempus; Doujat. Statim, quantocius, *illico;* Crev. *Ut ad speculandum miles e. p., et si*, etc. emend. Doer. Forte leg. *ad motum*, ad castra movenda, aut *ad nutum*, sc. militi dandum, *si collis placuisset*, satis opportunus sibi visus esset. — Has omnes conjecturas et interpretationes impugnare merito videtur mihi Walchius, Emend. p. 23. Jubet Marcellus milites paratos esse ad proficiscendum, et, ut illud citius fieri possit, jubet *ad locum* stare, id est, in suo quemque loco: *ad* autem si mirum videatur, memineris eamdem significationem omnes habere præpositiones, quæ motum exprimunt. Vide Interpp. ad Cæs. de B. G. I, 31, et Gron. ad Liv. VII, 7, 4. Cæterum liviani loci explicatio est apud Polyb. X, 31, ubi jubentur milites μένειν κατὰ χώραν. Ed.

2. *Qui a tergo includerent viam;* vide ad II, 2, n. 9.

3. *Ab Etruscis Fregellani;* conf. ad cap. 26.

Marcellum etiam transfixum lancea prolabentem ex equo moribundum videre, tum et ipsi (perpauci autem supererant) cum Crispino consule, duobus jaculis icto, et Marcello adolescente, saucio et ipso, effugerunt. Interfectus A. Manlius tribunus militum, et ex duobus præfectis socium M'. Aulius occisus, L. Arennius captus. Et lictores consulum quinque[4] vivi in hostium potestatem venerunt; cæteri aut interfecti, aut cum consule effugerunt: equites tres et quadraginta, aut in prælio, aut in fuga, ceciderunt, duodeviginti vivi capti. Tumultuatum et in castris fuerat, ut consulibus irent subsidio, quum consulem et filium alterius consulis saucios exiguasque infelicis expeditionis reliquias ad castra venientes cernunt. Mors Marcelli quum alioqui miserabilis fuit, tum quod nec pro ætate (major jam enim sexaginta annis erat), neque pro veteris prudentia ducis[5], tam improvide se collegamque et prope totam rem publicam in præceps dederat. Multos circa unam rem ambitus fecerim, si, quæ de Marcelli morte variant auctores, omnia exsequi[6] velim. Ut omittam alios, L. Cœlius triplicem rei gestæ ordinem edit: unam traditam fama; alteram scriptam laudatione filii[7], qui rei gestæ interfuerit; tertiam, quam ipse pro inquisita ac sibi comperta affert. Cæterum ita fama variat[8], ut tamen plerique loci

4. *Lictores consulum quinque*, etc. Sic et apud Plutarchum.

5. *Neque pro* (vide ad VII, 33, n. 2) *veteris prudentia ducis;* conf. Polyb. X, 32, 33, de imprudentia ducum rom. et prudentia Hannibalis. — *In præc. dederat;* vid. Præf. n. 13.

6. *Quæ de Marcelli morte variant auctores, omnia exsequi;* vide ad V, 15, n. 8, et XXI, 28, n. 7. — *L. Cœlius* (vide ad XXI, 38, n. 8) *triplicem rei gestæ ordinem edit: unam*, scil. rem gestam, etc. Sed pro *ordinem* Livium scripsisse *seriem* aut *narrationem*, aliamve vocem gen. fem., cum aliis suspicari possis. Pro *L. Cœlius* quidam libri habent *C. Lælius:* quem historias scripsisse non constat. Conf. Schweigh. ad Polyb. X, 3, 3.

7. *Alteram scriptam* in *laudatione filii;* vide ad II, 47, n. 6.

8. *Cæt. ita f. v.;* v. I, 43, n. 20.

speculandi causa castris egressum, omnes insidiis circumventum tradant.

XXVIII. Hannibal, magnum terrorem hostibus, morte consulis unius, vulnere alterius, injectum esse ratus, ne cui deesset occasioni [1], castra in tumulum, in quo pugnatum erat, extemplo transfert : ibi inventum Marcelli corpus sepelit. Crispinus, et morte collegæ, et suo vulnere territus, silentio insequentis noctis profectus, quos proximos nanctus est montes, in iis loco alto et tuto undique castra posuit. Ibi duo duces sagaciter moti sunt [2], alter ad inferendam, alter ad cavendam fraudem. Annulo Marcelli simul cum corpore Hannibal potitus erat : ejus signi errore ne cui dolus necteretur a Pœno, metuens Crispinus, circa civitates proximas miserat nuntios; occisum collegam esse, annuloque ejus hostem potitum, ne quibus literis crederent nomine Marcelli compositis. Paulo ante hic nuntius consulis Salapiam venerat, quum literæ ab Hannibale allatæ sunt, Marcelli nomine compositæ : *Se nocte, quæ diem illum sequutura esset, Salapiam venturum. Parati milites essent, qui in præsidio erant, si quo opera* [3] *eorum opus esset.* Sensere Salapitani [4] fraudem, et ab ira, non defectionis modo,

Cap. XXVIII. 1. *Ne cui deesset occasioni;* vide ad I, 11, n. 1, et III, 46, n. 3. — *Inventum Marcelli corpus sepelit :* plura de Marcelli humatione, urna et monimentis, deque Hannibalis et laudatione et cavillatione tradunt Appian. Bell. Hann. c. 50, et Plut. Marcell. p. 315, 316. Cf. Periz. Anim. hist. c. 9, p. 368.

2. *Sagaciter moti sunt*, sagacitate sua acti et impulsi sunt : fraudem enim, quam sagaciter Hannibal invenerat, pari sagacitate Crispinus præsagiebat; Doering.

3. *Parati mil. essent, ... si quo* (vid. ad XXVI, 9, n. 5) *opera*, etc. Vox *parati* abest ab optimis MSS; unde Gronov. conj. *venturum : vigiles essent*, etc. — Illud *parati* negligentia scribarum intercidisse putat Crev. neque igitur codd. standum esse, quum ratio evidens appareat cur eam, quæ recepta est, lectionem tueamur. Neque dissentitur Drak. Ed. — *Qui in præsidio erant*, non verba Hannibalis, sed Livii nota.

4. *Sensère Salapitani* (sic Put. Voss. et al. pro vulg. *Salapiani*, ut *Massili-*

sed etiam equitum interfectorum, rati occasionem supplicii peti, remisso retro nuntio (perfuga autem romanus erat), ut sine arbitro milites, quæ vellent, agerent, oppidanos per muros urbisque opportuna loca in stationibus disponunt; custodias vigiliasque in eam noctem intentius instruunt. Circa portam, qua venturum hostem rebantur, quod roboris in præsidio erat, opponunt. Hannibal quarta vigilia ferme ad urbem accessit: primi agminis erant perfugæ Romanorum, et arma romana habebant. Ii, ubi ad portam est ventum, latine omnes loquentes excitant vigiles, aperirique portam jubent: consulem adesse. Vigiles, velut ad vocem eorum excitati, tumultuari, trepidare, moliri portam[5]; cataracta dejecta clausa erat: eam partim vectibus levant, partim funibus subducunt in tantum altitudinis, ut subire recti possent. Vixdum satis patebat iter, quum perfugæ certatim ruunt per portam; et quum sexcenti ferme intrassent, remisso fune, quo suspensa erat, cataracta magno sonitu cecidit. Salapitani alii perfugas negligenter ex itinere suspensa humeris, ut inter pacatos, gerentes[6] arma, invadunt; alii e turri ejus portæ murisque saxis, sudibus, pilis, absterrent hostem. Ita inde Hannibal suamet ipse fraude captus abiit; profectusque ad Locrorum solvendam obsidionem, quam Cincius summa vi, operibus tormentorumque omni genere ex Sicilia ad-

tanus, Lilybætanus, Tauromenitanus; Gron.) *fraud., et ab ira, non déf.*, etc. vid. XXVI, 38, et ad I, 1, n. 5. — *Remisso retro;* vide ad II, 45, n. 10. — *Sine arbitro* (v. ad VI, 33, n. 3) *milites*, quos in præsidio fuisse modo dixit.

5. *Trepidare, moliri portam;* vide ad III, 49, n. 4, et VI, 11, n. 5. — *Cataracta*, καταῤῥάκτης et καταράκτης, vectis, obex, annulis ferreis funibusque pendeus et καταράσσων, cum impetu decidens ac demissa vel *dejecta*, ut *portam claudat;* v. Veget. de Re mil. IV, 4, et ad rem cf. Appian. Hann. c. 51; Suid. v. Ἡμιόνοι; Polyb. tom. V, p. 38, ed. Schweigh.

6. *Negligenter ex itinere suspensa*

vecto, oppugnabat. Magoni, jam haud ferme fidenti retenturum defensurumque se urbem, prima spes, morte nuntiata Marcelli, affulsit. Sequutus inde nuntius, Hannibalem, Numidarum equitatu præmisso, ipsum, quantum accelerare posset, cum peditum agmine sequi. Itaque ubi primum Numidas edito e speculis signo adventare sensit, et ipse, patefacta repente porta, ferox in hostes erumpit. Et primo, magis quia improviso id fecerat, quam quod par viribus esset, anceps certamen erat. Deinde, ut supervenere Numidæ, tantus pavor Romanis est injectus, ut passim ad mare ac naves fugerent; relictis operibus machinisque, quibus muros quatiebant : ita adventu Hannibalis soluta Locrorum obsidio est.

XXIX. Crispinus, postquam in Bruttios profectum Hannibalem sensit, exercitum, cui collega præfuerat, M. Marcellum [1] tribunum militum Venusiam abducere jussit. Ipse, cum legionibus suis Capuam profectus, vix lecticæ agitationem præ gravitate vulnerum patiens, Romam literas de morte collegæ scripsit, quantoque ipse in discrimine esset. *Se comitiorum causa non posse Romam venire, quia nec viæ laborem passurus videretur, et de Tarento sollicitus esset, ne ex Bruttiis Hannibal eo converteret agmen. Legatos opus esse ad se mitti, viros prudentes, cum quibus, quæ vellet, de re publica loqueretur.* Hæ literæ recitatæ magnum et luctum morte alterius consulis, et metum de altero fecerunt : itaque et Q. Fabium filium ad exercitum Venusiam miserunt, et ad consulem tres legati missi, Sext. Julius Cæsar, L. Licinius Pol-

humeris gerentes arma, scuta, puto, non detractis tegminibus, ut solebant in itinere, quum nullus ab hoste metus erat; Duk. coll. Suet. in Tib. 37; in Vitell. 11, et Lips. Annal. ad Mil. Rom. III, 2.

Cap. XXIX. 1. *M. Marcellum*, consulis filium.

lio, L. Cincius Alimentus, quum paucis ante diebus ex Sicilia redisset. Hi nuntiare consuli jussi, ut, si ad comitia ipse Romam venire non posset, dictatorem in agro romano diceret comitiorum causa[2]. Si consul Tarentum profectus esset, Q. Claudium prætorem placere in eam regionem inde abducere legiones, in qua plurimas sociorum urbes tueri posset. Eadem æstate M. Valerius cum classe centum navium ex Sicilia in Africam transmisit, et, ad Clupeam urbem[3] exscensione facta, agrum late, nullo ferme obvio armato, vastabat. Inde ad naves raptim prædatores recepti, quia repente fama accidit[4], classem punicam adventare : octoginta erant et tres naves. Cum iis haud procul Clupea prospere pugnat Romanus : decem et octo navibus captis, fugatis aliis, cum magna terrestri navalique præda Lilybæum rediit. Eadem æstate et Philippus implorantibus Achæis auxilium tulit; quos et Machanidas tyrannus Lacedæmoniorum[5] finitimo bello urebat, et Ætoli, navibus per fretum, quod Naupactum[6] et Patras interfluit (Rhion incolæ vocant), exercitu trajecto, depopulati erant. Attalum quoque regem Asiæ, quia Ætoli summum gentis suæ susque, *finitimo bello urebat* Achæos; v. ad X, 17, n. 1; XXVIII, 8, n. 5, et Polyb. X, 41; XI, 11-20; XIII, 6.

2. *Hi nuntiare consuli jussi, ut* (vide ad XXV, 22, n. 1) *dictatorem in agro romano diceret comitiorum causa;* cf. cap. 5, ubi legimus *romanum agrum Italia terminari* et *extra eum dictatorem dici non posse.* Sed h. l. nulla ratio est, in senatusconsulto addendi *in agro romano*, et hæc verba forsan e cap. 5 huc translata; Duk.

3. *Ad Clupeam urbem;* vid. ad Sil. III, 243, 244.

4. *Repente fama accidit;* vid. supra ad XXI, 10, n. 15.

5. *Machanidas tyrannus Laced.* a Philopœmene, a. U. 546, victus occi-

6. *Fretum, quod Naupactum* (vide ad XXVI, 26, n. 1) *et Patras* (opp. Achaiæ maritimum) *interfluit, Rhion,* seu Rhium, fauces corinthii sinus XXVIII, 7 extr. fretum, quo sinus hic effunditur ex mari Ionio. Conf. Mel. II, 3; Polyb. IV, 64 pr. — Observat Glareanus a Livio fretum Rhion vocari, quum Strabo, lib. VIII, et Ptolemæus, III, 16, promontorii id nomen tradant in modum falcis longius producti, unde Drepanon appel-

magistratum ad eum proximo concilio detulerant, fama erat in Europam trajecturum.

XXX. Ob hæc Philippo in Græciam descendenti ad Lamiam urbem[1] Ætoli, duce Pyrrhia, qui prætor in eum annum cum absente Attalo creatus erat, occurrerunt. Habebant et ab Attalo auxilia secum, et mille ferme ex romana classe, a P. Sulpicio missos. Adversus hunc ducem atque has copias Philippus bis prospero eventu pugnavit : mille admodum[2] hostium utraque pugna occidit. Inde quum Ætoli metu compulsi Lamiæ urbis mœnibus tenerent sese, Philippus ad Phalara exercitum reduxit : in Maliaco sinu[3] is locus est, quondam frequenter habitatus propter egregium portum tutasque circa stationes et aliam opportunitatem maritimam terrestremque. Eo legati ab rege Ægypti Ptolemæo Rhodiisque et Atheniensibus et Chiis venerunt ad dirimendum inter Philippum atque Ætolos bellum : adhibitus ab Ætolis et ex finitimis pacificator Amynander[4], rex Athamanum. Omnium autem non tanta pro Ætolis cura erat, ferocioribus quam

latur. Sed vide quæ notantur infra ad cap. 30, n. 8. Ed. — *Proximo concilio detulerant.* In Putean. et aliis aliquot scriptis *proximo anno concilio detulerunt.* Sed τὸ *detulerant* probum esse censet Creverius, vocemque *anno* primo tanquam interpretamentum τοῦ *concilio* margini adscriptum ; inde in contextum irrepsisse conjicit. Ed.

Cap. XXX. 1. *Ad Lamiam urbem* Phthiotidis in Thessalia, nobilitatam bello lamiaco, a Græcis post Alexandri mortem cum Macedonibus gesto; de quo vid. Diod. XVII, 111; XVIII, 9-12, et Strab. IX, p. 298. — *Ætoli, duce Pyrrhia* (ita Put. et al. MSS); de quo vid. Polyb. V, 30, et 91-94. *Physia* edd. ante Gron. *Physsias*, nobilis Eleus, bello captus a Lyco, proprætore Achæorum, memoratur Polyb. V, 94.

2. *Mille admodum hostium;* vid. ad XXI, 36, n. 3.

3. *Ad Phalara... in Maliaco sinu*, prope Lamiam et in extrema Phthiotidos ora, inter Locros Epicnemidios et Thessaliam, qui olim Μηλιεὺς, seu Μαλίαχος et Λαμιαχὸς a Maliensibus Lamiaque urbe, et postea, quum Ænianes prævaluissent, *sinus Æniannum* dicebatur ; vide ad XXVIII, 5, n. 6. *Phaleram* et *Phalaram* alii. Τὰ Φάλαρα apud Polyb. XX, 10, 11; Plin. IV, 7, seu 12 ; Strab. IX, et Steph.

4. *Amynander* (Ἀμύνανδρός vel

pro ingeniis[5] Græcorum gentis, quam ne Philippus regnumque ejus, grave libertati futurum, rebus Græciæ immisceretur. De pace dilata consultatio est in concilium Achæorum; concilioque ei et locus et dies certa indicta : interim triginta dierum induciæ impetratæ. Profectus inde rex per Thessaliam Bœotiamque, Chalcidem Eubœæ venit, ut Attalum, quem classe Eubœam petiturum audierat, portubus et litorum appulsu arceret. Inde, præsidio relicto adversus Attalum, si forte interim trajecisset, profectus ipse cum paucis equitum levisque armaturæ, Argos venit. Ibi curatione Heræorum[6] Nemeorumque suffragiis

Ἀμυνᾶς), *rex Athamanum*, gener Scerdilædi Illyriorum regis. Conf. Ind. et Polyb. IV, 16; XVI, 27; XVII, 1, 10; XVIII, 19, 30; XX, 10.

5. *Ferocioribus quam pro ingeniis* (vide ad VII, 33, n. 2) *gentis* alicujus *Græcorum;* nisi leg. *ferociori gente;* Gron. Conf. ad XXVI, 25, n. 6. Quæ sequuntur, sic habentur in omnibus libris, et haud scio an Livius ista sit gratificatus Romanis : cæterum ex Polyb. IX, 39, patet, majorem metum fuisse de Romanis, quam de Philippo; unde et mox : *ne causa aut Romanis aut Attalo intrandi Græciam esset;* Gron. Cæterum ad hæc et seqq. conf. Polyb. X, 23-26, ibique notas Schweigh. de diversa tum chronologia in rebus Græciæ, tum serie ac successione prætorum Achæorum apud Liv. et Polyb.

6. *Curatione Heræorum*, scilic. solennium, seu ludorum : nam τὰ Ἡραῖα dicebantur et dies festi et ludi, qui in honorem Junonis, Ἥρας, agebantur, inpr. Argis, Spartæ, Mycenis (conf. Hom. Il. δ, 51), Carthagine, in Ægina et Samo; vid. Pausan. II, 17, 24; V, 16; Pind. Nem. 10, et ibi Schol. — *Nemeorum* ludorum, qui prope Nemeam, vicum inter Cleonas et Phliuntem situm, in memoriam Archemori vel pugnæ Herculis cum leone nemeæo, d. XII mensis Corinth. Πανέμου, seu Ἱερομηνίας, cui Atheniensium βοηδρομιὼν respondet, agebantur, quorumque præsides et βραβευταὶ erant Argivi, Corinthii et Cleonæi. Conf. Pausan. II, 15; Schol. et Inttp. Pind. Nem. Eadem tamen Νέμεα et *Argis* celebrata. Cf. XXXIV, 41, et Polyb. II, 70; V, 101; XXIII, 10, et X, 26; ubi Schweigh. monet, ex his locis intelligi, Nemeorum ludicrum, tertio quoque anno agi solitum, ex Polybii ratione non (quæ vulgaris sententia est) in secundum et quartum, sed in primum et tertium quemque annum cujusque Olympiadis et in impares annos ab Urbe condita incidere. Dukeri nota ad hunc locum est : « Dodwell. in Ann. Stat. p. 227, et de Cyclis, VII, 1 et 2, scribit, Nemea et Olympia tum in eumdem annum convenisse, i. e. utraque a. U. 546 Varr. celebrata fuisse Marcello V et Crispino coss. Credebam primum, eum parum recte rationes subduxisse, quum Liv.

populi ad eum delata, quia se Macedonum reges ex ea civitate oriundos[7] referunt, Heræis peractis, ab ipso ludicro extemplo Ægium profectus est, ad indictum multo ante sociorum concilium[8]. Ibi de ætolico finiendo bello actum, ne causa aut Romanis, aut Attalo intrandi Græciam esset: sed ea omnia, vixdum induciarum tempore circumacto[9], Ætoli turbavere, postquam et Attalum Æginam venisse, et romanam classem stare ad Naupactum audivere. Vocati enim in concilium Achæorum, in quo eædem legationes erant, quæ ad Phalara egerant de pace, primum questi sunt quædam parva contra fidem conventionis tempore in-

cap. 35, scribat, *Olympiæ ludicrum gium;* et aptissimum h. l. est *Ægium*, *æstate anni seq.* fuisse. Deinde vidi, princeps Achaiæ oppidum, postquam eum Diss. X de Cyclis, sect. 48, con- Helice Olymp. 101, 4, hausta est mari tendere, Livium celebrationem Olym- motuque terræ (v. Strab. VIII, p. 589; piorum perperam in hunc annum con- Pausan. VII, 24, et Diodor. XV, 48 ferre, quæ anno priore Marcello V sq.), ubi a principio achaici concilii et Crispino coss. acta fuerint. Ei suf- aut certe post Helices interitum con- fragatur Petav. de Doctrina Temp. ventus Achæorum, Παναχαΐα (vide IX, 53. »

7. *Macedonum reges ex ea civitate oriundos:* nam Caranus, auctor regni Maced., erat Argivus. Conf. XXXII, 22; Justin. VII, 1; Vell. I, 6; Euseb. Chron. Græc. p. 45; Juliani Epist. 35, et Orat. III, p. 106, ed. Lips. — *Referunt*, ut apud Justin. XXXVIII, 7. *Ferunt* conj. Perizonius.

8. *Ægium profectus est, ad sociorum concilium:* in omnibus edd. est *Rhium*, Achaiæ prom. (vid. Ptol. III, 16, et Strab. VIII, pag. 231, al. 335) et fretum (vide ad cap. 29, n. 6), forte et oppidum, cujus tamen nemo mentionem facit præter Steph. Byz. et hic quoque non nisi dubitanter: Ῥίον πόλις Μεσσήνης ἢ Ἀχαΐας, καὶ ἄλλη Αἰτωλίας. Nos *Ægium* recepimus ex emendat. vix dubia Glareani et Jac. Gron. Nam omnes MSS habent *re-*

ad XXXI, 29, n. 1), semper et ex lege acti sunt; vid. XXXVIII, 30 (ubi simul traditur Philopœmenem conatum esse labefactare hunc morem, legemque tulisse, ut in omnibus civitatibus, quæ achaici concilii essent, in vicem conventus agerentur); Pausan. VII, 7 et 24 (qui id sua adhuc ætate factum, indeque cultum Ὁμαγυρίου Διὸς et Παναχαΐας Δήμητρος ibi ortum dicit); Polyb. V, 1, et Strab. VIII, p. 590 C, 593 B. Cf. et inf. XXVIII, 7; XXXV, 48; XXXVI, 35; et Polyb. II, 54; IV, 7, 26, 82; XVI, 27; XXVIII, 3. Cæterum alibi quoque conventum fuisse habitum legimus, v. c. Sicyone XXXII, 19, et Argis XXXI, 25, et XLIII, 17; ubi conf. not. 3.

9. *Induciarum tempore circumacto;* vide ad VI, 1, n. 3.

duciarum facta; postremo negarunt dirimi bellum posse, nisi Messeniis Achæi Pylum redderent[10], Romanis restitueretur Atintania, Scerdilædo et Pleurato Ardiæi. Enimvero indignum ratus Philippus, victos victori sibi ultro conditiones ferre : *ne antea quidem se aut de pace audisse, aut inducias pepigisse*, dixit, *spem ullam habentem quieturos Ætolos; sed ut omnes socios testes haberet, se pacis, illos belli causam quæsisse.* Ita infecta pace concilium dimisit, quatuor millibus armatorum relictis ad præsidium Achæorum, et quinque longis navibus acceptis : quas si adjecisset missæ nuper ad se classi Carthaginiensium et ex Bithynia ab rege Prusia venientibus navibus; statuerat navali prælio lacessere Romanos, jam diu in ea regione potentes maris. Ipse ab eo concilio Argos regressus; jam enim Nemeorum appetebat tempus, quæ celebrari volebat præsentia sua.

XXXI. Occupato rege apparatu ludorum, et per dies festos licentius, quam inter belli tempora, remittente animum, P. Sulpicius, ab Naupacto profectus, classem appulit inter Sicyonem et Corinthum, agrumque nobilissimæ fertilitatis effuse vastavit. Fama ejus rei Phi-

10. *Nisi Messeniis Achæi Pylum redderent*, opp. maritimum Messeniæ. Conf. Polyb. IV, 16, 25; IX, 38; inpr. XVIII, 25. — *Romanis restitueretur Atintania, Scerdilædo et Pleurato Ardiæi;* vide ad XXII, 33, n. 3, et Polyb. II, 11. *Atintania* pars Epiri, vel potius Illyridis macedonicæ in finibus Epirotarum. Cf. XXIX, 12; XLV, 30; Polyb. II, 5; II, 11; VII, 9; Strab. VII, 7, 8, p. 326; Thucyd. II, et Steph. Byz. Pro *Ardiæi* edd. ante Gron. *Parthini* et *Archide;* MSS plerique *Archide*, at Put. *Archidæi*, et hinc Gron. ac Drak. *Ardyæi*. Sed Ἀρδιαῖοι, non Ἀρδυαῖοι, in omnibus fere codd. apud Polyb. II, 11, 12; Appian. Bell. Illyr. III, 10 (ad quæ loca cf. Schweigh.), et Strab. VII, 5, 6, 7, p. 315, ubi eos *Vardæos* posteris dictos (Οὐαρδέοι Ptol. II, 17; sed Οὐαρδαῖοι et *Vardæi* aliis, ut et in Epit. Liv. LVI, n. 4) tradit : nam pro Οὐαραλίους leg. esse Οὐαρδαίους, et ex hac natione fuisse servos illos marianos ap. Plutarchum, οὓς Βαρδαίους καλοῦσιν, non male suspicabatur Gron. ad hunc locum. — *Enimvero indignum ratus Philippus;* vide supra ad I, 51, n. 5.

lippum ab ludis excivit; raptimque cum equitatu profectus, jussis subsequi peditibus, palatos passim per agros gravesque præda (ut qui nihil tale metuerent) adortus Romanos, compulit in naves. Classis romana, haudquaquam læta præda[1], Naupactum rediit. Philippo quoque ludorum, qui reliqui erant, celebritatem quantæcumque, de Romanis tamen, victoriæ partæ fama auxerat, lætitiaque ingenti celebrati festi dies; eo magis etiam, quod, populariter dempto capitis insigni purpuraque atque alio regio habitu, æquaverat cæteris se in speciem: quo nihil gratius est civitatibus liberis; præbuissetque haud dubiam eo facto spem libertatis, nisi omnia intoleranda libidine fœda ac deformia effecisset. Vagabatur enim cum uno aut altero comite per maritas domos[2] dies noctesque, et, submittendo se in privatum fastigium, quo minus con-

Cap. XXXI. 1. *Haudquaquam læta præda*, lætans de præda. Conf. IX, 23. — *Ludorum, qui reliqui erant*, dierum, qui ludis supererant, *celebritatem fama victoriæ, quantæcumque*, non quidem magnæ, *tamen*, quod *de Romanis parta* erat, satis claræ, *auxerat Philippo*, tanquam præsidenti illis, in ejus honorem: vel potius *fama quoque partæ Philippo victoriæ*, etc. Gron. *Philippus* vett. libri, prob. Doer. ut sensus sit: *Philippus quoque fama* (in casu sexto pro: per famam atque gloriam) *victoriæ* reliquos ludorum edendorum dies multo celebriores reddiderat. — *Capitis insig.*, diademate. — *In speciem*, quod ad externum attinebat habitum.

2. *Per maritas domos*, in quibus erant matrimonio juncti. Cf. ad c. 24, n. 1, et Polyb. X, 26. — Non felicem Rhenani conj. per *maritimas domos* jure ac merito rejecit Crev. assentientibus antt. edd. et MSS, omniumque principe Put. Et vero cur per maritimas potissimum domos vagaretur Philippus? aut quem hic locum habet mentio maritimarum domorum, quum neque Argos ad mare situm sit, neque Nemea? Immo *maritas domos* facit ad augendam regiæ libidinis fœditatem, quæ ne conjugalis quidem tori sanctitatem polluere vereretur: nec locutio ipsa magis aures offendere debet quam illud Horatii *lege marita*, Carm. sec. 20. Ed. — *Submittendo* (demittendo) *se in fastigium*, conditionem (ut II, 27, et III, 35), *privatum*, privati hominis. Conf. ad XXXVIII, 52 pr. Tὸ *se* delevit Drak. suadente Gron. ut sensus sit: *submittendo fastigium* suum vel regium *in privatum*: sed vulgata lect. bene se habet. — *Fastigium*, ait Stephanus, Romani vocaverunt, quod vulgus statum (*état, condition*) vocat. *Fastigium* pars ima alicujus rei etiam

spectus[3], eo solutior erat; et libertatem quum aliis vanam ostendisset, totam in suam licentiam verterat: neque enim omnia emebat aut eblandiebatur, sed vim etiam flagitiis adhibebat; periculosumque et viris et parentibus erat, moram incommoda severitate libidini regiæ fecisse. Uni etiam principi Achæorum Arato adempta uxor nomine Polycratia, ac spe regiarum nuptiarum in Macedoniam absportata fuerat[4]. Per hæc flagitia solenni Nemeorum peracto paucisque additis diebus, Dymas est profectus, ad præsidium Ætolorum, quod ab Eleis accitum acceptumque in urbem erat, ejiciendum. Cycliadas[5] (penes eum summa imperii erat) Achæique ad Dymas regi occurrere, et Eleorum accensi odio, quod a cæteris Achæis dissentirent, et infensi Ætolis, quos romanum quoque adversus se movisse bellum credebant. Profecti ab Dymis conjuncto exercitu transeunt Larisum amnem[6], qui eleum agrum ab dymæo dirimit.

dicitur: ap. Virg. G. II, 288, *forsan et scrobibus quæ sint fastigia quæras.* Vid. quoque Varr. Re Rust. I, 14, *fossa fastigium habet.* Ed.

3. *Quo minus conspectus erat*, quo minus oculis denotabatur, quum privato habitu grassaretur multis ignotus, invisus; Gron. Conf. ad II, 5, n. 8, et Juvenal. VIII, 140. De libidine fœda Philippi, Argis exercita, eadem tradit Polyb. X, 26, qui etiam ibidem et IV, 77, 82, VII, 12 sq. et IX, 23, monet, eum egregia indole præditum primumque omnibus Græcis adamatum, sed procedente ætate ex optimo principe in ferum tyrannum mutatum fuisse.

4. *Principi Achæor. Arato adempta uxor nomine Polycratia, ac spe regiarum nuptiarum in Macedoniam absportata;* vide ad XXXII, 21, n. 10.

— *Dymæ*, seu Dyme, urbs ultima Achaiæ, ab *Eleis*, Ætolorum sociis (vid. Polyb. IV, 5, 6, 9), aliquoties capta; vid. Polyb. II, 41; IV, 59, 60, 83; V, 3, 17, 30, 91; Pausan. VII, 17, et inf. ad XXXII, 21, n. 14.

5. *Cycliadas;* vid. Ind. et inf. ad XXXI, 25, n. 3.

6. *Lar. amnem, qui eleum agrum ab dymæo,* adeoque Elidem ab Achaia, *dirimit.* Cf. Pausan. VI, 26; VII, 17; VIII, 49, cui Λάρισος dicitur; unde *Larisum* pro *Larissum* edidit Drak. In prælio ad hunc fluvium a Philopœmene, magistro vel præfecto equitum Achæorum, Damophantum, magistrum equitum Eleorum, fuisse interfectum, et equitatum Ætolorum Eleorumque fugatum; docent Pausan. VIII, 49 extr. et Plut. Philop. p. 360. Ab hac pugna, de qua vid. c. 32, non di-

XXXII. Primum diem, quo fines hostium ingressi sunt, populando absumpserunt : postero die acie instructa ad urbem accesserunt, præmissis equitibus, qui, obequitando portis, promptum ad excursiones genus lacesserent Ætolorum. Ignorabant, Sulpicium cum quindecim navibus ab Naupacto Cyllenen trajecisse, et, expositis in terram quatuor millibus armatorum, silentio noctis, ne conspici agmen posset, intrasse Elim. Itaque improvisa res ingentem injecit terrorem, postquam inter Ætolos Eleosque romana signa atque arma cognovere. Et primo recipere suos voluerat rex; dein, contracto jam inter Ætolos et Trallos (Illyriorum id est genus[1]) certamine, quum urgeri videret suos, et ipse rex cum equitatu in cohortem romanam incurrit. Ibi equus pilo trajectus quum prolapsum per caput regem effudisset, atrox pugna utrimque accensa est, et ab Romanis impetu in regem facto, et protegentibus regiis. Insignis et ipsius pugna fuit, quum pedes inter equites coactus esset prælium inire. Dein, quum jam impar certamen esset, caderentque circa eum multi et vulnerarentur, raptus ab suis atque alteri equo injectus, fugit. Eo die castra quinque millia passuum ab urbe Eleorum posuit. Postero ad castellum[2] (Pyrgum vocant) copias omnes eduxit; quo agrestium multitudinem cum pecoribus metu populationum compulsam audierat.

versam fuisse *prosperam illam Achæorum cum Ætolis Eleisque haud procul Messene*, quæ c. 33 memoratur, putabat Casaub. in Chr. Polyb. ad a. U. 545.

Cap. XXXII. 1. *Trallos, Illyriorum genus*; conf. Ind. et ad I, 18, n. 5. *Triballos* al., qui Mœsiæ inferioris populus erat, ut *Tralli*, seu *Tralles*, Tralliæ in Illyrico, teste Steph. At *Tralles*, unde *Tralliani* XXXVII, 45; XXXVIII, 39, opp. nobile Lydiæ in Asia ad Mæandrum flum.; de quo vid. Juvenal. III, 70. — *Et ipse rex*, etc. Tὸ *rex* del., Duk. — *Protegentibus regiis* militibus, aut pueris; de quibus vid. XLV, 6.

2. *Ad castellum* Eleorum, *Pyrgum vocant;* cf. Polyb. V, 102, 6, ibique

Eam inconditam inermemque multitudinem primo statim terrore adveniens cepit; compensaveratque ea præda, quod ignominiæ ad Elim acceptum fuerat. Dividenti prædam captivosque (fuerant autem quatuor millia hominum, pecoris omnis generis ad millia viginti) nuntius ex Macedonia venit, Eropum quemdam, corrupto arcis præsidiique præfecto, Lychnidum cepisse[3]; tenere et Dassaretiorum vicos, et Dardanos etiam concire. Omisso igitur achaico bello, relictis tamen duobus millibus et quingentis omnis generis armatorum cum Menippo et Polyphanta[4] ducibus ad præsidium sociorum, profectus ab Dymis, per Achaiam Bœotiamque et Eubœam[5] decimis castris Demetriadem in Thessaliam pervenit.

XXXIII. Ibi alii, majorem afferentes tumultum, nuntii occurrunt, Dardanos, in Macedoniam effusos[1],

Schweigh. — *Inconditam;* vid. supra ad XXI, 57, n. 11.

3. *Lychnidum cepisse*, opp. Dassaretiorum in Illyrico (vid. Ptol. III, 13), hod. Locrida in Albania. *Lychnidum* edd. antt. *Lychnidus* appellatur etiam XLIII, 9, 10, 21, at *Lycus* XXXII, 9, et XXXIII, 34, ubi *Lingus* habent edd. antt. et forte leg. *Lychnidus* vel *Lychnis*. Λυχνιδὸς dicitur Steph. Λυχνὶς Polyb. XVIII, 30, 12. Λυχνίδιον Strab. VII, pag. 323, et Polyb. XXXIV, 12, 7. Λυχνιδοῦς Strab. VII, pag. 317. — *Dassaretii*, Δασσαρήτιοι Ptol. III, 13. Δασσαρῖται ἔθνος Ἰλλυρίας, λέγεται καὶ Δασσαρίτιοι, Steph. Δασσαρῆται et regio Δασσαρῆτις apud Polyb. V, 108; VIII, 38; Plin. III, 23, seu 26; IV, 1. Δασαρήτιοι Strab. VII, pag. 316, 318. — *Dardanos;* vid. supra ad XXVI, 25, n. 4.

4. *Men. et Pol.;* cf. Polyb. X, 42.

5. *Per Achaiam Bœotiamque et Eubœam*, ita MSS: quam tamen lect. a menda immunem præstare non andeo; Drak. «Editiones antt. *Bebœidem*, aut rectius *Bœbeidem*, quæ sive palus, seu regiuncula, jacet sub Penei ostio, longe ultra *Demetriadem* (vide ad XXXI, 41, n. 2); quo cur Philippus reverterit, tanto spatio jam progressus, haud facile dicas: at potuit ob certas causas coactus fuisse, ex *Bœotia* deflectere versus dextram in *Eubœam*, ut res insulæ inspiceret ac constitueret, maxime quum ejus insulæ cultores in metu ab Ætolis essent, ut Liv. XXVIII, 5, testatur.» Jac. Gron. — *Demetrias* in Thessalia et quidem in limite Phthiotidis, navale diu et regia aliquando regum Maced., unaque e compedibus Græciæ; vid. ad librum XXXII, cap. 37.

Cap. XXXIII. 1. *Dardanos in Macedoniam effusos;* vide ad I, 4, n. 7.

Orestidem jam tenere, ac descendisse in Argestæum campum; famamque inter Barbaros celebrem esse, Philippum occisum. Expeditione ea, qua cum populatoribus agri ad Sicyonem pugnavit, in arborem illatus impetu equi, ad eminentem ramum cornu alterum galeæ præfregit[2]. Id inventum ab Ætolo quodam perlatumque in Ætoliam ad Scerdilædum, cui notum erat insigne galeæ, famam interfecti regis vulgavit. Post profectionem ex Achaia regis Sulpicius, Æginam classe profectus, cum Attalo sese conjunxit: Achæi cum Ætolis Eleisque[3] haud procul Messene prosperam pugnam fecerunt: Attalus rex et P. Sulpicius Æginæ hibernarunt. Exitu hujus anni T. Quintius Crispinus consul, dictatore comitiorum ludorumque faciendorum causa dicto T. Manlio Torquato, ex vulnere moritur: alii Tarenti, alii in Campania mortuum tradunt. Id quod nullo ante bello acciderat, duo consules, sine memorando prælio interfecti, velut orbam rempublicam reliquerant. Dictator Manlius magistrum equitum C. Servilium (tum ædilis curulis erat) dixit. Senatus, quo die primum est habitus, ludos magnos[4] facere

et XXVI, 25, n. 4. — *Orestis* regio et *Orestæ* gens Epiri olim et deinde Macedoniæ. Cf. Ind.; Polyb. XVIII, 30; Strab. VII, 7, 8, pag. 326, et ad Sil. XV, 513. — *Orestidis* situm fortassis Ptolemæus magis australem ponit, notante Glareano, quam ut huic profectioni conveniat, quum sit magis ad boream. Ed. — *In Argestæum campum*, nescio quem. *Æstræum* ex Ptol. conj. Glar. et *Ægestæum*, hoc est, Thesprotium, qui affinis Orestidi, Sigon. coll. Steph. Αἰγεσταῖοι οἱ Θεσπρωτοὶ ἀπὸ τινὸς Αἰγέστου στρατηγοῦ. Hæc nimis remota sunt, et aliis quoque argumentis possunt refelli; Drak.

2. *Cornu alterum galeæ præfregit*, ut VIII, 10; XXXII, 17; XXXVIII, 5. *Perfregit* edd. ante Gron. Galeas cornutas, quibus terroris causa animalium cornua fuere præfixa, et cornua, successorum Alexandri Mag. insignia, illustravit Spanheim. de Usu et pr. Num. Diss. VII, pag. 387 et 399 (al. Diss. V, p. 367 sq.)

3. *Achæi cum Ætolis Eleisque*, etc. vide ad cap. 31, n. 6. — *P. Sulpicius Æg. hibernavit;* qui Æginetas omnes sub corona vendidit; vid. Polyb. XI, 6, 8, et XXIII, 8, 9.

4. *Ludos magnos facere* (vide ad II, 36, n. 1), *quos M. Æmilius prætor*

dictatorem jussit, quos M. Æmilius prætor Urbis, C. Flaminio, Cn. Servilio consulibus, fecerat, et in quinquennium voverat : tum dictator et ludos fecit, et in insequens lustrum vovit. Cæterum, quum duo consulares exercitus tam prope hostem sine ducibus essent, omnibus aliis omissis, una præcipua cura Patres populumque incessit, consules primo quoque tempore creandi, et ut eos potissimum crearent[5], quorum virtus satis tuta a fraude punica esset : *quum toto eo bello damnosa præpropera ac fervida ingenia imperatorum fuissent, tum eo ipso anno consules, nimia cupiditate conserendi cum hoste manum, in necopinatam fraudem lapsos esse. Cæterum deos immortales, miseritos nominis romani, pepercisse innoxiis exercitibus : temeritatem consulum ipsorum capitibus damnasse.*

XXXIV. Quum circumspicerent Patres, quosnam consules facerent, longe ante alios eminebat C. Clau-

Urbis (vide ad XXV, 1, n. 7)...*fecerat* (vid. XXII, 9 extr.), *et in quinquennium* ante *voverat* an. Urb. 535. Iidem ludi magni sæpius extra ordinem in quintum annum voti sunt, si eodem statu respublica maneret. Cf. XXX, 2, 27; XXXI, 9; XXXVI, 2; XLII, 28. Quis tamen hoc votum iterum anno quinto (a. U. 540) solverit, Livius non memoravit lib. XXV, etsi talia diligenter notare solet : et idem sup. XXII, 9, dicit quidem, ludos hos ab Æmilio factos, non vero *in quinquennium votos* fuisse. Inde h. l. suspicari possis : *et in quinquennium vovere*, scil. dictatorem jussit. Id firmatur etiam locis Liv. XXX, 2, 27, et aliis. Cæterum eosdem ludos justo tempore facere jubentur consules XXX, 2; at eo anno, forte prodigiorum causa (quod suspicabatur etiam Pigh. in Annal. ad an. 551, p. 228), non fecisse videntur, sed eorum successores, XXX, 27 extr. Dukeri nota est : « Vero simile est, ludos an. 540, ob causam nobis incognitam non fuisse factos. Hoc satis aperte eo ostendit Livius, quod dictatorem ludos illos fecisse scribit, quos M. Æmilius voverat. Nam hi si an. 540 facti fuissent, haud dubie dixisset, a dictatore illos factos fuisse, qui eo anno in quinquennium voti fuerant. Omnia certe de votivis Apollinaribus diligenter retulit XXV, 12; XXVI, 23; XXVII, 11, 23. » — *Tum dictator et ludos fecit.* Vocem *ludos* ejecerunt Gron. et Crev. quos sequi non ausus est Drak. quum illud in omnibus scriptis reperiret. Ed.

5. *Et ut eos pot. crearent :* dele τὸ *ut* et *crearent;* Gronov. Sed exempla mutatæ formæ orationis laudat Duk. — *Præpropera;* vid. II, 45, n. 4.

dius Nero. Ei collega quærebatur, et virum quidem eum egregium ducebant, sed promptiorem acriorem-que, quam tempora belli postularent, aut hostis Hannibal : temperandum acre ejus ingenium moderató et prudenti viro adjuncto collega censebant. M. Livius erat[1], multis ante annis ex consulatu populi judicio damnatus : quam ignominiam adeo ægre tulerat, ut et rus migraret, et per multos annos et Urbe et omni cœtu careret hominum. Octavo ferme post damnationem anno M. Claudius Marcellus et M. Valerius Lævinus consules reduxerant eum in Urbem : sed erat veste obsoleta capilloque et barba promissa[2], præferens in vultu habituque insignem memoriam ignominiæ acceptæ. L. Veturius et P. Licinius censores eum tonderi, et squalorem deponere, et in senatum venire, fungique aliis publicis muneribus coegerunt. Sed tum quoque aut verbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat[3], donec cognati hominis eum causa, M. Livii Macati, quum fama ejus ageretur, stantem coegit

Cap. XXXIV. 1. *M. Livius erat* talis vir... *ex consulatu damnatus*, etc. vide ad IV, 31, n. 1, et XXII, 35, n. 3 et 4.

2. *Capillo et barba promissa*, etc. vide ad VI, 16, n. 4. — *Et in senatum venire*, etc. Censores non legerant eum in senatum, sed auctores ei fuerant, ut in senatum veniret, non tanquam senator, sed tanquam pedarius ; Sigon. ad h. l. ad XXII, 49, et de Ant. Jur. civ. Rom. II, 2. « Non est probabile, certe ex his verbis ostendi non potest, virum summis honoribus functum nondum in senatum lectum fuisse. Nec Livius dicit, censores ei *auctores fuisse* in senatum veniendi, sed eum *coegisse* id facere. Sententia verborum Livii est, eum, a censoribus in senatum venire coactum, ut animo quomodocumque morem gereret, sententiam rogatum nunquam *stantem*, ut solebant, qui longis orationibus in senatu utebantur, eam dixisse, sed nihil aliud, quam aut verbo aliis assensum fuisse, aut discessione facta, pedibus in aliorum sententiam ivisse. » Duk. *Coegerunt* vel ut virum consularem, vel quod antea in senatum lectus fuerat : alias non *cogi* potuisset. Doer.

3. *Tum quoque aut verbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat*, etc. vid. I, 32, n. 13, et XXII, 49, n. 13. — *Quum fama ejus ageretur ;* vide ad VII, 31, n. 5. — *Stantem in senatu sententiam dicere ;* conf. not. 2, et ad lib. IX, cap. 8, n. 2. —

in senatu sententiam dicere. Tum ex tanto intervallo auditus convertit ora hominum in se, causamque sermonibus præbuit, *indigno injuriam a populo factam, magnoque id damno fuisse, quod tam gravi bello nec opera, nec consilio talis viri usa respublica esset. C. Neroni neque Q. Fabium, neque M. Valerium Lævinum dari collegas posse, quia duos patricios creari non liceret*[4] *: eamdem causam in T. Manlio esse, præterquam quod recusasset delatum consulatum recusaturusque esset. Egregium par consulum fore, si M. Livium C. Claudio collegam adjunxissent.* Nec populus mentionem ejus rei ortam a Patribus est adspernatus: unus eam rem in civitate is, cui deferebatur honos, abnuebat, levitatem civitatis accusans. *Sordidati*[5] *rei non miseritos, candidam togam invito offerre : eodem honores pœnasque congeri. Si bonum virum ducerent, quid ita pro malo ac noxio damnassent? si noxium comperissent, quid ita, male credito priore consulatu, alterum crederent?* Hæc taliaque arguentem et querentem castigabant Patres, *et M. Furium*, memorantes, *revocatum de exsilio, patriam pulsam sede sua restituisse*[6] *: ut parentum sævitiam, sic patriæ, patiendo ac ferendo leniendam esse.* Adnisi omnes cum C. Claudio M. Livium consulem fecerunt.

XXXV. Post diem tertium ejus diei[1] prætorum co-

Convertit ora hominum in se, forte *ora omnium*, scil. senatorum. Drak.

4. *Duos patricios creari non liceret* consules; vide ad VI, 35, n. 4. — Notat Sigonius per hæc tempora nunquam duos patricios consules fuisse; duos vero plebeios in collegio Gracchi et Marcelli comparatos esse. Ed. — *Recusasset delatum consulatum*; v. ad XXVI, 22.

5. *Sordidati rei*; vide ad II, 54, n. 5. — *Invito offerre candidam togam*, candidatorum (vid. Plin. VII, 34), h. e. invitum cogere, ut consulatum petat. Malim *prætextam togam*, i. e. consulatum. Sed Livius *candidam* forte togam *sordidæ* opponere maluit. — *Eodem*, in eumdem; nisi leg. *eidem*.

6. *Patriam pulsam sede sua restituisse M. Furium* Camillum. Cf. VII, 1 extr. Suet. Aug. 28, et Cic. Pis. 22.

Cap. XXXV. 1. *Post diem tertium*

mitia habita : prætores creati L. Porcius Licinus, C. Mamilius, A. et C. Hostilii Catones. Comitiis perfectis ludisque factis, dictator et magister equitum magistratu abierunt. C. Terentius Varro in Etruriam proprætor missus, ut ex ea provincia C. Hostilius Tarentum ad eum exercitum iret, quem T. Quintius consul habuerat[2] : et L. Manlius trans mare legatus iret, viseretque, quæ res ibi gererentur ; simul, quod Olympiæ ludicrum ea æstate futurum erat[3], quod maximo cœtu Græciæ celebraretur, ut, si tuto per hostem posset, adiret id concilium : ut, qui Siculi bello ibi profugi, aut tarentini cives relegati ab Hannibale essent, domos redirent, scirentque, sua omnia, quæ ante bellum habuissent, reddere populum romanum. Quia periculosissimus annus imminere videbatur, neque consules in republica erant, in consules designatos omnes versi, quam primum eos sortiri provincias, et præsciscere[4], quam quisque eorum provinciam, quem hostem haberet, volebant. De reconciliatione etiam gratiæ eorum in senatu actum est, principio facto a Q. Fabio Maximo : inimicitiæ autem[5] nobiles inter eos erant, et acerbiores eas indignioresque Livio sua calamitas fecerat, quod spretum se in ea fortuna credebat. Itaque is magis implacabilis erat, et, *nihil opus esse reconciliatione*, aiebat. *Acrius et intentius omnia gesturos, timentes ne crescendi ex se inimico collegæ potestas fieret.* Vicit tamen auctoritas senatus,

ejus diei; vide ad lib. VI, cap. 1, n. 9.

2. *Quem T. Quintius consul habuerat : et L.* Hæc verba nullo in MS obvia : unde forsan leg. *ad eum exercitum* (qui illic erat) : *L.* (al. *T.*) *Manlius*, etc. Gron.

3. *Quod Olympiæ ludicr. ea æstate futurum erat*, Olymp. 143, 1. Conf. XXVIII, 7 ; sup. ad cap. 30, n. 6, et Schweigh. ad Polyb. IV, 14, 9.

4. *Sortiri provincias, et præsciscere*, præscire, ut XXIX, 14 pr. nisi utrobique leg. *præscire* vel *resciscere*. Conf. tamen et Virg. G. IV, 70, et Colum. IX, 9.

5. *Inimicitiæ autem nobiles* (propr.

ut, positis simultatibus, communi animo consilioque administrarent rempublicam. Provinciæ iis non permixtæ regionibus, sicut superioribus annis, sed diversæ extremis Italiæ finibus, alteri adversus Hannibalem Bruttii, Lucani; alteri Gallia adversus Hasdrubalem (quem jam Alpibus appropinquare fama erat) decreta. Exercitum ex duobus, qui in Gallia quique in Etruria essent[6], addito urbano, eligeret, quem mallet, qui Galliam esset sortitus. Cui Bruttii provincia evenisset, novis legionibus urbanis scriptis, utrius mallet consulum prioris anni, exercitum sumeret. Relictum a consule exercitum Q. Fulvius proconsul acciperet; eique in annum imperium esset: et C. Hostilio, cui pro Etruria Tarentum mutaverant provinciam, pro Tarento Capuam mutaverunt: legio una data, cui Fulvius proximo anno præfuerat.

XXXVI. De Hasdrubalis adventu in Italiam cura in dies crescebat. Massilienſium primum legati nuntiaverant, eum in Galliam transgressum, erectosque adventu ejus, quia magnum pondus auri attulisse diceretur ad mercede auxilia conducenda, Gallorum animos. Missi deinde cum iis legati ab Roma Sex. Antistius et M. Ræcius ad rem inspiciendam[1] retulerant, misisse se cum massiliensibus ducibus, qui per hospites eorum, principes Gallorum, omnia explorata referrent. Pro comperto habere, Hasdrubalem ingenti

noscibiles; hinc in vulgus notæ, ut I, 24; IX, 1; XXII, 43, 50; XXXIX, 4, 9; XL, 45; XLV, 5) *inter eos,* etc. Cf. ad XXII, 35, n. 3, et Val. Max. IV, 2, 2, et VII, 2.

6. *In Etruria essent.* Creverius in Put. et Vict. legi *esset* auctor est; sic et apud Drak. Voss. Lov. 3, 4, et Hav. Ed. — *Utrius mallet consulum prioris anni, exercitum sumeret:* immo eligeret, quem mallet ex tribus exercitibus, scilic. ex duobus consulum prioris anni et ex eo, cui Q. Claudius Tarenti præesset. Conf. cap. 38, et Perizon. Animadv. Hist. cap. 4, pag. 168.

Cap. XXXVI. 1. *Ad rem inspiciendam;* vide ad XXI, 6, n. 4.

jam coacto exercitu proximo vere Alpes trajecturum; nec tum eum quidquam aliud morari, nisi quod clausæ hieme Alpes[2] essent. In locum M. Marcelli P. Ælius Pætus augur creatus inauguratusque; et Cn. Cornelius Dolabella rex sacrorum inauguratus est in locum M. Marcii, qui biennio ante mortuus erat. Hoc eodem anno et lustrum conditum est a censoribus P. Sempronio Tuditano et M. Cornelio Cethego: censa civium capita centum triginta septem millia centum et octo: minor aliquanto numerus, quam qui ante bellum fuerat[3]. Eo anno primum, ex quo Hannibal in Italiam venisset, comitium tectum[4] esse, memoriæ proditum est, et ludos Romanos semel instauratos ab ædilibus curulibus Q. Metello et C. Servilio; et plebeiis ludis biduum instauratum[5] ab Q. Mamilio et M. Cæcilio Metello ædilibus plebis; et tria signa ad Cereris[6] iidem dederunt; et Jovis epulum fuit ludorum causa. Con-

2. *Clausæ hieme Alpes;* vid. XXX, 26, n. 3.

3. *Minor aliquanto numerus, quam qui ante bellum fuerat:* immo pæne duplo minor. Conf. Epit. XX. Immensum quoque differt ab eo, qui lustro seq. XXIX, 37 editur: et tamen nihil variant libri h. l. et in Epit. hujus libri. Drak.

4. *Eo anno primum, ex quo Hannibal in Italiam venisset, comitium* (vide ad I, 36, n. 6) *tectum* tegulis; conf. ad XLII, 3, n. 1 et 3. « Verba *ex quo Hannibal in Ital. ven.* vel otiosa, vel corrupta: certe non patiuntur interpretationem Marliani et Nardini: *comitium eo anno, quo H. in Italiam venit, tectum fuisse.* Nam nec quemquam in designando tempore ita loquutum puto, nec video, cur Livius id demum hoc anno memorare voluerit. Suspicor mutilum esse locum, Liviumque hic non solum de anno, quo tectum comitii perfectum, verum etiam, quo inchoatum est, nempe eo, quo Hannibal in Italiam venit, egisse. Nam non credibile est, illud tam exigui operis fuisse, ut uno alterove anno, præsertim illis angustiis ærarii, absolvi potuerit. » Duker. *Cœptum* post *venisset* excidisse putabat Roellius. Verba autem sic transponebat Crev. *Eo anno primum, ex quo Hann. in Ital. venisset, lustrum conditum est a censoribus* (nam licet ter censores creati sunt, ex quo Hannibal in Italiam venit, hi tamen soli lustrum condidere).....*ante bellum fuerat. Hoc eodem anno et comitium tectum esse*, etc.

5. *Ludos Romanos semel instauratos...et plebeiis ludis biduum instauratum*, etc. vide ad II, 36, n. 1.

6. *Tria signa ad Cereris;* vide ad

sulatum inde ineunt C. Claudius Nero et M. Livius iterum : qui, quia jam designati provincias sortiti erant, prætores sortiri jusserunt. C. Hostilio[7] urbana evenit : addita et peregrina, ut tres in provincias exire possent. A. Hostilio Sardinia, C. Mamilio Sicilia, L. Porcio Gallia evenit. Summa legionum trium et viginti ita per provincias divisa, ut binæ consulum[8] essent, quatuor Hispania haberet, tres prætores binas, in Sicilia, in Sardinia et Gallia, duas C. Terentius in Etruria, duas Q. Fulvius in Bruttiis, duas Q. Claudius circa Tarentum et Sallentinos, unam C. Hostilius Tubulus Capuæ; duæ urbanæ ut scriberentur. Primis quatuor legionibus populus tribunos creavit[9] : in cæteras consules miserunt.

XXXVII. Prius quam consules[1] proficiscerentur, novemdiale sacrum fuit, quia Veiis de cælo lapidaverat. Sub unius prodigii (ut fit) mentionem alia quoque nuntiata; Minturnis ædem Jovis et lucum[2] Maricæ, item Atellæ murum et portam de cælo tacta. Minturnenses, terribilius quod esset, adjiciebant, sanguinis rivum in

I, 33, n. 6, et X, 23, n. 12. — *Cereris iidem.* Forte legendum *ædem* censet Crev. duo enim e nostris codd. *edem*, id est, *ædem*, ut Sigonius et Hearnius edidere. Put. *ad Cereris fidem;* et sic quoque Andreas et Campanus. Ed.

7. *C. Hostilio urbana* provincia (vid. II, 40, n. 9) ... *addita et peregrina, ut,* etc. vid. XXV, 41, n. 8.

8. *Ut binæ consulum essent :* male Pighius *cuique* ante *consulum*, et mox *quisque* ante *binas* inserendum putabat, et mirum, non intellexisse eum vim numerabilium ἐπιμεριζομένων, seu dispertitivorum; Gron.

9. *Primis quatuor legionibus populus tribunos creavit : in cæteras consules miserunt* tribunos militum; vide ad VII, 5, n. 4.

Cap. XXXVII. 1. *Consules proficiscerentur* Urbe in provincias. — *Novemdiale sacrum,* etc. vide ad I, 31, n. 3. — *Quia Veiis de cælo lapidaverat,* ut al. *lapidatum erat,* vel *imbri lapidavit,* quod XLIII, 13, mire dictum pro : pluit imbri lapideo (ut XXX, 38), aut imber lapideus, vel lapides imbris instar de cælo deciderant. Conf. XXIX, 10, 14; XXX, 38; XLIV, 18. — *Sub mentionem* (vide ad II, 55, n. 1) *alia;* de quibus vide ad I, 31, n. 1.

2. *Lucum Maricæ,* deæ Minturnensium, ad Lirim flumen. Conf. Heyn. ad Virg. Æn. VII, 47; Casaub. ad

porta fluxisse : et Capuæ lupus, nocte portam ingressus, vigilem laniaverat. Hæc procurata hostiis majoribus prodigia, et supplicatio diem unum fuit ex decreto pontificum : inde iterum novemdiale [3] instauratum, quod in Armilustro lapidibus visum pluere. Liberatas religione mentes turbavit rursus nuntiatum, Frusinone infantem natum esse quadrimo parem ; nec magnitudine tam mirandum, quam quod is quoque, ut Sinuessæ biennio ante, incertus, mas an femina esset [4], natus erat. Id vero haruspices, ex Etruria acciti, fœdum ac turpe prodigium dicere : extorrem agro romano, procul terræ contactu, alto mergendum. Vivum in arcam condidere, provectumque in mare projecerunt. Decrevere item pontifices, ut virgines ter novenæ, per Urbem euntes, carmen canerent. Id quum in Jovis Statoris æde discerent, conditum ab Livio poeta, carmen [5], tacta de cælo ædes in Aventino Junonis Reginæ : prodigiumque id ad matronas pertinere, haruspices quum respondissent, donoque divam placandam esse; ædilium curulium edicto in Capitolium convocatæ, quibus in urbe romana intraque decimum lapidem ab urbe domicilia essent, ipsæ inter se quinque et viginti

Strab. V, p. 233; Intpp. Hor. Od. III, 17, 7, et Vell. II, 19.

3. *Iterum novemdiale* sacrum *instauratum;* vide ad I, 31, n. 3, et II, 45, n. 10. — *Armilustrum*, locus in Aventino monte et XIII regione Urbis, ubi quotannis d. XIV kal. nov. agebatur *armilustrium* festum, quo ancilia lustrabant Romani et rem divinam armati faciebant; de quo vid. loca obscura Festi, pag. 38, et Varr. L. Lat. IV, 32; V, 3. — *Armilustrum* erat quoque dies festus qui, teste Crev. in kalendario notatur a. d. XIV kal. novembres; sed hic de loco potius mentio fit. Ed. — *Liberatas religione mentes;* vide supra ad II, 5, n. 4, et V, 23, n. 8.

4. *Ut Sinuessæ biennio ante, incertus, mas an femina esset, natus;* vid. cap. 11, n. 5, et ad XXX, 35, n. 4. — *Haruspices ex Etruria acciti*, ut sæpe gravioribus in rebus; vid. ad Cic. de Leg. II, 9, 21.

5. *Conditum ab Livio* Andronico *poeta, carmen* (vox forte del.), quod utinam Livius noster apposuisset! Cf. Fest. v. *Scribæ.* Simile carmen ab *ter novenis virginibus* ob idem prodigium per Urbem cantatum et ab alio poeta

delegerunt, ad quas ex dotibus stipem conferrent: inde donum pelvis aurea facta, lataque in Aventinum, pureque et caste a matronis sacrificatum. Confestim ad aliud sacrificium eidem divæ ab decemviris[6] edicta dies, cujus ordo talis fuit: ab æde Apollinis boves feminæ albæ duæ porta Carmentali in Urbem ductæ: post eas duo signa cupressea Junonis Reginæ portabantur; tum septem et viginti virgines, longam indutæ vestem, carmen in Junonem Reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens[7] et inconditum, si referatur. Virginum ordinem sequebantur decemviri coronati laurea prætextatique. A porta Jugario vico in forum venere: in foro pompa constitit; et, per manus reste data, virgines sonum vocis[8] pulsu pedum modulantes incesserunt: inde vico Tusco Velabroque, per Boarium

confectum memoratur XXXI, 12 extr. unde etiam intelligitur, Livium fuisse antiquum poetam illum, quia *patrum memoria* carmen ab eo conditum dicitur; quod miror non perspexisse Dukerum, qui ad XXXI, 12, hæc notavit: cur *patrum memoria* carmen a Livio conditum dicat, quod septem annis ante hoc tempus factum fuerat, mihi non liquet. Carmen illud hoc anno non a Livio demum factum seu conditum, sed a virginibus cantatum dicitur. — *Stipem conferrent;* vide ad V, 25, n. 3. — *Pureque et caste*, etc. vide ad I, 45, n. 7.

6. *Ab decemviris;* vide ad III, 10, n. 6. — *Ab æde Apollinis porta Carmentali*, per eam, *in Urbem ductæ;* vide ad III, 63, n. 5.

7. *Nunc abhorrens* a nostris ingeniis *et inconditum;* vide ad IV, 20, n. 1. Conf. not. 5. — *Decemviri coronati laurea* (vide ad III, 10, n. 6, et XXIII, 11, n. 7) *prætextatique;* cf. XXXIII, 42, et ad Tac. Annal. II, 14, n. 4. — *A porta* Carmentali *Jugario vico*, per eum, *in forum* romanum. Conf. ad VIII, 15, n. 6.

8. *Per manus reste data, virgines sonum vocis* accinentis et symphoniæ *pulsu*, ictu, *pedum modulantes*, saltando exprimentes, *incesserunt;* ut fere in cordace, comica et lasciva Græcorum saltatione, in qua restim ductantes (Terent. Adelph. IV, 7, 34) manibusque tenentes, κόρδακα ἑλκύοντες καὶ αἰσχρῶς κινοῦντες τὴν ὀσφῦν (vid. Aristoph. Nub. I, 6, 85, 540, ibique Schol.), cum celerrima corporum pedumque agitatione in orbem circumagebantur. Conf. Ernesti Clav. Cic. v. *Cordax;* Casaub. et Fischer. ad Theophr. Char. 6; Meurs. in Orchestra voc. Κόρδαξ; Rambach. ad Potteri Archæol. Gr. t. III, p. 633. Dukeri nota est: « *Per manus dari* ac

forum, in clivum Publicium[9] atque ædem Junonis Reginæ perrectum. Ibi duæ hostiæ ab decemviris immolatæ, et simulacra cupressea in ædem illata.

XXXVIII. Diis rite placatis, delectum consules habebant acrius intentiusque, quam prioribus annis quisquam meminerat habitum : nam et belli terror duplicatus novi hostis[1] in Italiam adventu; et minus juventutis erat, unde scriberent milites. Itaque colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere[2], dare milites cogebant. Quibus recusantibus, edixere in diem certam, ut, quo quisque jure vacationem haberet, ad senatum deferret. Ea die hi populi ad senatum venerunt : Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis, Sinuessanus, et ab supero mari Senensis. Quum vacationes suas quisque populus recitaret[3]; nullius, quum in Italia hostis esset, præter Antiatem Ostiensemque, vacatio observata est, et earum coloniarum juniores jurejurando adacti, supra dies triginta non pernoctaturos se esse extra mœnia coloniæ suæ, donec hostis in Italia esset. Quum omnes censerent, primo *tradi* dicuntur, quæ alius alii in manum dat, porro alii tradenda, ut XXIX, 14; Cæs. Bell. Gall. VII, 25; VIII, 15; Suet. Cal. 51. (Conf. supra ad I, 3, n. 7.) Quanquam hic *restem per manus datam* ita accipio, ut omnes eam manu tenerent, quum prima caput restis secundæ, hæc tertiæ, atque ita porro aliæ aliis, usque ad ultimam tradidissent. Restem autem in saltationibus adhibitam fuisse, docent Intpp. Hor. Ep. I, 10, 48, et Terent. Ad. IV, 7, 34; Gron. in Prol. t. VIII, Antt. Gr.; Nann. Misc. IV, 22; Brod. Misc. I, 29. »

9. *In clivum Publicium;* vide supra ad XXVI, 10, n. 5.

Cap. XXXVIII. 1. *Novi hostis*, Hasdrubalis. Cf. cap. 36.

2. *Sacrosanctam vacationem dicebantur habere coloni maritimi;* conf. XXXVI, 3, et vid. ad II, 8, n. 3, et IV, 26, n. 7. — *Anxuras* (Tarracinensis), forte *Anxurnus*, ut *Tiburnus;* Gronov. — *Senensis* sic dictus a Sena, c. 46, seu *Sena gallica*, et Senogallia in Umbria (hod. *Sinigaglia*), ut *Seniensis* a Sena Julia, opp. Etruriæ, hod. *Siena*. Conf. Schweigh. ad Appian. Hann. 52.

3. *Vacationes suas recitaret*, diceret, quo jure niterentur. — *Earum coloniarum*, Antiatis Ostiensisque, quæ solæ vacationem habere judicatæ

quoque tempore consulibus eundum ad bellum (nam et Hasdrubali occurrendum esse descendenti ab Alpibus, ne Gallos Cisalpinos, neve Etruriam, erectam in spem rerum novarum, sollicitaret; et Hannibalem suo proprio occupandum bello, ne emergere ex [4] Bruttiis atque obviam fratri ire posset), Livius cunctabatur, parum fidens suarum provinciarum exercitibus : collegam ex duobus consularibus egregiis exercitibus et tertio, cui Q. Claudius Tarenti præesset, electionem habere : intuleratque mentionem de volonibus revocandis ad signa. Senatus liberam potestatem consulibus fecit, et supplendi unde vellent, et eligendi de omnibus exercitibus, quos vellent, permutandique, et ex provinciis, quos e republica censerent esse, traducendi : ea omnia cum summa concordia consulum acta. Volones in undevicesimam et vicesimam legiones scripti. Magni roboris auxilia ex Hispania quoque a P. Scipione M. Livio missa quidam ad id bellum auctores sunt; octo millia Hispanorum Gallorumque, et duo millia de legione militum [5], equitum mille, mixtos Numidas Hispanosque : M. Lucretium has copias navibus adduxisse; et sagittariorum funditorumque ad quatuor millia ex Sicilia C. Mamilium misisse.

sunt, verum hac lege, ne *supra dies XXX pernoctarent extra mœnia coloniæ suæ, donec hostis in Italia esset,* ut frequentia efficerent, ne facile urbs intercipi posset; Drak. Vacationem illam non semper duabus coloniis a senatu datam esse, patet ex XXXVI, 3. *Supra quadraginta* (scil. juniores) quidam MSS, prob. Sigon. coll. XXXVI, 3 pr.

4. *Emergere ex Bruttiis;* vide ad II, 29, n. 7. — *Et tertio, cui Q. Claudius Tarenti præesset;* vid. cap. 21, 22, 36. — *Elect. habere*, sc. secum reputans, vel reputabat. — *Volonibus;* vid. XXII, 57, n. 12. — *Quos e rep. censerent esse;* vid. XXII, 39, n. 1.

5. *Duo millia de legione militum* (vide ad XXII, 37, n. 2), etc. Ita optimi MSS, non, ut alii, *de legionibus :* nam habebat sane plus una legione Scipio : sed et uni legioni detracta ea duo millia potest intelligi, et *legio* in genere etiam dicitur exercitus delectu civium conscriptus, ut XLI, 28, et sæpe apud Plautum; Gron. *Milites de legione* h. l. dicuntur milites legionarii; Crev. Mox *ad tria millia* optimi MSS.

XXXIX. Auxerunt Romæ tumultum literæ ex Gallia allatæ ab L. Porcio prætore : *Hasdrubalem movisse*[1] *ex hibernis, et jam Alpes transire; octo millia Ligurum conscripta armataque conjunctura se transgresso in Italiam esse, nisi mitteretur in Ligures, qui eos bello occuparet. Se cum invalido exercitu, quoad tutum putaret, progressurum.* Hæ literæ consules, raptim confecto delectu, maturius, quam constituerant, exire in provincias coegerunt, ea mente, ut uterque hostem in sua provincia contineret[2], neque conjungi, aut conferre in unum vires pateretur. Plurimum in eam rem adjuvit opinio Hannibalis, quod, etsi ea æstate transiturum in Italiam fratrem crediderat, recordando quæ ipse in transitu nunc Rhodani, nunc Alpium, cum hominibus locisque pugnando per quinque menses[3] exhausisset, haudquaquam tam facilem maturumque transitum exspectabat : ea tardius movendi ex hibernis causa fuit. Cæterum Hasdrubali et sua et aliorum spe omnia celeriora atque expeditiora fuere : non enim receperunt modo Arverni eum deinceps aliæ gallicæ atque alpinæ gentes, sed etiam sequutæ sunt ad bellum; et quum per munita pleraque transitu fratris, quæ antea invia fuerant, du-

Cap. XXXIX. 1. *Lit. ex G. all. ab L. P. præt.: Hasd. movisse;* v. II, 3, n. 2; VIII, 19, n. 10, et XXV, 5, n. 4.

2. *Ut uterque hostem in sua provincia contineret*, sc. Claudius Nero Hannibalem et Livius Hasdrubalem. — *Conferre in unum*, scil. locum, ut XXVIII, 3, n. 5; XXX, 11 al.

3. *Per quinque menses*, etc. vide ad lib. XXI, cap. 38, n. 1. Hasdrubal δύο μησὶν, Ἀννίβας ἐξ διῆλθεν, Appian. Bel. Hann. cap. 52. — *Deincepsque aliæ;* vid. I, 21, n. 8. — Rhenanus delet τὸ *aliæ*, quod a suis quibusdam abesse testatur Gronovius, idque recte opinatur, quum nota sit vis particulæ *deinceps*. At vocem impugnatam defendunt exemplis Duk. et Drak. quorum hic affirmat dici optime posse : « Arverni, qui erant Galliæ populus, et postea ordine *aliæ* gentes, etc. » Immo potius vocem illam videri necessariam. Ed. — *Per munita* loca Alpium, ubi viæ *transitu* Hannibalis jam munitæ erant. — *Antea invia.* Mirum prorsus Glareano videtur quo pacto in mentem Livio venerit, ut itinera per Alpes ante Hannibalis trans-

cebat, tum etiam, duodecim annorum assuetudine perviis Alpibus factis, inter mitiora jam hominum transibat ingenia. Invisitati namque[4] antea alienigenis, nec videre ipsi advenam in sua terra assueti, omni generi humano insociabiles erant. Et primo ignari, quo Pœnus pergeret, suas rupes suaque castella et pecorum hominumque prædam peti crediderant : fama deinde punici belli, quo duodecimum annum Italia urebatur, satis edocuerat, viam tantum Alpes esse[5]; duas prævalidas urbes, magno inter se maris terrarumque spatio discretas, de imperio et opibus certare : hæ causæ aperuerant Alpes Hasdrubali. Cæterum quod celeritate itineris profectum erat, id mora ad Placentiam, dum frustra obsidet magis, quam oppugnat, corrupit. Crediderat campestris oppidi[6] facilem expugnationem esse; et nobilitas coloniæ induxerat eum, magnum se excidio ejus urbis terrorem cæteris ratum injecturum. Non ipsum solum ea oppugnatio impediit, sed Hannibalem post famam transitus ejus, tanto spe sua celeriorem, jam moventem ex hibernis, continuerat; quippe reputantem, non solum quam lenta urbium oppugnatio esset, sed etiam quam ipse frustra eamdem illam coloniam, ab Trebia victor regressus, tentasset.

XL. Consules, diversis itineribus profecti ab Urbe, velut in duo pariter bella distenderant curas hominum, simul recordantium, quas primus adventus Hannibalis intulisset Italiæ clades; simul, quum illa

itum invia scribat, quum tamen lib. V, 24, 25, Gallos sæpe transisse Alpes fateatur. De Gallorum antiquiore in Italiam transitu, multi meminere : Cæs. lib. VI, ubi de Volscis Tectosagibus; Plin. XII, 1; Strab. IV. Ed. — *Ducebat;* vide ad I, 23, n. 4.

4. *Inv. n.*, etc. vid. IV, 33, n. 1.

5. *Viam tantum Alpes esse,* Pœnos non id agere, ut alpinis gentibus inferrent bellum, sed ut per eas tantum in Italiam transirent. — *Et opibus;* vide ad I, 4, n. 1.

6. *C. oppidi;* v. XXXVI, 10, n. 3.

angeret cura[1], *quos tam propitios Urbi atque imperio fore deos, ut eodem tempore utrobique respublica prospere gereretur? Adhuc adversa secundis pensando rem ad id tempus extractam esse. Quum in Italia ad Trasimenum et Cannas præcipitasset romana res*[2], *prospera bella in Hispania prolapsam eam erexisse. Postea quam in Hispania alia super aliam clades, duobus egregiis ducibus amissis, duos exercitus ex parte delesset multa, secunda in Italia Siciliaque gesta quassatam rempublicam*[3] *excepisse: et ipsum intervallum loci, quod in ultimis terrarum oris alterum bellum gereretur, spatium dedisse ad respirandum. Nunc duo bella in Italiam accepta, duo celeberrimi nominis duces*[4] *circumstare urbem romanam, et unum in locum totam periculi molem, omne onus incubuisse. Qui eorum prior vicisset, intra paucos dies castra cum altero juncturum.* Terrebat et proximus annus lugubris duorum consulum funeribus: his anxii curis homines digredientes in provincias consules prosequuti sunt. Memoriæ proditum est, plenum adhuc iræ[5] in cives M. Livium, ad bellum proficiscentem, monenti Q. Fabio, *ne prius, quam*

Cap. XL. 1. *Simul, quum illa angeret cura, quos... fore;* observa tam mutatæ quam obliquæ orationis formam pro: simul anxiorum et sollicitorum, qui dii tam propitii futuri essent; Doer. — *Respublica prospere gereretur;* vide ad II, 64, n. 3.

2. *Præcipitasset romana res;* vide ad Præf. n. 13.

3. *Multa, secunda* (res secundæ) *in Italia Siciliaque gesta quassatam remp. excepisse;* vide ad I, 53, n. 5. Distinctio vel ante vel post *multa* poni potest. Vocem *gesta* delendam putat Doer. et Gron. malebat *ex parte delesset multa, secundas in I. S. res conquassatam r. e.*

4. *Duo* (vulg. *duos*) *celeberrimi nominis duces*, Hannibalem Hasdrubalemque, *circumstare urbem romanam*, in anceps periculum adducere, duplici periculo premere, ut *circumvadere* XXXIV, 21, 38; *circumvenire* et alia. Cf. XXXIV, 37 pr.

5. *Plenum adhuc iræ*, etc. Contrarium tradit Sil. XV, 598 sq. — Quidam dant *ira*. Sed, notante Drak., Quintil. Inst. Orat. IX, 3 pr. observat omnes Veteres et Ciceronem præcipue *plenum vini* non *vino* dixisse: ad

genus hostium cognosset, temere manum consereret, respondisse : *Ubi primum hostium agmen conspexisset, pugnaturum.* Quum quæreretur, quæ causa festinandi esset? « Aut ex hoste egregiam gloriam, inquit, « aut ex civibus victis gaudium, meritum certe, « etsi non honestum, capiam. » Prius quam Claudius consul in provinciam perveniret, per extremum finem agri larinatis ducentem in Sallentinos exercitum Hannibalem cum expeditis cohortibus adortus C. Hostilius Tubulus incomposito agmini terribilem tumultum intulit. Ad quatuor millia hominum occidit, novem signa militaria cepit. Moverat ex hibernis ad famam hostis Q. Claudius, qui per urbes agri sallentini castra disposita habebat : itaque, ne cum duobus exercitibus simul confligeret, Hannibal nocte castra ex agro tarentino movit, atque in Bruttios concessit: Claudius in Sallentinos agmen convertit : Hostilius, Capuam petens, obvius ad Venusiam fit consuli Claudio. Ibi ex utroque exercitu electa peditum quadraginta millia, duo millia et quingenti equites, quibus consul adversus Hannibalem rem gereret : reliquas copias Hostilius Capuam ducere jussus, ut Q. Fulvio proconsuli traderet.

XLI. Hannibal, undique contracto exercitu, quem in hibernis aut in præsidiis agri bruttii habuerat, in Lucanos ad Grumentum venit, spe recipiendi oppida, quæ per metum ad Romanos defecissent. Eodem a Venusia consul romanus exploratis itineribus contendit, et mille fere et quingentos passus castra ab hoste locat. Grumenti mœnibus prope injunctum videbatur Pœnorum vallum[1] : quingenti passus inter-

quem tamen locum Burm. notat Rivium ad Sall. Jug. 38 docere, non semper hoc a Cic. observatum. Livius etiam utroque modo passim loquutus est. Ed.

Cap. XLI. 1. *Grumenti mœnibus*

erant. Castra punica ac romana inter jacebat campus; colles imminebant nudi sinistro lateri Carthaginiensium, dextro Romanorum, neutris suspecti, quod nihil silvæ neque ad insidias latebrarum habebant. In medio campo ab stationibus procursantes certamina, haud satis digna dictu, ferebant: id modo Romanum quærere apparebat, ne abire hostem pateretur. Hannibal, inde evadere cupiens, totis viribus in aciem descendebat. Tum consul, ingenio hostis[2] usus, quo minus in tam apertis collibus timeri insidiæ poterant, quinque cohortes, additis quinque manipulis, nocte jugum superare, et in aversis vallibus[3] considere jubet. Tempus exsurgendi ex insidiis et aggrediendi hostem Ti. Claudium Asellum tribunum militum et P. Claudium præfectum socium edocet, quos cum iis mittebat. Ipse luce prima copias omnes peditum equitumque in aciem eduxit. Paulo post et ab Hannibale signum pugnæ propositum est, clamorque in castris ad arma discurrentium est sublatus. Inde eques pedesque certatim portis ruere, ac palati per campum properare ad hostes: quos ubi effusos consul videt, tribuno militum tertiæ legionis C. Aurunculeio imperat, ut equites legionis, quanto maximo im-

prope injunctum (vid. ad IV, 9, n. 8) *videbatur Pœnorum vallum*, ex opinione Romanorum hostis castra procul contemplantium: sed revera *D passus intererant;* Gronov. — *Nihil silvæ, neque latebrarum*, ut sæpe *nec, neque* similesque particulæ post negationem pro simpl. particula copulante vel disjungente ponuntur; Duk. et Drak. Conf. II, 30, n. 4; IV, 60, n. 3; Cic. Parad. I, 4; Sallust. Cat. et Jug. 41, 53, 68, 88.

2. *Ingenio hostis*, solita Hannibalis arte, calliditate.

3. *In aversis vallibus*, quæ post jugum vel colles jacebant; Drak. Cf. ad V, 29, n. 1. — Mox plures Drakenborchii MSS dant *aggredi*, quod ipsi non displicet: neque constructionis mutatio, *tempus exsurgendi et aggredi* offendere debet. Ita enim supra fere VI, 24, *non castigando, sed ab imperio totus ad preces versus orare*, etc. Omni ratione id ubique egit Livius, ut orationem quavis varietate distinguat. Si quis tamen vulgatum præstare contendat, fatetur Drak. se non adversari. Ed.

petu possit, in hostem emittat : ita pecorum modo incompositos toto passim campo se fudisse[4], ut sterni obterique, prius quam instruantur, possint.

XLII. Nondum Hannibal e castris exierat, quum pugnantium clamorem audivit : itaque, excitus tumultu, raptim ad hostem copias agit. Jam ' primos occupaverat equester terror : peditum etiam prima legio et dextra ala prælium inibant. Incompositi hostes, ut quemque aut pediti, aut equiti casus obtulit, ita conserunt manus. Crescit pugna subsidiis, et procurrentium ad certamen numero augetur ; pugnantesque (quod nisi in vetere exercitu et dùci veteri haud facile est) inter tumultum ac terrorem instruxisset Hannibal, ni cohortium ac manipulorum decurrentium per colles clamor, ab tergo auditus, metum, ne intercluderentur a castris, injecisset : inde pavor incussus, et fuga passim fieri cœpta est : minorque cædes fuit, quia propinquitas castrorum breviorem fugam perculsis fecit. Equites enim tergo inhærebant[2]; in transversa latera invaserant cohortes, secundis collibus via nuda ac facili decurrentes. Tamen supra octo millia hominum occisa, supra septingentos capti, signa militaria novem adempta; elephanti etiam, quorum nullus usus in repentina ac tumultua-

4. *Toto passim campo se fudisse,* per eum effusos palari hostes, sc. dicens. Conf. I, 14, n. 7. — *Obteri,* perdi (vid. IX, 38, n. 5), vel proculcari, ut VII, 23; XXVIII, 23; XXXVII, 44.

Cap. XLII. 1. *Jam primos,* Pœnos in prima acie stantes, *occupaverat,* ceperat, invaserat (ut V, 36, al.), *equester terror,* ab equitibus rom. injectus; vid. X, 5, n. 4. *Equestris terror* multi MSS et edd. vide ad c. 1, n. 7. Optimi codd. *eques terror* (unde efficta lectio nostra), et plerique *equites terror :* quædam edd. *equitis terror.* Mox *procurrentium ad cert. numero augetur* judice Crev. glossema, verbis præc. *crescit pugna subsidiis* adscriptum.

2. *Eq. enim tergo inhærebant,* etc. Hinc major cædes fuisset, nisi castra fuissent propinqua. — *Secundis collibus,* de collibus declivibus. Proprie *secunda aqua, æstus, mare* dicuntur XXI, 47; XXIII, 41; XXIX, 7. — *Via nuda;* vide ad XXI, 37, n. 3.

ria pugna fuerat, quatuor occisi, duo capti : circa quingentos Romanorum sociorumque victores ceciderunt [3]. Postero die Pœnus quievit : Romanus, in aciem copiis eductis, postquam neminem signa contra efferre vidit, spolia legi cæsorum hostium, et suorum corpora collata in unum sepeliri jussit. Inde insequentibus continuis diebus aliquot ita institit portis, ut prope inferre signa videretur ; donec Hannibal tertia vigilia, crebris ignibus tabernaculisque, quæ pars castrorum ad hostes vergebat, et Numidis paucis, qui in vallo portisque se ostenderent, relictis, profectus Apuliam petere intendit [4]. Ubi illuxit, successit vallo romana acies ; et Numidæ ex composito paulisper in portis se valloque ostentavere, frustratique aliquandiu hostes, citatis equis agmen suorum assequuntur. Consul, ubi silentium in castris, et nè paucos quidem, qui prima luce obambulaverant, parte ulla cernebat, duobus equitibus speculatum in castra præmissis, postquam satis tuta omnia esse exploratum est, inferri signa jussit ; tantumque ibi moratus, dum milites ad prædam discurrunt, receptui deinde cecinit, multoque ante noctem copias reduxit. Postero die prima luce profectus, magnis itineribus famam et vestigia agminis sequens, haud procul Venusia hostem assequitur. Ibi quoque tumultuaria pugna fuit ; supra duo millia Pœnorum cæsa : inde nocturnis montanisque itineribus Pœnus, ne locum pugnandi daret,

3. *Circa* (circiter, ut XLV, 34) *D Romanorum s. victores ceciderunt :* ita Put. Sic et multi MSS, sed omisso *D ;* unde Muret. var. lectt. XVI, 8, putabat, pro *victores* olim fuisse VICTI et leg. *sexcenti.* Quidam libri *Rom. soc. ducenti ceciderunt*, prob. Crev. cui vox *victores* otiosa videbatur. Tò *circa* displicebat Drak. isque plures etiam Romanorum cecidisse credebat. Inepta et particula *circa* quarto casui juncta, et vox *victores*, ac forte leg. *circiter quingentos R. s. v. ceciderunt*, h. e. occiderunt ; Doer.

4. *Apuliam petere intendit ;* vid. ad IV, 19, n. 1.

Metapontum petiit. Hanno inde (is enim præsidio ejus loci præfuerat[5]) in Bruttios cum paucis ad exercitum novum comparandum missus. Hannibal, copiis ejus ad suas additis, Venusiam retro, quibus venerat itineribus, repetit[6], atque inde Canusium procedit. Nunquam Nero vestigiis hostis abstiterat; et Q. Fulvium, quum Metapontum ipse proficisceretur, in Lucanos, ne regio ea sine præsidio esset, arcessierat.

XLIII. Inter hæc ab Hasdrubale, postquam a Placentiæ obsidione[1] abscessit, quatuor galli equites, duo numidæ, cum literis ad Hannibalem missi, quum per medios hostes totam ferme longitudinem Italiæ emensi essent, dum Metapontum cedentem Hannibalem sequuntur, incertis itineribus Tarentum delati, a vagis per agros pabulatoribus romanis ad Q. Claudium proprætorem deducuntur. Eum primo incertis implicantes responsis, ut metus tormentorum admotus fateri vera coegit, edocuerunt, literas se ab Hasdrubale ad Hannibalem ferre. Cum iis literis, sicut erant, signatis, L. Virginio tribuno militum ducendi ad Claudium consulem traduntur. Duæ simul turmæ Samnitium præsidii causa missæ: qui ubi ad consulem pervenerunt, literæque lectæ per interpretem sunt, et ex captivis percunctatio facta, tum Claudius, non id tempus esse reipublicæ ratus, quo consiliis ordinariis provinciæ suæ quisque finibus[2] per exercitus suos cum hoste destinato ab senatu bellum ge-

5. *Præsidio ejus loci præfuerat;* vide ad IX, 31, n. 1.

6. *Ven. r. repetit;* vid. II, 45, n. 10.

Cap. XLIII. 1. *A Placentiæ obsidione;* vid. cap. 39. — Rhenanus, e libro suo, cum quo consentiunt Pall. 2 et 3, *ad Plac. obsidionem accessit:* quam lectionem miratur, cur quisquam mutare ausus fuerit, quasi non potuerit Hasdrubal, ad obsidionem Placentiæ accedens, quam non putabat longi negotii futuram, præmittere equites cum literis ad fratrem. Sed vulgato standum. Ed.

2. *Prov. suæ quisque finibus*, etc. vide ad X, 18, n. 8.

reret, audendum aliquid improvisum[3], inopinatum; quod cœptum non minorem apud cives, quam hostes terrorem faceret, perpetratum in magnam lætitiam ex magno metu verteret; literis Hasdrubalis Romam ad senatum missis, simul et ipse Patres conscriptos, quid pararet, edocet, ut, quum in Umbria se occursurum Hasdrubal fratri scribat, legionem a Capua Romam arcessant; delectum Romæ habeant; exercitum urbanum ad Narniam hosti opponant: hæc senatui scripta. Præmissi item per agrum larinatem, marrucinum, frentanum, prætutianum, qua exercitum ducturus erat, ut omnes ex agris urbibusque commeatus paratos militi ad vescendum in viam deferrent, equos jumentaque alia producerent, ut vehiculorum fessis copia esset. Ipse de toto exercitu civium sociorumque, quod roboris erat, delegit, sex millia peditum, mille equites[4]: pronuntiat, occupare se in Lucanis proximam urbem punicumque in ea præsidium velle, ut ad iter parati omnes essent. Profectus nocte flexit[5] in Picenum; et consul quidem, quantis maximis itineribus poterat, ad collegam ducebat, relicto Q. Catio legato, qui castris præesset.

XLIV. Romæ haud minus terroris ac tumultus

3. *Audendum aliquid improvisum, inopinatum;* vide ad XXIV, 27, n. 3. *Aud. ac novandum*, in quibusdam MSS, h. e. faciendum nullo ante exemplo; faciendum, quod adhuc a nemine factum esset; Bauer. — Sic apud Virg. Æn. IX, 186, *aliquid invadere magnum Mens agitat mihi*, inquit Nisus. Ed. — *Quod cœptum*, cœptatum, tentatum. — *Delectum Romæ habeant* tutandæ urbis causa, cui una legio Hostilii Tubuli non sufficere videbatur: nam plerumque duæ legiones ad præsidium Urbis scribebantur; Duk. Idem conj. *edocet, et* (scil. monet) *ut*, etc. Quidam vett. libri post *edocet* inserunt *monet*, alii *monetque*. Nil desiderari putat Doer.

4. *Sex millia peditum, mille equites;* cf. Front. Strat. I, 1, n. 9, qui decem millia dicit delecta.

5. *Profectus nocte flexit* se, seu iter *in Picenum; et consul quidem* (hæc duo verba glossam redolent)... *ad collegam ducebat;* vid. supra ad lib. I, cap. 23, n. 4.

erat, quam fuerat biennio ante[1], quum castra punica objecta romanis mœnibus portisque fuerant; neque satis constabat animis, tam audax iter consulis laudarent vituperarentne. Apparebat (quo nihil iniquius est) ex eventu famam habiturum[2]. *Castra prope Hannibalem hostem relicta sine duce cum exercitu, cui detractum foret omne, quod roboris, quod floris fuerit; et consulem in Lucanos ostendisse iter*[3], *quum Picenum et Galliam peteret, castra relinquentem nulla alia re tutiora, quam errore hostis, qui ducem inde atque exercitus partem abesse ignoraret. Quid futurum, si id palam fiat, et aut insequi Neronem, cum sex millibus armatorum profectum, Hannibal toto exercitu velit, aut castra invadere, prædæ relicta, sine viribus, sine imperio, sine auspicio?* Veteres ejus belli clades, duo consules proximo anno interfecti terrebant. *Et ea omnia accidisse, quum unus imperator, unus exercitus hostium in Italia esset: nunc duo bella punica facta, duos ingentes exercitus, duos prope Hannibales in Italia esse. Quippe et Hasdrubalem, patre eodem Hamilcare genitum, æque impigrum ducem, per tot in Hispania annos romano exercitatum bello, gemina victoria insignem*[4], *duobus*

Cap. XLIV. 1. *Quam fuerat biennio ante*, etc. vid. ad XXVI, 9 sq. Pro *biennio* leg. *quadriennio;* Glar. et Drak. Immo *triennio*, si non numerantur extrema, et *quinquennio*, si eorum ratio habetur; Crev. — *Constabat animis;* vide supra ad librum IV, cap. 13, n. 6.

2. *Apparebat (quo nihil iniquius est) ex eventu famam habiturum* iter. Cf. loca similia Plin. Epit. V, 21 extr. Plaut. Pseud. II, 3, 12 sq. et Cic. pro Rabir. Post. 1.

3. *Ostendisse iter;* vide ad IV, 59, n. 2. — *Nulla alia re tutiora*, forte *tuta:* nam quum comparativus sic ponitur, significare solet, et alia esse, quibus tuta res sit, hoc autem præcipue tutum esse; adeoque securitatis notionem affert et auget; at h. l. minuitur ac pæne tollitur securitas, et in una aliqua re, eaque levi et incerta, ponitur; Bauer. — *Abesse;* quidam MSS *abisse.* — *Sine imperio, sine auspicio*, ob discessum consulis. Cf. ad V, 46, n. 10.

4. *Gemina victoria insignem*, etc. vid. XXV, 34, 36.

exercitibus cum clarissimis ducibus deletis. Nam itineris quidem celeritate ex Hispania et concitatis ad arma gallicis gentibus multo magis, quam Hannibalem ipsum, gloriari posse. Quippe in iis locis hunc coegisse exercitum, quibus ille majorem partem militum fame ac frigore, quæ miserrima mortis genera sunt, amisisset. Adjiciebant etiam periti rerum Hispaniæ, *haud cum ignoto duce C. Nerone congressurum; sed quem in saltu impedito*[5] *deprehensus forte, haud secus quam puerum, conscribendis fallacibus conditionibus pacis frustratus elusisset.* Omnia majora etiam vero præsidia hostium, minora sua, metu interprete, semper in deteriora inclinato, ducebant.

XLV. Nero, postquam jam tantum intervalli ab hoste fecerat[1], ut detegi consilium satis tutum esset, paucis milites alloquitur. Negat *ullius consilium imperatoris in speciem audacius, re ipsa tutius fuisse, quam suum. Ad certam eos se victoriam ducere: quippe ad quod bellum collega non ante, quam ad satietatem ipsius peditum atque equitum datæ ab senatu copiæ fuissent majores instructioresque, quam si adversus ipsum Hannibalem iret, profectus sit, eo ipsos, quantumcumque virium momentum addiderint*[2]*, rem omnem inclinaturos. Auditum modo in acie (nam, ne ante audiretur, daturum operam), alterum consulem et alterum exercitum advenisse,*

5. *Quem in saltu impedito*, etc. vid. XXVI, 17, et ad IX, 2, n. 5.— *Metu interprete*, judicia iis suggerente ac regente. — Quidquid virium haberent hostes, augebant Romani, metu interprete; quidquid autem ipsi haberent, minuebant, fortunæ suæ jam non fidentes. Ed.

Cap. XLV. 1. *Postq. jam tantum intervalli ab hoste fecerat*, confecerat, absolverat, nactus erat; Bauer.

2. *Virium momentum addiderint*, cumulum, vim auctam virium jam sat validarum, *Uebergewicht;* Bauer. Cf. ad I, 47, n. 7. — *Eo*, in eo bello, *ipsos rem omnem inclinaturos*, summam rei dirempturos, *sie würden der Sache den Ausschlag geben;* Doer. Conf. ad IX, 12, n. 2. — *Auditum;* vide supra ad lib. I, cap. 53, n. 1. —

haud dubiam victoriam facturum. Famam bellum conficere, et parva momenta in spem metumque impellere animos. Gloriæ quidem ex re bene gesta partæ fructum prope omnem ipsos laturos: semper, quod postremum adjectum sit, id rem totam videri traxisse. Cernere ipsos, quo concursu, qua admiratione, quo favore hominum iter suum celebretur. Et, hercule, per instructa omnia ordinibus virorum[3] mulierumque, undique ex agris effusorum, inter vota et preces et laudes ibant : illos præsidia reipublicæ, vindices urbis Romæ imperiique appellabant : in illorum armis dextrisque suam liberumque suorum salutem ac libertatem repositam esse. Deos omnes deasque precabantur, ut illis faustum iter, felixque pugna, matura ex hostibus victoria esset, damnarenturque ipsi votorum[4], quæ pro iis suscepissent; ut, quemadmodum nunc solliciti prosequerentur eos, ita paucos post dies læti ovantibus victoria obviam irent. Invitare inde pro se quisque, et offerre, et fatigare precibus, ut, quæ ipsis jumentisque usui essent, ab se potissimum su-

Famam bellum conficere, et parva momenta, etc. vide ad III, 27, n. 6; XXXIV, 12, n. 2, et conf. Senec. Ep. XIII. — Ejusdem fere modi res narratur de profectione Henrici quarti ad Angliæ reginam; *Voltaire, Henriade, chant I :*

Les soldats étonnés ignorent son dessein,
Et tous de son retour attendent leur destin.
Il marche. Cependant la ville criminelle
Le croit toujours présent, prêt à fondre sur elle;
Et son nom, qui du trône est le plus ferme appui,
Semait encore la crainte, et combattait pour lui.

Ed.

— *Gloriæ ex re bene gesta partæ*, forte *speratæ;* Gronov. « Sed gloriæ, quæ adhuc speratur, nullus vel certe non magnus *fructus* est; nec obest, quod *gloria parta* dicitur, quæ adhuc sperabatur : nam hic est frequens usus perfecti, ut et in eo, quod dicit *ex re bene gesta*, i. e. si res bene gesta fuisset; de quo non dubitabat Nero, qui jam certam victoriam animo præsumpserat »; Duker. *Partæ* pro *pariendæ*, quæ pareretur; Jac. Gron. Conf. ad V, 36, n. 3. — *Rem totam videri traxisse;* vide ad IX, 18, n. 14.

3. *Per instructa*, circumsessa, *omnia* loca, itinera, *ordinibus virorum mul.*, plena, referta, occupata, certo quidem modo, utrimque stantium ordine *(postés en haie, besezt) ibant*, id est, quacumque ibant, seu irent, instructa omnia erant, etc. Bauer.

4. *Damn. votorum;* vid. V, 25, n. 2.

merent : benigne omnia cumulata dare. Modestia certare milites, ne quid ultra usum necessarium sumerent : nihil morari, nec ab signis absistere [5] cibum capientes : diem ac noctem ire : vix, quod satis ad naturale desiderium corporum esset, quieti dare. Et ad collegam præmissi erant, qui nuntiarent adventum, percunctarenturque, clam an palam, interdiu an noctu, venire sese vellet, iisdem an aliis considere castris : nocte clam ingredi melius visum est.

XLVI. Tessera per castra ab Livio consule data erat [1], ut tribunum tribunus, centurio centurionem, eques equitem, pedes peditem acciperet. Neque enim dilatari castra opus esse, ne hostis adventum alterius consulis sentiret; et coarctatio plurium in angusto tendentium [2] facilior futura erat, quod claudianus exercitus nihil ferme, præter arma, secum in expeditionem tulerat. Cæterum in ipso itinere auctum voluntariis agmen erat; offerentibus sese ultro et veteribus militibus perfunctis jam militia, et juvenibus, quos certatim nomina dantes [3], si quorum corporis species roburque virium aptum militiæ videbatur, conscripserat. Ad Senam castra alterius consulis erant;

5. *Nec ab signis absistere:* in multis optimisque MSS *subsistere;* unde Gron. post hæc verba excidisse putabat *nec subsistere :* duo enim esse diversa, excedere ex ordinibus et subsistere cibi capiendi gratia; utrumque autem de illis negatum mirificam prodere diligentiam. Probarunt hæc Crev. et Drak. Contra monet Bauer., diversa quidem esse ista duo, at non h. l., ubi nulla conditio absistendi a signis fuerit, nisi ut cibum caperent, *absistere* autem hic dictum esse pro abire, recedere, remotius consistere, *wegtreten.*

Cap. XLVI. 1. *Tessera per castra data;* vid. VII, 35, n. 1, et XXVIII, 24, n. 6. — Tesseras duplices fuisse notat Drak. quem vide ad Sil. VII, 547 : alteræ erant signa nocturnis excubiis data; alteræ, quibus imperator indicabat militibus, quid fieri vellet. De posterioribus hic agitur. Ed. — *Neque enim dilatori castra,* etc. conf. Front. Strat. I, 1, 9, et II, 3, 12.

2. *In angusto* loco *tendentium;* vid. ad XXV, 6, n. 10; XXVI, 17, n. 3; XXVII, 46, n. 2.

3. *Cert. nomina dantes;* vid. I, 11, n. 3. — *Ad Senam;* vid. ad c. 38, n. 2. Inde *prælium senense* ap. Cic. Brut. 18.

et quingentos inde ferme passus Hasdrubal aberat: itaque quum jam appropinquaret, tectus montibus substitit Nero, ne ante noctem castra ingrederetur. Silentio ingressi, ab sui quisque ordinis hominibus in tentoria abducti[4], cum summa omnium lætitia hospitaliter excipiuntur. Postero die consilium habitum, cui et L. Porcius Licinus prætor adfuit. Castra juncta consulum castris habebat, et ante adventum eorum, per loca alta ducendo exercitum, quum modo insideret angustos saltus, ut transitum clauderet, modo ab latere aut ab tergo carperet agmen, ludificatus hostem omnibus artibus belli fuerat: is tum in consilio aderat. Multorum eo inclinant sententiæ, ut, dum fessum via ac vigiliis reficeret militem Nero, simul et ad noscendum hostem paucos sibi sumeret dies, tempus pugnæ differretur. Nero non suadere modo, sed summa ope orare institit, *ne consilium suum, quod tutum celeritas fecisset, temerarium morando facerent. Errore (qui non diuturnus futurus esset) velut torpentem Hannibalem nec castra sua sine duce relicta aggredi*[5], *nec ad sequendum se iter intendisse. Antequam se moveat, deleri exercitum Hasdrubalis posse, redirique in Apuliam. Qui prolatando spatium hosti det, eum et illa castra prodere Hannibali, et aperire in Galliam iter, ut per otium, ubi velit, Hasdrubali conjungatur. Extemplo*

4. *Silentio ingressi, quisque abducti;* vide supra ad I, 59, n. 3. — *Carperet agmen;* vide ad III, 5, n. 1.

5. *Nec castra sua ... aggredi*, scil. interim, dum ipse absit: quod noto, ne quis obtendatur sequenti *intendisse*; Bauer. — *Nec ad sequendum se iter intendisse;* vide ad IV, 19, n. 1. — *Deleri:* al. *delere*, scil. se. Atqui verba sunt indigna Nerone consule, ut, ubi alterius consulis, ubi prætoris tantum momentum futurum erat, ibi is sibi attribuat in consilio totam gloriam; Gron. In optimis MSS *delerique in Apuliam* omissis mediis verbis. Hinc Gron. conj. *antequam se moveat, debellari posse redirique in Apuliam.* Nos pro vulg. *redireque* (scil. se) reposui-

signum dandum, et exeundum in aciem, abutendumque errore hostium[6] *absentium præsentiumque, dum neque illi sciant cum paucioribus, nec hi cum pluribus et validioribus rem esse.* Consilio dimisso, signum pugnæ proponitur, confestimque in aciem procedunt.

XLVII. Jam hostes ante castra instructi stabant : moram pugnæ attulit, quod Hasdrubal, provectus ante signa cum paucis equitibus, scuta vetera hostium[1] notavit, quæ ante non viderat, et strigosiores equos : multitudo quoque major solita visa est. Suspicatus enim id, quod erat, receptui propere cecinit, ac misit ad flumen, unde aquabantur, ubi et excipi aliqui possent, et notari oculis, si qui forte adustioris coloris[2], ut ex recenti via, essent ; simul circumvehi procul castra jubet specularique, num auctum aliqua parte sit vallum, et ut attendant, semel bisne signum canat in castris[3]. Ea quum ordine omnia relata essent, castra nihil aucta[4] errorem faciebant. Bina erant, sicut ante adventum consulis alterius fuerant, una

mus *redirique*, cui et *que*, ob accentum, mollius jungi monet Bauer.

6. *Abut. errore hostium*, ignorantia eorum (*dum neque illi sciant*, etc.) prudenter utendum, commodum inde capiendum. Cf. ad XXXI, 33, n. 2, et XXXV, 12, n. 6. *Hostium absentium*, Hannibalis militumque ejus ; *præsentium*, Hasdrubalis.

Cap. XLVII. 1. *Scuta vet. hostium*, militum Neronis, magnam partem veteranorum, ex duobus consularibus egregiis exercitibus et tertio, cui Q. Claudius Tarenti præfuerat, electorum ; vid. cap. 38. — *Strigosioresque equos*, quorum cutis et corpora fame continuisque itineris laboribus valde stricta seu constricta, adducta contractaque, adeoque justo magis tenuia et macilenta, vel macie confecta essent : unde *strigosum et male habitum equum* Sabinus Masurius opposuit *uberrimo et habitissimo* apud Non. Marcell. p. 196, et Gell. IV, 20. Cf. Sil. XV, 604 sq. (qui *substrictos corpus* equos virosque dicit) et Frontin. Strat. I, 2, 9, qui tamen I, 1, 9, alios auctores sequutus, Hasdrubalem tradit *inscium* fuisse adventus Neronis.

2. *Adustioris coloris*, etc. ut apud Front. I, 2, 9, *coloratiora hominum, ut ex via, corpora.*

3. *Semel bisne signum canat in castris ;* cf. not. 5, et ad VII, 35, n. 2 ; VII, 40, n. 4 ; Sil. l. l. et Mil. Rom. V, 9.

4. *Castra nihil aucta* (vide ad I, 53, n. 1) *errorem faciebant*, dubita-

M. Livii, altera L. Porcii; neutris quidquam, quo latius tenderetur, ad munimenta adjectum. Illud veterem ducem assuetumque romano hosti movit, quod semel in prætoriis castris signum [5], bis in consularibus referebant cecinisse. Duos profecto consules esse; et, quonam modo alter ab Hannibale abscessisset, cura angebat. Minime id, quod erat, suspicari poterat, tantæ rei frustratione Hannibalem elusum, ut, ubi dux, ubi exercitus esset, cum quo castra collata haberet, ignoraret: profecto haud mediocri clade absterritum insequi non ausum. Magnopere vereri, ne perditis rebus serum ipse auxilium venisset, Romanisque eadem jam fortuna in Italia, quæ in Hispania, esset. Interdum, literas suas ad eum non pervenisse, credere, interceptisque iis, consulem ad sese opprimendum accelerasse. His anxius curis, exstinctis ignibus, vigilia prima dato signo, ut taciti vasa [6] colligerent, signa ferri jussit. In trepidatione et nocturno tumultu duces parum intente asservati, alter in destinatis jam ante animo latebris subsedit, alter per vada nota Metaurum flumen tranavit. Ita desertum a ducibus agmen primo per agros palatur; fessique aliquot somno ac vigiliis sternunt corpora passim, atque infrequentia

tionem, fecerunt, ut dubitaret, incertus esset. Conf. ad IX, 15, n. 7.

5. *Semel in pr. castris signum*, etc. vid. not. 3. — *Duos profecto consules esse*, scilic. referebant; aut putabat, suspicabatur, sibi persuadebat. *Et... cura angebat;* forte *at* vel *ea* pro *et*. Mox *tantæ rei frustratione*, occultatione, ignoratione, ita perfecta re, ut hostem falleret; Bauer. — *Castra collata haberet*. Hæc est Rhenani correctio, quum multi optimæque notæ codices, Put. Victor. aliique ferant *habuerit*. Et hoc tuetur Creverius. Eo enim tempore, quum Hasdrubal hæc secum volutat, non habebat castra Hannibal collata cum Nerone; aut cum eo exercitu quem Nero secum abduxerat. Ed.

6. *Ut taciti vasa colligerent;* vide ad I, 24, n. 7. — *Signa ferri;* vide ad III, 54, n. 5. — *Duces* bini itineris *parum intente*, diligenter, *asservati*, observati, aufugere. Cf. Veget. III, 6. — *Metaurum flumen* Umbriæ (hod. *Metro*, seu *Metaro*), Hasdrubalis clade

relinquunt signa[7]. Hasdrubal, dum lux viam ostenderet, ripa fluminis signa ferri jubet; et per tortuosi amnis sinus flexusque errorem volvens[8] haud multum processit, ubi prima lux transitum opportunum ostendisset, transiturus. Sed quum, quantum mare abscedebat[9], tanto altioribus coercentibus amnem ripis, non inveniret vada, diem terendo spatium dedit ad insequendum sese hosti.

XLVIII. Nero primum cum omni equitatu advenit: Porcius deinde assequutus cum levi armatura[1]: qui quum fessum agmen carperent ab omni parte incursarentque, et jam, omisso itinere, quod fugæ simile erat, castra metari Pœnus, in tumulo super fluminis ripam vellet; advenit Livius peditum omnibus copiis, non itineris modo, sed ad conserendum extemplo prælium instructis armatisque. Sed ubi omnes copias conjunxerunt, directaque acies est, Claudius dextro in cornu, Livius ab sinistro pugnam instruit: media acies prætori tuenda datur. Hasdrubal, omissa muni-

nobilitatum, ut Sena. (Conf. c. 46, n. 3.) *Metaurum* adjective dicitur Hor. Od. IV, 4, 38.

7. *Infrequentia relinquunt signa*; vid. VII, 8, n. 4. — *Ripa fluminis signa ferri jubet*, i. e. per ripam, ad longitudinem, tenorem ripæ, *längst dem Ufer hin*; Bauer. Verba *ripa fluminis* ab optimis MSS absunt, prob. Gron. qui tamen malebat *statim signa ferri* (perseveranter iter facere), vel *vadum* pro *viam*.

8. *Per tortuosi amnis sinus flexusque errorem volvens*, incedens per varios orbes et incertos; Bauer. Sic βάσιν κυκλοῦν in Soph. Ajace. Conf. supra ad II, 50, n. 6; Sil. XV, 618 sq. et Gron. ad h. l. *Errore volvens* (scilic. se, se implicans et circumagens) plures MSS, non improb. Doer.

9. *Quantum mare abscedebat*, permutate dictum pro: a mari flumen abscedebat, vel ipsi a mari abscedebant: nisi forte est, cui placeat *mari*, seu ad flumen seu ad Hasdrubalem relaturo *abscedebat*; Bauer. *Mare* pro *in mare* positum putabat Ern. Sed potius *abscedere*, *recedere*, *discedere* et *diffugere* dicuntur ea, a quibus nos recedimus; vide ad Sil. III, 157. Simplicius tamen est *mari* vel *a mari a.*, quod quidam MSS et plerique editi exhibent.

Cap. XLVIII. 1. *Cum levi armatura*; vide supra ad XXI, 55, n. 2. — *Fessum agmen carperent*; vide ad III, 5, n. 1. — *Omnibus copiis*; vide ad I, 14, n. 4. — *Non itineris modo*,

tione castrorum, postquam pugnandum vidit [2], in prima acie ante signa elephantos collocat. Circa eos lævo in cornu adversus Claudium Gallos opponit, haud tantum eis fidens, quantum ab hoste timeri eos credebat. Ipse dextrum cornu adversus M. Livium sibi atque Hispanis (et ibi maxime in vetere milite spem habebat) sumpsit. Ligures in medio post elephantos positi; sed longior, quam latior, acies erat; Gallos prominens collis tegebat : ea frons, quam Hispani tenebant [3], cum sinistro Romanorum cornu concurrit. Dextra omnis acies extra prælium eminens cessabat : collis oppositus arcebat, ne aut a fronte, aut ab latere aggrederentur. Inter Livium Hasdrubalemque ingens contractum certamen erat, atroxque cædes utrimque edebatur. Ibi duces ambo, ibi pars major peditum equitumque romanorum; ibi Hispani, vetus miles peritusque romanæ pugnæ, et Ligures, durum in armis genus [4]. Eodem versi elephanti,

proficiscentium ritu, qui plerumque arma sua gestant ab humeris suspensa; Rhen. Cf. ad XXI, 33, n. 7. *Itineri* edd. antt.

2. *Postquam pugnandum vidit* Hasdrubal, etc. de qua pugna ad Metaurum et Senam conf. Polyb. XI, 1-3. — *Elephantos* decem ap. Polyb. quindecim ap. Appian. Bell. Hannib. 52. — *Ipse dextrum cornu*, etc. mediam aciem ap. Polyb.

3. *Ea frons, quam Hispani tenebant* et Hasdrubal, dextrum cornu Pœnorum, *cum sinistro Romanorum cornu*, cui Livius præerat, *concurrit: dextra omnis acies*, dextrum cornu (ut IX, 40; XXIII, 29 al.), scil. Romanorum, cui Claudius præerat, *extra prælium eminens* (in edito loco collocata, aut, ut XXII, 47, *prominens acies;* Ern. extra locum, ambitum, usum prælii, ultra frontem hostium præliaturam, *über die Linie;* Bauer.) *cessabat*, pugnare non poterat (unde ei mox *statio segnis* tribuitur), *quia collis oppositus*, qui tegebat Gallos in lævo Pœnorum cornu, *arcebat*, prohibebat, *ne aggrederentur* Gallos : qua re fretus Hasdrubal impetum fecit in Livium sinistrumque Romanorum cornu. Cf. ad hæc et seq. Polyb. XI, 1. Strothius ad XXI, 31 (ubi v. not. 9), monet, *dextram aciem* esse Pœnorum sinistram, quæ Romanis ad dextram fuerit, ut mox *sinistrum hostium latus*, dextrum, quod Romanis fuerit ad sinistrum. Conf. mox not. 6. Pro *eminens* Drak. conj. *eminus*. Forte leg. *Romanis*.

4. *Ligures durum in armis genus;*

qui primo impetu turbaverant antesignanos, et jam signa moverant loco; deinde crescente certamine et clamore, impotentius jam regi, et inter duas acies versari, velut incerti quorum essent; haud dissimiliter navibus sine gubernaculo vagis. Claudius, « Quid « ergo præcipiti cursu tam longum iter emensi sumus? » clamitans militibus, quum in adversum collem frustra signa erigere conatus esset, postquam ea regione penetrari ad hostem non videbat posse; cohortes aliquot subductas e dextro cornu[5], ubi stationem magis segnem, quam pugnam, futuram cernebat, post aciem circumducit: et, non hostibus modo, sed etiam suis inopinantibus, in sinistrum hostium latus[6] incurrit; tantaque celeritas fuit, ut, quum ostendissent se ab latere, mox in terga jam pugnarent. Ita ex omnibus partibus, ab fronte, ab latere, ab tergo, trucidantur Hispani Liguresque; et ad Gallos jam cædes pervenerat. Ibi minimum certaminis fuit: nam et pars magna ab signis aberant, nocte dilapsi stratique somno passim per agros; et, qui aderant, itinere ac vigiliis fessi, intolerantissima laboris corpora[7], vix arma humeris gestabant. Et jam diei medium erat, sitisque et calor hiantes cædendos capiendosque affatim præbebat.

XLIX. Elephanti plures ab ipsis rectoribus, quam ab hoste, interfecti. Fabrile scalprum cum malleo ha-

vide supra ad lib. VII, cap. 29, n. 3.

5. *Cohortes aliquot subductas e dextro cornu* (conf. ad XXXVI, 18, n. 6), scilic. in extrema acie stantes, non omnes, ne hostis sentiret, quid moliretur, *post aciem* lævam Romanorum *circumduxit*, et primum *ab latere*, *mox* etiam ulterius progressus *a tergo* invasit Pœnos. Cf. Polyb. l. l. — *Stationem segnem*; cf. not. 3.

6. *In sinistrum hostium latus:* immo *in dextrum*, nisi in quo Hispani pugnabant, ut Galli in sinistro; nisi memoriæ vitio lapsus est Livius; Periz. et Glar. Conf. not. 3, et ad VII, 15.

7. *Intolerantissima laboris corpora*; vide ad V, 44, n. 4. — Quum illud sæpius apud antiquos auctores objectum Gallis videam, non possum quin verum tunc fuisse existimem. At profecto valde immutata militum nostrorum natura, quos pariter Ægyptus in

bebant : id, ubi sævire belluæ ac ruere in suos cœperant, magister inter aures positum, ipso in [1] articulo, quo jungitur capiti cervix, quanto maximo poterat ictu, adigebat. Ea celerrima via mortis in tantæ molis bellua inventa erat, ubi regendi spem vicissent : primusque id Hasdrubal instituerat, dux quum sæpe alias memorabilis, tum illa præcipue pugna. Ille pugnantes hortando, pariterque obeundo pericula, sustinuit [2] : ille fessos abnuentesque tædio et labore, nunc precando, nunc castigando, accendit : ille fugientes revocavit, omissamque pugnam aliquot locis restituit. Postremo, quum haud dubie fortuna hostium esset, ne superesset tanto exercitui suum nomen sequuto, concitato equo se in cohortem romanam immisit. Ibi, ut patre Hamilcare et Hannibale fratre dignum erat, pugnans cecidit. Nunquam eo bello una acie tantum hostium interfectum est, redditaque æqua cannensi clades, vel ducis, vel exercitus interitu, videbatur. Quinquaginta sex millia hostium occisa [3] : capta quinque millia et quadringenti : præda alia magna tum omnis generis, tum auri etiam argentique. Civium etiam romanorum, qui capti apud hostes erant, ea adempta vel nulla amplius fuisset.

mediis arenarum æstibus, atque gentes hyperboreæ per rigidas nives *omnium laborum tolerantissimos* non sine timore experti nuper obstupuerunt. Ed.

Cap. XLIX. 1. *Ipso in articulo, quo jungitur capiti cervix*, collum, *adigebat. Ea celerrima via mortis* (vide ad IV, 48, n. 2) in elephantis. Conf. Senec. de Prov. 6; Ammian. Marc. XXV, 1 (ubi dicitur *vertebra, quæ caput a cervice disterminat*, et Hasdrubali hoc inventum tribuitur), et supra ad librum XXI, cap. 55, n. 11. — *Ubi regendi spem vicissent*, scilic. elephanti, nimis sævientes; si

2. *Ille pugnantes* suos *hortando sustinuit;* vid. ad II, 44, n. 6. — *Abnuentesque* pugnare *tædio*, ob tædium. — *Quum haud dubie fortuna hostium esset*, iis faveret, vel *fortuna* est victoria, prosper eventus, vel leg. *dubia;* Bauer. *Haud dubie* plerique MSS. *Haud dubia* edd. antt.

3. *Quinquaginta sex millia hostium occisa : capta* 5400 .... *octo ferme millia Romanorum s. occisa :* at Polyb. XI, 3, Pœnorum decem, Romanorum duo millia periisse tradit, quod multo probabilius est. Hasdrubalem LVI

supra tria millia capitum[4] recepta. Id solatii fuit pro amissis eo prælio militibus : nam haudquaquam incruenta victoria fuit; octo ferme millia Romanorum sociorumque occisa. Adeoque etiam victores sanguinis cædisque ceperat satietas, ut postero die, quum esset nuntiatum Livio consuli, Gallos Cisalpinos Liguresque, qui aut prælio non affuissent, aut inter cædem effugissent, uno agmine abire sine certo duce, sine signis, sine ordine ullo, aut imperio; posse, si una equitum ala[5] mittatur, omnes deleri; « Supersint, « inquit, aliqui nuntii et hostium cladis, et nostræ « virtutis ».

L. Nero ea nocte, quæ sequuta est pugnam, citatiore, quam inde venerat, agmine, die sexto ad stativa sua atque ad hostem pervenit. Iter ejus frequentia minore[1], quia nemo præcesserat nuntius, lætitia vero tanta, vix ut compotes mentium præ gaudio essent, celebratum est : nam Romæ neuter animi habitus satis dici enarrarique potest, nec quo incerta exspectatione eventus civitas fuerat, nec quo victoriæ famam accepit. Nunquam per omnes dies, ex quo Claudium consulem profectum fama attulit, ab orto sole ad occidentem, aut senator quisquam a curia atque ab magistratibus abscessit, aut populus e foro. Matronæ, quia nihil in ipsis opis erat, in preces obtestatio-

millia tantum (XLVIII peditum, VIII equitum) adduxisse secum tradit Appian. Bell. Hann. c. 52.

4. *Supra tria millia capitum* ex optimis MSS recepi pro vulg. *supra quatuor m. c.* — *Id solatii fuit*, scil. illis; nisi leg. *solatio*.

5. *Una equitum ala*. Ala equitum romanorum decem turmas habebat; turma, triginta homines, notante Creverio. Ed. — *Supersint, inquit, aliqui*, propr. *inquiret :* nam ab *ut* pendet. Cf. ad V, 15, n. 7; VI, 24, n. 4, et Cic. de Orat. II, 6, 23. Ante *supersint* Put. addit *que*, Voss. et alii *qui :* unde Gronov. ingeniose conj. *Quin supersint*. Conf. ad Tac. Ann. XIV, 59, n. 5, et Schelleri Lex.

Cap. L. 1. *Iter ejus frequentia minore*, quam antea. Conf. cap. 45. — *Neuter animi habitus*, neque quam solliciti et anxii Romæ fuerint homi-

nesque versæ, per omnia delubra vagæ suppliciis votisque fatigare[2] deos. Tam sollicitæ ac suspensæ civitati fama incerta primo accidit, duos narnienses equites in castra, quæ in faucibus Umbriæ opposita erant, venisse ex prælio, nuntiantes cæsos hostes. Et primo magis auribus, quam animis, id acceptum erat, ut majus lætiusque, quam quod mente capere, aut satis credere possent; et ipsa celeritas fidem impediebat, quod biduo ante pugnatum dicebatur. Literæ deinde ab L. Manlio Acidino missæ ex castris[3] afferuntur de narniensium equitum adventu. Eæ literæ, per forum ad tribunal prætoris latæ, senatum curia exciverunt; tantoque certamine ac tumultu populi ad fores curiæ concursum est, ut adire nuntiis non posset, trahereturque a percunctantibus vociferantibusque, ut in Rostris prius, quam in senatu, literæ recitarentur. Tandem submoti et coerciti a magistratibus; dispensarique lætitia inter impotentes ejus animos potuit. In senatu primum, deinde in concione, literæ recitatæ sunt; et, pro cujusque ingenio, aliis jam certum gaudium, aliis nulla ante futura fides erat, quam legatos consulumve literas audissent.

nes, *incerta exspectatione eventus*, quum ea adhuc incerta esset; neque quam læti post *famam victoriæ*.

2. *Suppliciis votisque fatigare* (al. *lacessere*) *deos;* vide ad XXII, 57, n. 6, et ad Sil. VI, 573. — *Suspensæ civitati* (vide ad II, 32, n. 5) *fama accidit;* vide ad XXI, 10, n. 15.

3. *Literæ ab L. Manlio Acidino missæ ex castris*, in faucibus Umbriæ ad Narniam, quibus tamen Manlius non præfuisse videtur: legatum eum fuisse post prætoram, legimus cap. 35. — *Dispensarique lætitia potuit*, moderate et singulatim distribui, certo quodam modo et ordine, sine tumultu et effusione communicari (cf. ad Sil. XVI, 341, et ad Juvenal. III, 287) *inter impotentes ejus* lætitiæ *animos;* vide ad III, 36, n. 2. « Non sane *inter animos*, ut *aliorum* animis *alia* impertiretur, non omnibus una eademve (eadem enim unaque erat), sed *per, in, ad animos* omnium singulorumque, ut non universam lætitiam statim omnino totam perciperent, qua obruerentur, sed sensim, veluti particulatim, carptim, deinceps, ordine et rerum ipsarum, et fidei, non statim plane firmandæ, sed per gradus auctæ,

LI. Ipsos deinde appropinquare legatos allatum est: tum enimvero omnis ætas currere obvii[1], primus quisque oculis auribusque haurire tantum gaudium[2] cupientes. Ad Mulvium usque pontem continens agmen pervenit: legati (erant L. Veturius Philo, P. Licinius Varus, Q. Cæcilius Metellus) circumfusi omnis generis hominum frequentia in forum pervenerunt, quum alii ipsos, alii comites eorum, quæ acta essent, percunctarentur, et ut quisque audierat, exercitum hostium imperatoremque occisum, legiones romanas incolumes, salvos consules esse, extemplo aliis porro impertiebant gaudium suum. Quum ægre in curiam perventum esset, multo ægrius submota turba[3], ne Patribus misceretur, literæ in senatu recitatæ sunt: inde producti in concionem legati. L. Veturius, literis recitatis, ipse planius omnia, quæ acta erant, exposuit cum ingenti assensu, postremo etiam clamore universæ concionis, quum vix gaudium animis caperent. Discursum inde ab aliis circa templa deum, ut grates agerent; ab aliis domos, ut conjugibus liberisque tam lætum nuntium impertirent. Senatus, quod M. Livius et C. Claudius consules, incolumi exercitu,

discerent et certam agnoscerent, securique fruerentur. » Bauer.

Cap. LI. 1. *Omnis ætas obvii;* vide ad I, 41, n. 1.

2. *Oculis auribusque haurire gaudium*, ut *bibere* et *trahere*, de summa aviditate bibendi, videndi, audiendi; vide ad Sil. VIII, 135, et Mitscherl. ad Hor. Od. II, 13, 32. Hinc et venuste inf. XXXIX, 26, *velut ex diutina siti nimis avide meram haurientes libertatem*, pro: nimis immoderate utentes libertate, qua diu caruerant; metaphora petita ab intemperantia tam ardentium siti, quam potatorum, qui *merum* bibunt, non mixtum aqua vinum, ut frugales. Conf. ad XXXIX, 26, n. 3. — *Mulvium pontem;* vid. ad Tac. Ann. XIII, 47, n. 5. Si verum est, quod Aurel. Vict. de Vir. ill. c. 72, et Ammian. Marc. XXVII, 3, scribunt, pontem Mulvium ab Æmilio Scauro structum esse, hic non minus centum annorum prolepsis est; Duk. *Continens agmen;* vide ad I, 29, n. 5. — *Et ut q. audierat*, del. *et;* Duk.

3. *Submota turba* si sunt ablativi, post *perventum esset* colon ponendum: si nominativi, post *misceretur;* Bauer. — *Inde producti*, in edd. antt. *intro-*

ducem hostium legionesque occidissent, supplicationem in triduum decrevit: eam supplicationem C. Hostilius prætor pro concione edixit[4], celebrataque a viris feminisque est. Omnia templa per totum triduum æqualem turbam habuere; quum matronæ amplissima veste cum liberis, perinde ac si debellatum foret, omni solutæ metu, deis immortalibus grates agerent. Statum quoque civitatis ea victoria[5] movit, ut jam inde, haud secus quam in pace, res inter se contrahere, vendendo, emendo, mutuum dando, argentum creditum solvendo, auderent. C. Claudius consul quum in castra redisset, caput Hasdrubalis, quod servatum[6] cum cura attulerat, projici ante hostium stationes, captivosque Afros vinctos, ut erant, ostendi, duos etiam ex iis solutos ire ad Hannibalem, et expromere, quæ acta essent, jussit. Hannibal, tanto simul publico familiarique ictus luctu[7], *agnoscere se fortunam Carthaginis*[8], fertur dixisse: castrisque inde motis, ut omnia auxilia, quæ diffusa latius tueri non poterat, in extremum Italiæ angulum Bruttios contraheret, et Metapontinos, civitatem universam, excitos sedibus suis, et Lucanorum qui suæ ditionis erant, in bruttium agrum traduxit.

ducti et *inde traducti*. Cf. III, 64, n. 2.

4. *Eam supplicationem C. Hostilius pro concione edixit;* vide ad III, 63, n. 2; XXI, 63, n. 1, et XXVI, 27, n. 4. Verba *pro concione* in optimis MSS desiderantur. — *Æqualem turbam*, parem, eamdem, nunquam et nusquam minorem; Bauer.

5. *Statum...movit;* v. XXV, 16, n. 3.

6. *Caput Hasdrubalis, quod servatum*, etc. cf. Sil. XV, 813 sq. Factum Ajacis Oilei apud Homerum comparat Victor. Var. Lectt. XXVII, 22.

7. *Publico familiarique ictus luctu;* vide ad I, 16, n. 2.

8. *Agnoscere se fortunam Carthaginis;* cf. XXVIII, 12; Horat. Od. IV, 4, 49 sq. 69 sq. et ad hh. ll. Mitscherl.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXVIII.

BREVIARIUM.

Cap. I; In Hispania Hasdrubal, Gisgonis filius, concesserat Gades: Magonis autem exercitus multis copiis, tum ex Africa ab Hannone adductis, tum in Celtiberia conscriptis, auctus erat. Adversus eum mittitur M. Silanus. — II; Multis hostibus cæsis Hanno vivus capitur, et Mago ad Hasdrubalem, Celtiberi domos diffugiunt. Itaque Scipio spem debellandi nactus adversus Hasdrubalem pergit, qui exercitum omnem passim dividit in civitates. — III; Hinc Scipio ipse retro vertit iter; et L. Scipio, frater ejus, in his locis relictus, Origin expugnat. — IV; Tum Scipio omnes suas copias in hiberna citerioris Hispaniæ reducit, et ipse concedit Tarraconem. Eodem anno classis romana, cum M. Valerio Lævino proc. ex Sicilia in Africam transmissa, in uticensi carthaginiensique agro late populationes facit, et repetens Siciliam fugat punicam classem. — V; Eadem æstate P. Sulpicius proc. et Attalus rex, Ætolorum socii, una cum his continuant bellum adversus Philippum, Achæos, Acarnanas, Bœotos et Eubœos. — VI; In Eubœa capiunt Oreum, et Chalcidem oppugnant. — VII; Attalus Opuntem diripit; sed agmine hostium oppressus in naves compellitur regnumque suum repetit, a Prusia infestatum. Sulpicius Æginam recipit classem: et Philippus, captis compluribus Græciæ oppidis, Ægium se ad concilium Achæorum recipit. — VIII; Inde Anticyram, Erythras, Corinthum, Chalcidem, Oreum, Demetriadem trajicit, latoque sociis laborantibus auxilio concedit retro in regnum, ut Dardanis bellum inferat.

— IX; M. Livius et C. Claudius Nero coss. simul triumphant. — X; L. Veturius Philo et Q. Cæcilius Metellus creantur consules, amboque jubentur in Bruttiis cum Hannibale bellum gerere. Ludi Romani plebeiique. Comitia prætorum. Provinciarum exercituumque divisio. — XI; Prodigia et supplicationes. Ignis in æde Vestæ exstinguitur; cæditurque flagris virgo vestalis. Magna plebis rom. pars in vastatos agros, et placentini cremonensesque cives in colonias, ab accolis Gallis incursatas desertasque, reducuntur. Consules proficiscuntur in Lucanos. — XII; Hannibal, mirabilior adversis quam secundis rebus, hoc anno neque lacessit Romanos, neque ab iis lacessitur; et nullus in castris ejus fit motus. In Hispania ulteriore Hasdrubal et Mago magnum comparant exercitum, et ad Silpiam consident. — XIII; Hinc Scipio ab Tarracone ad Bæculam progreditur, funditque Magonem et Masinissam, qui castra rom. cum omni equitatu aggressi erant. — XIV-XV; Paulo post in atroci pugna vincuntur Pœni, turbati inopinata aciei rom. mutatione et raptim in prælium educti, prius quam cibo corpora firmassent. — XVI; Duces eorum Gades perfugiunt, et Masinissa cum Silano clam congreditur. Ita debellato pulsisque Hispania Pœnis, Scipio Tarraconem redit. — XVII; Mox Scipio et Hasdrubal eodem fere tempore in Africam trajiciunt, ut amicitiam cum Syphace, Masæsylorum rege, firment. — XVIII; Ibi Scipio et hospitem et Hasdrubalem, quocum eodem in lecto accumbit, mira comitate facundiaque sibi conciliat, et fœdus facit cum rege. — XIX - XX; Illiturgi et Castulo, quæ civitates ad Pœnos defecerant, expugnantur a Scipione. — XXI; Ab eodem Carthagine Nova in honorem patris patruique eduntur ludi funebres et munus gladiatorium, in quo omnes, qui ferro certant, sponte et æmulatione ducti vel in gratiam ducis rom. pugnant, neque obscuri tantum generis homines, sed clari etiam illustresque, in his Corbis et Orsua, patrueles fratres, de principatu Ibis, civitatis suæ, ambigentes. — XXII - XXIII; Astapa capitur a L. Marcio, ignique absumitur ab ipsis oppidanis accenso, quorum alii fortiter, pugnantes perierant, alii uxoribus liberisque obtruncatis rogo se exstructo injecerant. — XXIV; Gravis morbus Scipionis graviorque fama magnas excitat procellas, defectionem Mandonii et Indibilis seditionemque militum in castris ad Sucronem positis, in quibus imperium defertur ad gregarios milites, C. Albium Calenum et C. Atrium Umbrum. — XXV; Scipio convalescit, et leniter agendum ratus tribunos

mittit, qui milites placido permulceant sermone, et ad stipendium, quod non datum ad diem questi erant, petendum Carthaginem Novam convenire jubeant. — XXVI; Auctores seditionis XXXV, per idoneos homines perducti in hospitia, vinciuntur, et reliquæ multitudini, ad concionem vocatæ, armati circumfunduntur ab tergo. — XXVII-XXIX; Oratio Scipionis et pœna damnatorum in consilio. — XXX; L. Marcius et C. Lælius terra marique Gades petunt, spe a perfugis ostentata hanc urbem proditione recipiendi; — XXXI; sed ea patefacta redeunt Carthaginem; et ad horum discessum non modo respirat Mago, sed etiam spem recuperandæ Hispaniæ nanciscitur, audita Ilergetum rebellione, quorum principes, Mandonius et Indibilis, jam defectionis pœnam metuentes, in sedetano agro castra ponunt. — XXXII; Scipio multis verbis in perfidiam rebellantium regulorum invehitur, indicitque expeditionem. — XXXIII; Victoria ejus gloriosa, sed non incruenta ob loci angustias. — XXXIV; Mandonium supplicem dimittit clementer, et pecuniam tantummodo imperat. — XXXV; Masinissæ cum eo colloquium. — XXXVI; Mago in Italiam trajicere jubetur, et ad Carthaginem Novam appellit classem. — XXXVII; Punit Gaditanos, qui portas redeunti clauserant, et inde ad Pityusam Baliaresque insulas trajicit. — XXXVIII; Scipio Romam reversus magis tentat triumphi spem, quam petit pertinaciter, et consul creatur cum P. Licinio Crasso pontifice maximo. Prætoria comitia et provinciæ. — XXXIX; Legationes Saguntinorum aliorumque populorum in senatu auditæ. — XL-XLII; Scipioni Africam provinciam petenti contradicit adversaturque Q. Fabius Maximus. — XLIII-XLIV; Hujus orationem ille refutat. — XLV; Altercatione Patrum inde orta tribunisque plebis intercedentibus, quo minus de ea re feratur ad populum, Scipioni decernitur Sicilia permittiturque, ut inde trajiciat in Africam, si id e republica esse censeat. Idem Scipio ludos edit in Hispania votos, et tum voluntarios scribit milites, tum sociorum impensis triginta naves longas instruit armatque. — XLVI; Tum ille in Siciliam, collega in Bruttios, prætoresque in suas quisque provincias proficiscuntur; et, quia ad bellum deest pecunia, quæstores jubentur vendere partem agri campani. Mago classem appellit ad oram Ligurum; et LXXX naves Pœnorum onerariæ circa Sardiniam ab Cn. Octavio capiuntur. In Bruttiis Romanos Pœnosque pestilentia, et hos super morbum etiam fames afficit.

I. Quum transitu Hasdrubalis, quantum in Italiam declinaverat[1] belli, tantum levatæ Hispaniæ viderentur; renatum ibi subito par priori bellum est. Hispanias ea tempestate sic habebant Romani Pœnique: Hasdrubal, Gisgonis filius, ad Oceanum penitus Gadesque concesserat: nostri maris[2] ora omnisque ferme Hispania, qua in orientem vergit, Scipionis ac romanæ ditionis erat. Novus imperator Hanno, in locum Barcini Hasdrubalis novo cum exercitu ex Africa transgressus Magonique junctus, quum in Celtiberia, quæ media inter duo maria est, brevi magnum hominum numerum armasset; Scipio adversus eum M. Silanum cum decem haud plus millibus militum, equitibus quingentis[3], misit. Silanus, quantis maximis potuit itineribus (impediebant autem et asperitates viarum, et angustiæ saltibus crebris, ut pleraque Hispaniæ sunt, inclusæ), tamen non solum nuntios, sed etiam famam adventus sui prægressus, ducibus indidem ex Celtiberia transfugis, ad hostem pervenit. Eisdem auctoribus compertum est, quum decem circiter millia[4] ab hoste abessent, bina castra circa viam, qua irent, esse: læva Celtiberos, novum exer-

Cap. I. 1. *Quantum in Italiam declinaverat* ab Hispaniis (al. *inclinaverat* et Rhen. *inundaverat*) *belli, tantum levatæ Hispaniæ;* translatione a lance snmpta: nam quo graviori pondere lanx altera premitur, eo magis contraria levari videtur; Sigon. Conf. ad III, 16, n. 4.

2. *Nostri maris*, mediterranei. — *Celtiberia media inter duo maria*, Cantabricum et Ibericum.

3. *Cum decem haud plus millibus militum, equitibus quingentis;* vide supra ad librum XXII, cap. 37, n. 2. — *Impediebant.* In Brancal. Latinii cod. legitur *præpediebant*, quod, si plures accederent, non Drakenborchio displiceret. Est enim Livio valde amatum verbum; conf. ad VII, 36; VIII, 38; IX, 6, et 14, al. Ed. — *Ut pleraque Hispaniæ sunt;* conf. ad librum XXI, cap. 57, n. 6. — *Inclusæ* forte del., aut potius leg. *inclusum* vel *inclusos;* Duk. Mox *tamen*, ut passim, post parenthesim positum, et ad eam referendum. — *Indidem;* vide supra ad XXIII, 46, n. 5.

4. *Decem circiter millia;* vide ad

citum, supra novem millia hominum, dextra punica tenere castra. Hæc stationibus, vigiliis, omni justa militari custodia tuta et firma esse: illa altera soluta neglectaque, ut Barbarorum et tironum et minus timentium, quod in sua terra essent. Ea prius aggredienda ratus Silanus, signa quam maxime ad lævam jubebat ferri, necunde ab stationibus punicis conspiceretur. Ipse, præmissis speculatoribus, citato agmine ad hostem pergit.

II. Tria millia ferme aberat, quum haud dum quisquam hostium senserat. Confragosa loca[1] et obsita virgultis tenebant colles: ibi in cava valle atque ob id occulta considere militem, et cibum capere jubet. Interim speculatores, transfugarum dicta affirmantes, venerunt. Tum, sarcinis in medium conjectis, arma Romani capiunt, acieque justa in pugnam vadunt. Mille passuum aberant, quum ab hoste conspecti sunt, trepidarique repente cœptum: et Mago ex castris citato equo ad primum clamorem et tumultum advehitur. Erant autem in celtibero exercitu[2] quatuor millia scutati et ducenti equites; hanc justam legionem (et id ferme roboris erat) in prima acie locat: cæteros, levem armaturam, in subsidiis po-

IX, 24, n. 2. — *Dextra* parte *punica castra tenere* (se), esse, consistere, ut III, 62, et XXXII, 5, n. 9.

Cap. II. 1. *Confragosa loca* (vide ad V, 26, n. 1) *et obsita*, etc. forte leg. *obsitos virgultis tenebant colles*, scilic. hostes: quod etiam Dukerum conjecisse video. Conf. ad I, 14, n. 4. *Obsiti virgultis colles tenebant* (scil. regionem; hujus terræ faciem obtinebant), Put. Flor. et Cant. prob. Crev. Vocem *collis* a glossatore profectam esse et delendam putat Doer.

2. *In celtibero exercitu*, celtiberico, simplex et gentile pro possessivo, ut *Astur, Maurus, Italus*, Ἕλλην, Ἄραθ' et alia, quæ notavi ad Sil. I, 252. Cf. sup. ad XXVII, 24, n. 1. — *Quatuor millia scutati;* vide ad VIII, 8, n. 3; XXVII, 16, n. 2; XXXV, 20, n. 2. *Scutati* duo MSS, prob. Gron. *Scuta* et *scutata* reliqui et edd. antt. *Scutatorum* edd. recentt. ex emend. Sabellici. Et hoc et *scutata* substitutum ab iis, quos doctius loquendi genus, a nobis revocatum, offendebat. — *Cæteros, levem armaturam*, Put. Flor. Cant. Lov. 4, 5, et Gaertn. *Cæteram*

suit[3]. Quum ita instructos educeret castris, vixdum in egressos vallo Romani pila conjecerunt. Subsidunt Hispani adversus emissa tela ab hoste; inde ad mittenda ipsi consurgunt[4]. Quæ quum Romani conferti, ut solent, densatis excepissent scutis; tum pes cum pede collatus, et gladiis geri res cœpta est. Cæterum asperitas locorum et Celtiberis, quibus in prælio concursare mos est, velocitatem inutilem faciebat, et haud iniqua eadem erat Romanis stabili pugnæ assuetis; nisi quod angustiæ et internata virgulta ordines dirimebant, et singuli binique, velut cum paribus, conserere pugnam cogebantur : quod ad fugam impedimento hostibus erat, id ad cædem eos, velut vinctos, præbebat. Et jam, ferme omnibus scutatis Celtiberorum interfectis, levis armatura et Carthaginienses, qui ex alteris castris subsidio venerant, perculsi cædebantur. Duo haud amplius millia peditum et equitatus omnis, vix inito prælio, cum Magone effugerunt. Hanno, alter imperator[5], cum eis, qui postremi, jam profligato prælio, advenerant, vivus capitur. Magonem fugientem equitatus ferme omnis et quod veterum peditum erat sequuti, decimo die in Gadi-

levem a. alii, quos non video cur sequutus sit Gron.

3. *In subsidiis posuit;* vide supra ad II, 20, n. 2.

4. *Subsidunt Hispani..... inde consurgunt;* vide ad I, 14, n. 5, et VIII, 8, n. 7. — *Quæ quum Romani conferti, ut solent, densatis excepissent scutis.* Dukeri nota est: «Lips. Poliorc. I, 5, scribit, Romanos non nimis sæpe in pugnando testudine usos esse, quia ordines non divellebant, et unum profert exemplum ex Ammiano. Aliud indicant hæc verba Livii *ut solent.* Mirum tamen est, si hic Romanis mos erat in prœliis, eum tam raro memorari. De oppugnationibus urbium obvia sunt exempla. Sed dici potest, quum in prælio densabantur ordines, ut XXX, 34, XXXIII, 8, et al., simul densata fuisse scuta, atque ita testudinem factam». Conf. ad V, 5, n. 3. — *Pes cum pede collatus, et gladiis geri res cœpta est;* vide ad VI, 12, n. 7, et ad Sil. IV, 351 sq. IX, 314-327.

5. *Hanno, alter imperator,* etc. vide ad Sil. XVI, 23 sq. — *Jam profligato prælio;* vide supra ad librum III, cap. 50, n. 5.

tanam provinciam ad Hasdrubalem pervenerunt: Celtiberi, novus miles, in proximas dilapsi silvas, inde domos diffugerunt. Peropportuna victoria nequaquam tantum jam conflatum bellum[6], quanta futuri materia belli (si licuisset eis, Celtiberorum gente excita, et alios ad arma sollicitare populos) oppressa erat. Itaque, collaudato benigne Silano, Scipio spem debellandi, si nihil eam ipse cunctando moratus esset, nactus, ad id, quod reliquum belli erat, in ultimam Hispaniam adversus Hasdrubalem pergit. Pœnus, quum castra tum forte ad sociorum animos in Bætica continendos in fide haberet, signis repente sublatis, fugæ magis, quam itineris modo, penitus ad Oceanum et Gades ducit. Cæterum, quoad continuisset exercitum[7], propositum bello se fore ratus, antequam freto Gades trajiceret, exercitum omnem passim in civitates divisit[8], ut et muris se ipsi, et armis muros tutarentur.

III. Scipio ubi animadvertit, dissipatum passim bellum, et circumferre ad singulas urbes arma[1] diutini magis, quam magni, esse operis, retro vertit iter. Ne tamen hostibus eam relinqueret regionem, L. Scipionem fratrem cum decem millibus peditum et mille equitum ad oppugnandam opulentissimam in iis locis urbem, Oringin Barbari appellabant[2], mittit: sita in

6. *Nequaquam tantum* (non tam) *jam conflatum bellum*, quod nondum magnæ molis erat, scilic. oppressum erat, quam *materia belli*, quod maximum futurum fuisset; vide ad I, 39, n. 4. Mox edd. Basil. a. 1554, et Sigon. mutato verborum ordine *quum castra tum forte in Bætica ad sociorum*, etc. probb. Duk. et Drak.

7. *Quoad contin. exercitum*, etc. tum magis sibi timens, quam si dimisisset; Sigon. — *Propositum bellum* instar scopi, quem non desineret petere Scipio; Gron.

8. *In civitates divisit*, alii *dimisit*; vide ad XXXVII, 45, n. 9.

Cap. III. 1. *Circumferre ad s. u. arma*; vide ad IX, 41, n. 3.

2. *Oringin Barbari appellabant*; vid. ad XXIV, 42, n. 2. — *Sita in Melessum finibus*; Put. *Massessum*, alii MSS. *Messessum*, *Mæsersum*, *Mesenssium*,

Melessum finibus est hispanæ gentis; ager frugifer; argentum etiam incolæ fodiunt: ea arx fuit Hasdrubali ad excursiones circa in mediterraneos populos faciendas. Scipio, castris prope urbem positis, prius quam circumvallaret urbem, misit ad portas, qui ex propinquo alloquio animos tentarent, suaderentque, ut amicitiam potius, quam vim, experirentur Romanorum. Ubi nihil pacati respondebatur, fossa duplicique vallo circumdata urbe, in tres partes exercitum dividit; ut una semper pars, quietis interim duabus, oppugnaret. Prima pars quum adorta oppugnare est, atrox sane et anceps prælium fuit: non subire, non scalas ferre ad muros præ incidentibus telis facile erat; et jam, qui erexerant ad murum scalas, alii furcis ad id ipsum factis detrudebantur[3], in alios lupi superne ferrei injecti, ut in periculo essent, ne suspensi in murum extraherentur. Quod ubi animadvertit[4] Scipio, nimia paucitate suorum exæquatum certamen esse, et jam eo superare hostem, quod ex muro pugnaret; duabus simul partibus, prima recepta, urbem est aggressus. Quæ res tantum pavoris injecit fessis jam cum primis pugnando, ut et oppidani mœnia repentina fuga desererent, et punicum præsidium metu, ne prodita urbs esset, relictis stationibus in

Moncensium, *Mæssensium*, *Mesensium*, *Mesessum*, *Mæssessum*: unde Ruben. conj. *Massiensium*. Μάσσια χώρα ἀποκειμένη τοῖς Ταρτησίοις, Steph. Idem et Polybius memorant *Mastiam* πρὸς ταῖς Ἡρακλείαις στήλαις. Cf. Drak. ad h. l. Heyn. Opusc. Acad. t. III, p. 60 sq. et Schweigh. ad Polyb. III, 24, n. 2. — *Ea arx fuit Hasdrubali ad excursiones circa faciendas*; vide ad IV, 31, n. 8.

3. *Furcis ad id ipsum factis detrudebantur* scalis: quæ furcæ δίκρανα dicuntur Suidæ. Conf. Lips. Poliorc. V, 1. — *Lupi ferrei*, ferrum in modum forficis dentatum illigatumque funibus, quo aries potissimum apprehensus avertitur suspenditurve. Ita Veget. IV, 23. Conf. sup. ad XXIV, 34, n. 6; Turneb. Advers. XI, 28; Lips. Poliorc. V, 8, et in Addendis, pag. 651.

4. *Quod ubi animadvertit*, etc. vide ad VI, 8, n. 2.

unum se colligeret [5]. Timor inde oppidanos incessit, ne, si hostis urbem intrasset, sine discrimine, Pœnus an Hispanus esset, obvii passim cæderentur. Itaque, patefacta repente porta, frequentes ex oppido sese ejecerunt, scuta præ se tenentes, ne tela procul conjicerentur; dextras nudas ostentantes, ut gladios abjecisse appareret. Id utrum parum ex intervallo sit conspectum, an dolus aliquis suspectus fuerit, incompertum est. Impetus hostilis in transfugas factus; nec secus, quam adversa acies, cæsi: eademque porta signa infesta in urbem illata; et aliis partibus securibus dolabrisque cædebantur [et refringebantur [6]] portæ, et, ut quisque intraverat eques, ad forum occupandum, ita enim præceptum erat, citato equo pergebat: additum erat et triariorum equiti præsidium. Legionarii cæteras partes pervadunt: direptione et cæde obviorum, nisi qui armis se tuebantur, abstinuerunt. Carthaginienses omnes in custodiam dati sunt: oppidanorum quoque trecenti ferme, qui clauserant portas: cæteris traditum oppidum, suæ redditæ res. Cecidere in urbis ejus oppugnatione hostium duo millia ferme; Romanorum haud amplius nonaginta.

IV. Læta et ipsis, qui rem gessere, urbis ejus expugnatio fuit, et imperatori [1] cæteroque exercitui; et speciosum adventum suum, ingentem turbam captivorum præ se agentes, fecerunt. Scipio, collaudato fratre, quum, quanto poterat verborum honore, Car-

5. *In unum se colligeret;* conf. ad XXVII, 39, n. 2.

6. *Et refringebantur* verba, in nullo fere MS reperta: unde uncinis inclusi. — *Oppidan. quoque trecenti ferme;* Pnt. CON pro *quoque trecenti*, quæ verba in Cant. Flor. Voss. et Hearnii L. 1, plane desiderantur. Hinc *oppid. CDX ferme* conj. Jac. Gron. et *oppid. mille quingenti ferme* Drak.

Cap. IV. 1. *Et imperatori* Scipioni. — *Verborum honore;* vide ad XXV,

thagini ab se captæ captam ab eo Oringin æquasset, quia et hiems instabat, ut nec tentare Gades, nec disjectum passim per provinciam exercitum Hasdrubalis consectari posset, in citeriorem Hispaniam omnes suas copias reduxit; dimissisque in hiberna legionibus, L. Scipione fratre Romam misso et Hannone hostium imperatore cæterisque nobilibus captivis, ipse Tarraconem concessit. Eodem anno classis romana, cum M. Valerio Lævino proconsule ex Sicilia in Africam transmissa, in uticensi carthaginiensique agro late populationes fecit. Extremis finibus Carthaginiensium circa ipsa mœnia Uticæ prædæ actæ sunt. Repetentibus Siciliam classis punica (septuaginta erant longæ naves[2]) occurrit. Decem et septem naves ex iis captæ sunt, quatuor in alto mersæ. Cætera fusa ac fugata classis. Terra marique victor Romanus cum magna omnis generis præda Lilybæum repetit : toto inde mari pulsis[3] hostium navibus, magni commeatus frumenti Romam subvecti.

V. Principio æstatis ejus, qua hæc sunt gesta, P. Sulpicius proconsul et Attalus rex quum Æginæ, sicut ante dictum est[1], hibernassent, Lemnum inde, classe juncta, romanæ quinque et viginti quinqueremes, regiæ quinque et triginta, transmiserunt. Et Philippus, ut, seu terra seu mari obviam eundum hosti foret, paratus ad omnes conatus esset, ipse Demetriadem ad mare descendit : Larissam diem ad conveniendum exercitui edixit[2]. Undique ab sociis legationes Deme-

17, n. 5. — *Carthagini* Novæ. — *Tentare Gades;* vide ad IX, 35, n. 1. — *Disjectum;* vide ad XXI, 49, n. 3.

2. *LXX erant longæ naves;* vide ad XXI, 17, n. 5.

3. *Toto inde mari pulsis;* multi MSS. *Tuto inde mari*, judice Drak. non minus apte, si hæc verba jungantur cum *subvecti.*

Cap. V. 1. *Sicut ante dictum est,* sup. XXVII, 33. Hoc et seqq. capita 6-8, ad verbum pæne expressa e Polybio, X, 41-43.

2. *Larissam diem ad conveniendum*

triadem ad famam regis convenerunt. Sustulerant enim animos Ætoli, quum ab romana societate, tum post Attali adventum, finitimosque depopulabantur. Nec Acarnanes solum Bœotique, et qui Eubœam incolunt, in magno metu erant; sed Achæi quoque, quos super ætolicum bellum Machanidas etiam lacedæmonius tyrannus, haud procul Argivorum fine positis castris, terrebat : hi omnes suis quisque urbibus, quæ pericula terra marique portendebantur, memorantes, auxilia regem orabant. Ne ex regno quidem ipsius tranquillæ nuntiabantur res : et Scerdilædum Pleuratumque motos esse, et Thracum maxime Mædos, si quod longinquum bellum regem occupasset, proxima Macedoniæ incursuros. Bœoti quidem et interiores Græciæ populi[3], Thermopylarum saltum, ubi angustæ fauces coarctant iter, fossa valloque intercludi ab Ætolis, nuntiabant, ne transitum ad sociorum urbes tuendas Philippo darent. Vel segnem ducem tot excitare tumultus[4] circumfusi poterant : legationes dimittit, pollicitus, prout tempus ac res se daret, omnibus laturum se auxilium. In præsentia, quæ maxime urgebat res, Peparethum præsidium urbi mittit; unde allatum erat, Attalum, ab Lemno classe transmissa, omnem circa urbem agrum depopulatum. Polyphantam cum modica manu in Bœotiam, Menippum item quemdam ex regiis ducibus cum mille peltastis (pelta cætræ[5] haud dissimilis

exercitui edixit; vide ad XXII, 12, n. 1. — *Ab romana societate;* vide ad I, 1, n. 5.

3. *Interiores Græciæ populi;* f. *interioris;* Gron.

4. *Tumultus circumfusi*, tumultuosi et minaces, qui undique afferebantur, nuntii; Doer. An potius seditiones et motus, ubivis orti? — *Prout tempus ac res se daret;* conf. ad III, 21, n. 3, et ad Tac. Ann. XV, 13, n. 6. — In *Peparethum* ins. maris Ægæi *mittit præsidium urbi*, milites, qui Peparetho urbi præsidio essent.

5. *Cum mille peltastis : pelta cætræ*, etc. vide ad XXI, 21, n. 6. —

est) Chalcidem mittit. Additi quingenti Agrianum, ut omnes insulæ partes tueri possent : ipse Scotussam est profectus ; eodemque ab Larissa Macedonum copias traduci jussit. Eo nuntiatum est, concilium Ætolis Heracleam indictum, regemque Attalum, ad consultandum de summa belli, venturum. Hunc conventum ut turbaret subito adventu, magnis itineribus Heracleam duxit[6] : et concilio quidem dimisso jam venit : segetibus tamen, quæ prope maturitatem erant, maxime in sinu Ænianum vastatis, Scotussam copias reducit. Ibi exercitu omni relicto, cum cohorte[7] regia Demetriadem sese recipit : inde ut ad omnes hostium motus posset occurrere, in Phocidem atque Eubœam et Peparethum mittit, qui loca alta eligerent, unde

Additi quingenti Agrianum : ita pro *Ænianum* leg. ex Polyb. cui Ἀγριᾶνες dicuntur II, 65, V, 79, X, 42, populus thracicus, seu pannonicus, ad Strymonem fl., a quo diversi *Agræi,* Ἀγραοὶ vel Ἀγραῖοι, in Ætolia ; de quibus vid. XXXII, 34 ; Thucyd. III, 106-111 ; IV, 77 ; Palmer. Græc. Antt. IV, 3, et Polyb. XVII, 5, 8, ubi conf. Schweigh.

6. *Heracleam duxit ;* vide ad I, 23, n. 4. *Heraclea* h. l. opp. Phthiotidis in Thessalia prope sinum Maliacum (vide ad XXVII, 30, n. 3) et Thermopylas. Cf. XXXI, 46 pr. XXXIII, 3 ; XXXVI, 22. — *In sinu Ænianum* (cf. ad XXVII, 30, n. 3, et Schweigh. ad Polyb. X, 42) : ita optimi MSS, non *Æniano ;* nisi malis *Æniane* (ὁ Αἰνιὰν seu Αἰνειὰν κόλπος, vel ὁ Αἰνιάνων seu Αἰνειάνων κόλπος), h. e. in terris circa sinum hunc, ut XXXVII, 6 pr. *In sinum Maliacum* (et *Liris* fl. pro regione circa eum ap. Flor. I, 18, 28, ubi cf. Duk.), terra, non mari, *venerat ;* Gron. qui etiam monet, *Ænianum* recte repositum pro *Æneatium* XXXIII, 3, et *Æneatum* XL, 4 pr. pro *Ænianum,* ut majores Poridis fuerint non Ænianes (quia tum nec habuisset quidquam metuendum a Philippo, cui nulla eam in gentem jurisdictio, nec *Thessalonicæ* habitasset et *Æneam ad statum sacrificium* profectus esset), sed Æneates, et ex vetere patria traductis pro superstitione antiqua manserint quædam solennia sacra, et ipsis et posteris eorum ibi facienda neque loco mutanda, ut Romanis sacra quædam Albæ destructæ. Variæ autem variis temporibus fuere sedes Ænianum : unde h. l. dicuntur fuisse ad sinum Maliacum et contributos Ætolis adeoque hostes Philippi ; ap. Strab. lib. I, Αἰνειᾶνες οἱ νῦν Αἰτωλοῖς ὅμοροι, sed lib. IX, συνεχεῖς τοῖς Ἐπικνημιδίοις : apud Steph. in Perrhæbis, et apud Plut. in Quæst. Græc. in Molosside. — *Scotussa,* rectius aliis *Scotusa* dicitur ; vid. Holsten. ad Steph.

7. *Cum cohorte regia* et τοῖς εὐζώ-

editi ignes[8] apparerent. Ipse in Tisæo (mons est in altitudinem ingentem cacuminis editi) speculam posuit, ut ignibus procul sublatis signum, ubi quid molirentur hostes, momento temporis acciperet : romanus imperator et Attalus rex a Peparetho Nicæam trajecerunt. Inde classem in Eubœam ad urbem Oreum transmittunt, quæ ab Demetriaco sinu Chalcidem et Euripum petenti ad lævam prima urbium Eubœæ posita est. Ita inter Attalum ac Sulpicium convenit, ut Romani a mari, regii[9] a terra oppugnarent.

VI. Quatriduo post, quam appulsa classis est, urbem aggressi sunt : id tempus occultis cum Platore, qui a Philippo præpositus urbi erat, colloquiis absumptum est. Duas arces urbs habet, unam imminentem mari, altera urbis media est[1] : cuniculo inde via ad mare ducit, quam a mari turris quinque tabulatorum, egregium propugnaculum, claudebat. Ibi primo atrocissimum contractum est certamen, et turre instructa omni genere telorum, et tormentis machinisque ad oppugnandam eam ex navibus expositis. Quum omnium animos oculosque id certamen avertisset, porta maritimæ arcis Plator Romanos accepit,

νοις teste Polyb. X, 42, nisi Livius hos simul ἴλῃ βασιλικῇ comprehendi putavit.

8. *Editi ignes* alti; mox synon. *sublati*, et cap. 7 pr. *elati*. — *In Tisæo* monte Magnesiæ in Thessalia. Conf. Schweigh. ad Polyb. X, 42, 8. — *Oreus* urbs *Eubœæ*, olim dicta Hestiæa seu Histiæa. Incolæ ejus *Oritæ* (Ὀρεῖται apud Strab. 10 pr. et Steph.) et *Oretani* inf. cap. 8, nisi potius ibi *Oritarum* leg. pro *Oritanorum* et *Oreanorum*. Conf. XXXI, 46; Pausan. VII, 4, 7 et 26; Strab. X, p. 683 B. — *Chalcis* caput Eubœæ, ad *Euripum* (de quo vid. cap. seq.), quæ nunc, ut et ipsa Eubœa, Negroponte dicitur. Chalcidem, Demetriadem et Corinthum πέδας Ἑλληνικὰς, compedes Græciæ, appellabat Philippus; vid. Polyb. XVII, 11; XVIII, 28. — *Ab Demetriaco sinu*, qui non alibi memoratur. *Maliaco* conj. Duker. Conf. Index.

9. *Romani a mari, regii*, hoc est, Attali milites, etc.

Cap. VI. 1. *Altera urbis media est* Put. Flor. et pauci alii pro vulg. *medio*. Cf. XLII, 58, et ad Sil. I, 307. — *Avertisset;* vide ad VI, 23, n. 4.

momentoque arx occupata est. Oppidani, pulsi inde in mediam urbem, ad alteram tendere arcem; et ibi positi erant, qui fores portæ objicerent : ita exclusi in medio cæduntur capiunturque. Macedonum præsidium conglobatum sub arcis muro stetit; nec fuga effuse petita, nec pertinaciter prælio inito. Eos Plator, venia a Sulpicio impetrata, in naves impositos ad Demetrium Phthiotidis exposuit : ipse ad Attalum se recepit. Sulpicius, tam facili ad Oreum successu elatus, Chalcidem inde protenus victrici classe petit; ubi haudquaquam ad spem eventus respondit[2]. Ex patenti utrimque coactum in angustias mare speciem intuenti primo gemini portus in ora duo versi præbuerit : sed haud facile alia infestior classi statio est; nam et venti ab utriusque terræ prælatis montibus subiti ac procellosi se dejiciunt, et fretum ipsum Euripi[3] non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat; sed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur. Ita nec nocte, nec die quies navibus datur. Quum classem tam infesta statio acce-

— *Fuga effuse petita;* vid. I, 25, n. 7.

2. *Ad spem eventus respondit;* vide ad IX, 15, n. 2. — *Ex patenti,* quum antea late pateat. — *Infestior;* vide ad I, 7, n. 7.

3. *Fretum ipsum Euripi,* Euripus (*golfo di Negroponte*) fretum inter Bœotiam et Eubœam, angustissimum inter Aulidem ac Chalcidem, ibique olim in bello Pelop. ab Eubœensibus, quum ab Atheniensibus ad Thebanos descivissent, aggere et ponte junctum, ne insula ab Atheniensibus expugnaretur: quæ fauces angustæ *septies* quovis *die* ac nocte ab utroque mari reciproco motu impelli agitarique credebantur. Conf. XXXI, 22 sq. XXXV, 37, 50; XLV, 27; Strab. I, 55 (ubi vid. Casaub.), et IX, 2, 8, p. 403, al. 614; Wessel. ad Diodor. XIII, 47; Mela, II, 7; Plin. II, 97; IV, 7, 21; Lucan. V, 234 sq. Pocockii Itin. t. III, p. 223, ed. 1792. Aggerem uni tantum navigio intercursum concessisse, et canali ad naves transmittendas interstinctum, γεφύρᾳ διπλέθρῳ, ponte duorum jugerum fuisse junctum, tradunt Diodor. et Strabo. — *In modum venti,* ad arbitrium venti; Glar. Ut ventus fere, qui pariter non statis temporibus, sed temere flatus immittere et reprimere solet; Doer.

pit, tum et oppidum, alia parte clausum mari, alia ab terra egregie munitum[4] præsidioque valido firmatum, et præcipue fide præfectorum principumque, quæ fluxa et vana apud Oreum fuerat, stabile atque inexpugnabile fuit. Id prudenter, ut in temere susceptа re, Romanus fecit, quod, circumspectis difficultatibus, ne frustra tempus tereret, celeriter abstitit incepto, classemque inde ad Cynum Locridis[5] (emporium id est urbis Opuntiorum mille passuum a mari sitæ) trajecit.

VII. Philippum et ignes ab Oreo editi[1] monuerant, sed serius Platoris fraude e specula elati : et impari maritimis viribus haud facilis erat in insulam classi accessus : ita res per cunctationem omissa. Ad Chalcidis auxilium, ubi signum accepit, impigre est motus : nam et ipsa Chalcis, quanquam ejusdem insulæ urbs est, tamen adeo arcto interscinditur freto, ut ponte continenti jungatur, terraque aditum faciliorem, quam mari, habeat. Igitur Philippus, dejecto præsidio[2] fusisque Ætolis, qui saltum Thermopylarum insidebant, quum ab Demetriade Scotussam, inde de

4. *Ab terra egregie munitum;* vide ad VIII, 17, n. 5. Mox *firmatum*, *præcipue fide p. p*, *quæ fluxa* (vide ad VII, 29, n. 3) *et vana a. O. fuerat, stabili inexp. f.* conj. Gron.

5. *Ad Cynum Locridis* oppidum, *emporium* et navale *urbis Opuntiorum*, Opuntis, capitis Locrorum, ex adverso Eubœæ, *mille pass. a mari sitæ*. Cf. Strab. IX, p. 293, al. 425; Pausan. X, 1, et Stephan. Ἀπέχει δὲ θαλάσσης περὶ πεντεκαίδεκα σταδίους, Strab. quæ duo ferme millia passuum sunt. Hinc Duk., Wessel. ad Antonini Itin. p. 327, et Drak. suspicantur, Livium scripsisse *M. P. II*, vel *M M passuum*, hoc est, *duo millia passuum*.

Cap. VII. 1. *Ignes ab Oreo editi* (vid. ad cap. 5, not. 8) *monuerant*, sc. obsideri Oreum; Sigon. — *Chalcis ejusdem insulæ*, Eubœæ, *urbs est*, cujus Oreus.

2. *Dejecto præsidio* ex saltu *fusisque Ætolis*, qui ipsi fuere hoc præsidium; vid. ad II, 42, n. 7, et XXI, 49, n. 3. Cæterum nihil h. l. desideratur in sermonis connexione, sed interponitur *igitur*, quia narratio expeditionis philippicæ interrupta erat descriptione situs Chalcidos; Gron. Verba *quum ab Demetriade.....profectus* ante illa *dejecto præsidio*, etc. ponenda putabat

tertia vigilia profectus, trepidos hostes Heracleam compulisset, ipse uno die Phocidis Elatiam[3] millia amplius sexaginta contendit. Eodem ferme die ab Attalo rege Opuntiorum urbs capta diripiebatur : concesserat eam prædam regi Sulpicius, quia Oreum paucos ante dies ab romano milite, expertibus[4] regiis, direptum fuerat. Quum romana classis eo se recepisset, Attalus, ignarus adventus Philippi, pecuniis a principibus exigendis terebat tempus. Adeoque improvisa res fuit, ut, nisi Cretensium quidam, forte pabulatum ab urbe longius progressi, agmen hostium procul conspexissent, opprimi potuerit. Attalus inermis atque incompositus cursu effuso mare ac naves petit; et molientibus ab terra naves Philippus supervenit, tumultumque etiam ex terra nauticis præbuit. Inde Opuntem rediit, deos hominesque accusans, quod tantæ rei fortunam[5] ex oculis prope raptam amisisset. Opuntii quoque ab eadem ira increpiti, quod, quum trahere obsidionem in adventum suum

Crev. — Non indigna sunt ad quæ animum attendas, verba Crev. ad hunc locum. Ipsi enim hic quoque videtur, ut sæpius alibi, trajectione vocum peccatum. Philippus supra cap. 5, dicitur exercitum omnem Scotussæ reliquisse, ipse cum cohorte regia Demetriadem se recepisse. Inde igitur primum ad Scotussam redit; mox tertia vigilia profectum observat Livius ut intelligatur Philippus copias quam celerrime excivisse. Denique raptim eas agit ad Thermopylarum saltum, et Ætolorum præsidium fundit. Hæc omnia luce clariora erunt tabulam geographicam inspicientibus. Ed.

3. *Phocidis* (urbem maximam) *Elatiam*, seu Elateam. *Phocidis* bene adjicitur, quoniam Ἐλάτεια fuit oppidum et Phocidis (cf. XXXII, 18), et Thessaliæ; de quo vid. XLII, 54. — *Millia amplius sexaginta;* vide ad III, 64, n. 5, et IX, 24, n. 2.

4. *Expertibus regiis*, Attali militibus, scilicet prædæ. — *Quum romana classis* a Chalcide *eo se recepisset*, sc. Cynum Locridis, ubi in statione erat, ut faveret Attalo Opuntem capienti; Grou. Conf. cap. 6 extr. Recte: sed forte *Cynum* leg. pro *eo*, ne subjectum nimis remotum sit, et quia *Oreum* pro *eo* exhibent quidam MSS et edd. vett., vel τὸ *eo* referendum ad *Opuntiorum urbem*, cujus navale fuit *Cynus*. — *Mol. ab terra naves;* vid. VI, 11, n. 5.

5. *Tantæ rei fortunam*, sc. vivum capiendi Attalum. — *Ab eadem ira increpiti;* vide ad I, 1, n. 5.

potuissent, viso statim hoste, prope in voluntariam deditionem concessissent. Compositis circa Opuntem rebus, Toronem est profectus[6]. Et Attalus primo Oreum se recepit : inde, quum fama accidisset[7], Prusiam Bithyniæ regem in fines regni sui transgressum, omissis rebus atque ætolico bello, in Asiam trajecit; et Sulpicius Æginam classem recepit[8], unde initio veris profectus erat. Haud majore certamine, quam Opuntem Attalus ceperat, Philippus Toronem cepit : incolebant urbem eam profugi ab Thebis[9] Phthioticis. Urbe sua capta a Philippo, quum in fidem Ætolorum perfugissent, sedem eis Ætoli eam dederant urbis vastatæ ac desertæ priore ejusdem Philippi bello. Tum ab Torone, sicut paulo ante dictum est, recepta profectus, Tritonon et Drymas[10], Doridis parva atque

6. *Toronem est profectus*, oppid. Macedoniæ ad sinum Toronæum, seu Toronaicum aut Mecybernæum, cujus os duo premunt promontoria, Derris et Canastrum, seu Canastræum, quod et *Pallenes* peninsulæ, scil. promontorium dicitur XXXI, 45 extr. (ubi etiam *Toronæ promontorium* memoratur, scil. Ampelus, supra Derrim, ex adverso Torones seu Toronæ, Ἄμπελος ἄκρα apud Ptol. et Ἄμπελος ἡ Τορωναίη ἄκρη ap. Herod. VII, 122.) Sed hoc opp. nimis distat ab *Opunte :* unde intpp. jam bene conjecerunt *Thronium*, caput Locrorum Epicnemidiorum ad Boagrium fl. Mox pro *se recepit* in omnibus fere MSS legitur *est profectus* inepta eorumdem verborum repetitione. Hinc recte, opinor, utrumque correctoribus tribuit Gron. et Livium scripsisse putat : *Et Attalus primo Oreum ; inde . . . . . in Asiam trajecit ; Sulpicius*, etc.

7. *Quum fama accidisset ;* vide ad XXI, 10, n. 15. — *Omissis rebus*, quas nunc gerebat. Cf. ad III, 46, n. 7. *Romanis* quidam MSS addunt et edd. ante Drak.

8. *Æginam classem recepit ;* vide ad XXVI, 6, n. 4.

9. *Ab Thebis Phthioticis* in Thessalia Thebæ Pththioticæ, Φθιώτιδες, seu Phthiæ, Φθίαι, et Thessalicæ postea dictæ *Philippopolis*, quæ diversa est a *Philippopoli* Thraciæ in Odrysis. Cf. XXXII, 33; XXXIII, 5; XXXIX, 25, 33; Polyb. V, 99, 100 (ubi vid. Schweigh.); XVII, 3, 8; XVIII, 2, 20; XXIV, 6; Diodor. XXVI, Ecl. 7, ubi vid. Wessel. — *Urbis*, sc. sedem.

10. *Tritonon et Drymas :* in optimis MSS. *Uthronon, Uthuronon, Uthoronon*, et *Drumias*, *Drymias ;* unde *Tethronion* seu *Tithronion et Drumiam* suspicari possis. Τιθρώνιον dicitur Pausan. X, 3 et 33. Τεθρώνιον Herodot. VIII, 33. Τρίτωνος Steph. *Tithrone* Plin. IV, 3. Δρυμία Steph. Δρυμαία Pausan. et Plin. ll. ll. Δρυμὸς

ignobilia oppida, cepit. Inde Elatiam, jussis ibi se opperiri Ptolemæi Rhodiorumque legatis, venit: ubi quum de finiendo ætolico bello ageretur (affuerant enim legati nuper Heracleæ concilio[11] Romanorum Ætolorumque), nuntius affertur, Machanidam Olympiorum solenne ludicrum[12] parantes Eleos aggredi statuisse. Prævertendum id ratus, legatis cum benigno responso dimissis, *se neque causam ejus belli fuisse, nec moram (si modo æqua et honesta conditione liceat) paci facturum* cum expedito agmine profectus per Bœotiam, Megara atque inde Corinthum descendit; unde, commeatibus sumptis, Phliunta Pheneumque petit. Et jam, quum Heræam venisset, audito, Machanidam, fama adventus sui territum, refugisse Lacedæmonem, Ægium se ad concilium[13] Achæorum recepit: simul classem punicam, ut mari quoque aliquid posset[14], accitam, ibi ratus se inventurum. Paucis ante diebus in Phoceas trajecerant Pœni: inde portus Acarnanum petierant, quum ab Oreo profectum Attalum Romanosque audissent, veriti ne ad se ire-

Herod. l. c. Conf. Palmerii Græc. Ant. VI, 15. Cæterum hæc duo oppida ab aliis Phocidi tribuuntur, et Doridi sola Tetrapolis dorica, Erineon, Boion, Cytinion et Pindus, quibus a quibusdam Cyphas adjungitur. — *Elatiam* seu Elateam, Ἐλάτειαν, maximam Phocidis urbem; vid. Pausan. I, 20; VII, 15; VIII, 4; X, 18, 34.

11. *Nuper Heracleæ concilio*, etc. conf. cap. 5.

12. *Olymp. solenne ludicrum*, etc. vide ad XXVII, 35, n. 3. — *Megara atque inde Corinthum;* vide supra ad XXIV, 30, n. 6.

13. *Ægium ad concilium Achæorum;* vide ad XXVII, 30, n. 8.

14. *Ut mari quoque aliquid posset;* conf. ad V, 33, n. 5. Mox pro *Phoceas* MSS *deuaces*, *deuacas* et *denacas*. Scribe *Echinades* (seu Echinadas): nam *Phocæa* (non *Phocææ*) hinc longe, ut et *Phocæ* in Œtæo sinu: fuerant nimirum Pœni in statione apud Ægium ex condicto exspectantes Philippum; sed audito, discessisse Romanos et Attalum ab Oreo Eubœæ, *veriti*, *ne ad* (adversus) *se iretur*, et intra Corinthiaci sinus angustias coerciti caperentur, transmiserant ex illis claustris in Echinades, inde *in portus Acarnanum;* Gron. *In Oxeas* conj. Crev. et *inde Oxeas* Drak. quæ est insula ex Echinadum numero; v. Strab. VIII, 351, et Cellar. Geogr. Ant. II, 14, p. 798. — *Ad se iretur*, in MS

tur, et intra Rhium (fauces eæ sunt Corinthii[15] sinus) opprimerentur.

VIII. Philippus mœrebat quidem et angebatur, quum ad omnia ipse raptim isset, nulli tamen se rei in tempore occurrisse[1], et rapientem omnia ex oculis elusisse celeritatem suam fortunam. In concilio autem, dissimulans ægritudinem, elato animo disseruit, testatus deos hominesque, *se nullo loco, nec tempore defuisse*[2], *quin, ubi hostium arma concrepuissent, eo, quanta maxima posset celeritate, tenderet : sed vix rationem iniri posse, utrum ab se audacius, an fugacius ab hostibus geratur bellum. Sic ab Opunte Attalum, sic Sulpicium a Chalcide, sic eis ipsis diebus Machanidam e manibus suis elapsum. Sed non semper felicem esse fugam : nec pro difficili id bellum habendum, in quo, si modo congressus cum hostibus sis, viceris. Quod primum esset, confessionem se hostium habere, nequaquam pares esse sibi : brevi et victoriam haud dubiam habiturum, nec meliore eventu eos secum, quam spe, pugnaturos.* Læti regem socii audierunt : reddidit inde Achæis Heræam et Triphyliam[3]. Alipheram autem Megalopolitis, quod suorum

Lov. 5 et Gaertn. *in se iretur*, ut II, 6, non improb. Drak. ut infestus simul animus significetur. Cf. eum ad IX, 43, 18, et Heins. ad Ovid. Her. III, 136.

15. *Rhium, fauces Corinthii sinus;* vide ad XXVII, 29, n. 6.

Cap. VIII. 1. *Nulli tamen se rei occurrisse;* vide ad XXI, 61, n. 1. — *Rapientem omnia ex oculis*, etc. conf. cap. præc. — Vide omnia quæ de hoc bello acutissime judicat *Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains*, cap. 5. Ed.

2. *Se nullo loco, nec tempore* (al. *nulli* et *tempori*) *defuisse*, scil. rei gerendæ aut occasioni; Gron. Conf. ad III, 46, n. 3. — *Eo tenderet;* vid. ad IV, 19, n. 1.

3. *Reddidit inde Achæis Heræam et Triphyliam :* Arcadiæ illa urbs, hæc regio, inter Elidem et Messeniam, sic dicta a tribus φύλοις in unum coalitis (vid. Strab. VIII, p. 337, et Steph.), aut a Triphylo, Arcadis filio; vid. Polyb. IV, 77 (ubi conf. Schweigh.); XVIII, 25, 30. E quibus etiam locis patet, Heræam Triphyliamque modo Eleis, modo Achæis concessas fuisse. *Alipheram autem*, Ἀλίφειραν seu Ἀλιφήραν, a Lydiada tyranno megalopo-

fuisse finium satis probabant, restituit. Inde, navibus acceptis ab Achæis (erant autem tres quadriremes et biremes totidem), Anticyram trajecit. Inde quinqueremibus septem et lembis viginti amplius, quos, ut adjungeret Carthaginiensium classi, miserat in Corinthium sinum, profectus ad Erythras Ætolorum[4], quæ prope Eupalium sunt, exscensionem fecit. Haud fefellit Ætolos; nam hominum quod aut in agris, aut in propinquis castellis Potidaniæ atque Apolloniæ fuit, in silvas montesque refugit. Pecora, quæ inter festinationem abigi nequierant, sunt direpta et in naves compulsa. Cum his cæteraque præda, Nicia prætore Achæorum[5] Ægium misso, quum Corinthum petisset, pedestres inde copias per Bœotiam terra duci jussit. Ipse, ab Cenchreis[6] præter terram atticam super Su-

litano Eleis a. U. 534, permutando concessam (vid. Polyb. IV, 77 extr.), *Megalopolitis restituit;* conf. XXXII, 5, n. 4, ubi male *Eleis* legi pro *Megalopolitis* jam monuit Gron. Ejusdem Arcadiæ urbes fuere *Aliphera* et *Megalopolis*, Μεγαλόπολις, sed plerumque ἡ Μεγάλη πόλις, sic dicta, quoniam Epaminondæ auspiciis, paucis post pugnam Leuctricam mensibus, Olymp. CIII, 1, condita est, XL vicis oppidisque, e quibus et Aliphera fuit, in unam *magnam urbem* contractis; vid. XXXII, 5; Pausan. VIII, 26, 27, 33; Polyb. IV, 77, 78; Wessel. ad Diod. XV, 72. *Megalopolitæ*, gr. οἱ Μεγαλοπολῖται, al. *Megalopolitani*. — *Quod suorum fuisse finium;* vide ad XXI, 30, n. 5. Tò *quod* delendum, aut leg. *quam* vel *qui;* Gron. Sed *quod* est conjunctio, et post *fuisse* suppl. *eam*.

4. *Ad Erythras Ætolorum* prope Naupactum in Locride et Corinthiacum sinum, ubi etiam fuerunt Pylene et *Eupalium*, Εὐπάλιον apud Strab. X, p. 310. Εὐπόλιον dicitur Thucyd. et Εὐπάλια Steph. a quibus Locridi attribuitur. Ἔρυθρα πόλις Ἰώνων (conf. XXXVII, 27) καὶ Λιβύης καὶ Λοκριδος καὶ Βοιωτίας καὶ Κύπρου, Steph. — *Exscensionem fecit;* vid. ad VIII, 17, n. 5. — *Potidania*, opp. Ætoliæ apud Stephan. et Thucyd. 3.

5. *Nicia prætore Achæorum*, cui anno seq. successit Philopœmen, cujus primam præturam, in qua Machanidam in prælio ad Mantineam occidit (vid. ad Polyb. XI, 10 sq.), prætermisit Livius, ut et res a Græcis per biennium gestas, ad quas demum XXIX, 12, redit, quia a Romanis eas tam diu neglectas dicit.

6. *Ab Cenchreis:* Cenchreæ Corinthiorum navale et portus, seu emporium, ad sinum Saronicum, ut *Lechæum* ad Crissæum seu occidentalem. Cf. XXXII, 17, 19, 23; Strab. VIII,

nium navigans, inter medias prope hostium classes, Chalcidem pervenit. Inde, collaudata fide ac virtute, quod neque timor, neque spes flexissent eorum animos, hortatusque in posterum, ut eadem constantia permanerent in societate, si suam, quam Oritanorum atque Opuntiorum, fortunam [7] mallent, ab Chalcide Oreum navigat, principumque iis, qui fugere capta urbe, quam se Romanis tradere, maluerant, summa rerum et custodia urbis permissa, ipse Demetriadem ab Eubœa, unde primo ad opem ferendam sociis profectus erat, trajecit. Cassandreæ [8] deinde centum navium longarum carinis positis, contractaque ad effectum ejus operis multitudine fabrorum navalium, quia res in Græcia tranquillas et profectio Attali fecerat, et in tempore laborantibus sociis latum ab se auxilium, retro in regnum concessit, ut Dardanis bellum [9] inferret.

IX. Extremo æstatis ejus, qua hæc in Græcia gesta sunt, quum Q. Fabius Maximi [1] filius legatus ab

p. 262; Pausan. II, 1, 2; Wasse ad Thucyd. VIII, p. 513. — *Super Sunium*, Atticæ prom. vide ad XXXI, 47, n. 3.

7. *Quam Oritanorum* (vide ad c. 5, n. 8) *atque Opuntior. fortunam*, etc. conf. cap. 6 et 7.

8. *Cassandreæ* in Macedonia, quæ olim dicta Potidæa, et deinde Cassandrea seu Cassandria a Cassandro rege, qui eam auxit aut instauravit; vide ad XLIV, 11. — *Navium* ædificandarum *carinis*, fundamentis, *positis*, ut c. 45 extr. apud Plaut. Mil. gl. III, 3, 41, et Curt. X, 1, 19.

9. *Ut Dardanis bellum inferret;* cf. XXVII, 32, 33. In MSS *dicionis* et *Sicioniis* pro *Dardanis;* unde Jac. Gron. conj. *Sintiis*. Conf. ad librum XLII, cap. 51, et lib. XLIV, cap. 46.

Cap. IX. 1. *Q. Fabius Maximi* Verrucosi Cunctatoris *filius:* ita MS Gud. recte. *Maximi P.* Put. et Flor. *Maximus P.* plerique MSS; unde perperam edd. ante Drakenb. *Maximus pater* et *prætor*. Sed quis filiorum Maximi h. l. innuitur? nam duo illi fuere ejusdem prænominis; quod non sine exemplo esse, docent Drak. ad IV, 36, n. 5; Duker. ad XXXIII, 42, n. 7; Manut. ad Cic. ad Div. VIII, 8. Utrum major? de quo vid. XXIV, 9, 12, 43-46; XXVII, 29. An minor? de quo vid. XXX, 26; XXXIII, 42. Haud dubie ille potius, quam hic, et ex Cic. Cat. 4, et Plut. Fabio: constat quidem, eum ante patrem, non vero, quod vulgo putant, jam ante hanc legationem

M. Livio consule Romam ad senatum nuntiasset, consulem satis præsidii Galliæ provinciæ credere L. Porcium cum suis legionibus esse, decedere se inde ac deduci exercitum consularem posse, Patres non M. Livium tantum redire ad Urbem, sed collegam quoque ejus C. Claudium jusserunt. Id modo in decreto interfuit, quod M. Livii exercitum reduci, Neronis legiones Hannibali oppositas manere in provincia jusserunt. Inter consules ita per literas convenit, ut, quemadmodum uno animo rempublicam[2] gessissent, ita, quanquam ex diversis regionibus convenirent, uno tempore ad Urbem accederent; Præneste qui prior venisset, collegam ibi opperiri jussus. Forte ita evenit, ut eodem die ambo Præneste venirent: inde præmisso edicto, ut triduo post frequens senatus ad ædem Bellonæ adesset[3], omni multitudine obviam effusa, ad Urbem accessere. Non salutabant modo universi circumfusi, sed, contingere pro se quisque victrices dextras consulum cupientes, alii gratulabantur, alii gratias agebant, quod eorum opera incolumis respublica esset. In senatu quum more omnium imperatorum, expositis rebus ab se gestis[4], postulassent, *ut pro republica fortiter feliciterque administrata*[5] *et diis immortalibus haberetur honos, et*

mortuum esse; conf. Duk. Suspicarer, Maximo præter hos tertium fuisse filium, eumque h. l. memorari. Sed tribus filiis idem fuisse prænomen, vix crediderim. — *Legatus ab M. Livio cos.* vide ad X, 14, n. 2.

2. *Rempublicam gessissent;* vide ad II, 64, n. 3.

3. *Senatus ad ædem Bellonæ adesset;* vide ad X, 23, n. 12, et XXVI, 21, n. 1. — *Contingere victrices*, victorum, *dextras consulum cupientes;* conf. ad XXV, 16, n. 8. A MSS abest τὸ *contingere*, et sic forte leg. *capientes*, seu *tangentes*, seu *rapientes;* Gron.

4. *Expositis rebus ab se gestis*, etc. vide ad XXVI, 21, n. 1.

5. *Pro republica administrata* (vide ad II, 64, n. 3) *fortiter feliciterque;* ita passim de imperatoribus, ut *fortiter et fideliter* de legatis, militibus, sociis; vid. Gron. et Drak. Notat Creverius exempla in utramque rem ex hoc uno capite colligi posse. Consules

ipsis triumphantibus Urbem inire liceret; Se vero ea, quæ postularent, decernere, Patres, *merito deorum primum, dein, secundum deos, consulum*, responderunt; et supplicatione amborum nomine [6] et triumpho utrique decreto, inter ipsos, ne, quum bellum communi animo gessissent, triumphum separarent, ita convenit, *ut, quoniam et in provincia M. Livii res gesta esset, et eo die, quo pugnatum foret, ejus forte auspicium fuisset* [7], *et exercitus livianus deductus Romam venisset, Neronis deduci non potuisset de provincia, ut M. Livium, quadrigis Urbem ineuntem, milites sequerentur, C. Claudius equo sine militibus inveheretur.* Ita consociatus triumphus, quum utrique, tum magis ei, qui, quantum merito anteibat, tantum honore collegæ cesserat, gloriam auxit: *illum equitem* aiebant *sex dierum spatio transcurrisse longitudinem Italiæ* [8], *et eo die cum Hasdrubale in Gallia signis collatis pugnasse, quo eum castra adversus sese in Apulia posita habere Hannibal credidisset. Ita unum consulem pro utraque parte Italiæ adversus duos duces, duos imperatores* [9], *hinc consilium suum, hinc corpus opposuisse. Nomen Neronis satis fuisse ad continendum castris Hannibalem: Hasdrubalem vero, qua alia re, quam adventu ejus, obrutum atque*

triumphum postulant pro administrata *fortiter feliciterque* republica; at in fine hujus capitis commemorant quam *forti fidelique* duorum legatorum opera usi sint. Ed.

6. *Supplicatione amborum nomine decreta*, quæ jam ante, allato a legatis nuntio victoriæ, in triduum decreta et celebrata fuerat (vid. XXVII, 51): quod raro videtur bis factum; Duk. — *In provincia M. Livii*; vide ad II, 40, n. 9.

7. *Ejus forte auspicium fuisset*; vid. II, 1, n. 11. — *Et exercitus livianus deductus* de provincia *Romam venisset, Neronis deduci non potuisset de provincia*, etc. tertia causa; de qua vide ad XXVI, 21, n. 1 et 2. Duplicatur h. l. *ut*; de quo vide supra ad XXII, 11, n. 2.

8. *Illum equitem transcurrisse longitudinem Italiæ*, h. e. equo, ut mox *etiamsi pedes incedat* pro *pedibus*.

9. *Duos duces, duos imperatores*;

exstinctum esse? Itaque iret alter consul sublimis curru multijugis, si vellet, equis : uno equo per Urbem verum triumphum vehi; Neronemque, etiam si pedes incedat, vel parta eo bello, vel spreta eo triumpho gloria, memorabilem fore. Hi sermones spectantium Neronem usque in Capitolium prosequuti sunt. Pecuniam in ærarium tulerunt sestertium [10] tricies, octoginta millia æris. Militibus M. Livius quinquagenos senos asses divisit : tantumdem C. Claudius absentibus militibus suis est pollicitus, quum ad exercitum redisset. Notatum, eo die plura carmina militaribus jocis in C. Claudium, quam in consulem suum, jactata [11] : equites L. Veturium et Q. Cæcilium legatos magnis tulisse laudibus, hortatosque esse plebem, ut eos consules in proximum annum crearent : adjecisse equitum prærogativæ [12] auctoritatem consules, postero die in concione, quam forti fidelique duorum præcipue legatorum opera usi essent, commemorantes.

X. Quum comitiorum tempus appeteret, et per dictatorem comitia haberi placuisset, C. Claudius consul M. Livium collegam dictatorem dixit; Livius

vide supra ad X, 25, n. 9. — *Verum triumphum*, virum eo vere dignum, vere triumphantem.

10. *Pecuniam in ærarium tulerunt sestertium tricies*, h. e. CXXVI talenta minus quatuor millibus nummum. (Creverius æstimat 125 talenta, quæ dant marcas argenti nostrates 11718, cum unciis sex; quibus si addas marcas 125, quæ affluunt ex octoginta millibus æris gravis, tota summa erit marcarum argenti nostratium, 11843 cum sex unciis. Ed.) At Polyb. XI, 3, ait πλείω τῶν τριακοσίων ταλάντων, unde forsan non XXX notatum fuit, sed LXXX, quod est *octagies*: ea enim CCCXXX talenta, XX minæ; Gronov. Mox pro *LXXX millia æris* in MS Mur. *DCCC m. æ.*, et in Hearnii D reperitur *DCCCC m. æ.* Perizon. in Diss. de Ære gravi, § 19, monet, in hoc triumpho primum *sestertios*, simulque multo majorem argenti, quam æris summam, a Livio memorari, ejusque rei causam esse, quod jam tum usus argenti præ ære in commerciis invalescere cœperit.

11. *Carmina militaribus jocis in C. Claudium jactata;* vide ad II, 12, n. 7; II, 45, n. 6; III, 29, n. 3, et IV, 20, n. 1.

12. *Equitum prærogativæ;* vide ad III, 51, n. 3.

Q. Cæcilium magistrum equitum. A M. Livio dictatore creati consules L. Veturius, Q. Cæcilius; is ipse, qui tum erat magister equitum. Inde prætorum comitia habita : creati C. Servilius, M. Cæcilius Metellus, Ti. Claudius Asellus, Q. Mamilius Turinus, qui tum ædilis plebis erat. Comitiis perfectis, dictator, magistratu abdicato dimissoque exercitu, in Etruriam provinciam ex senatusconsulto est profectus ad quæstiones habendas [1], qui Etruscorum Umbrorumve populi defectionis ab Romanis ad Hasdrubalem sub adventum ejus consilia agitassent, quique eum auxiliis, aut commeatu, aut ope aliqua juvissent. Hæc eo anno domi militiæque gesta. Ludi Romani ter toti instaurati ab ædilibus curulibus, Cn. Servilio Cæpione, Ser. Cornelio Lentulo. Item ludi plebeii semel toti instaurati [2] ab ædilibus plebis, M. Pomponio Mathone, et Q. Mamilio Turino. Tertiodecimo anno punici belli, L. Veturio Philone et Q. Cæcilio Metello consulibus, Bruttii ambobus, ut cum Hannibale bellum gererent, provincia decreta. Prætores exinde sortiti sunt, M. Cæcilius Metellus urbanam, Q. Mamilius peregrinam, C. Servilius Siciliam, Ti. Claudius Sardiniam. Exercitus ita divisi : consulum alteri, quem C. Claudius prioris anni consul, alteri, quem Q. Claudius proprætor (eæ binæ legiones erant) habuisset exercitum. In Etruria duas volonum legiones a C. Terentio proprætore M. Livius proconsul, cui prorogatum in annum imperium erat, acciperet : et Q. Mamilio, ut, collegæ jurisdictione tradita, Galliam cum exercitu, cui L. Porcius proprætor præfuerat [3], obtineret, decretum est; jussusque populari agros Gallorum, qui

CAP. X. 1. *Ad quæstionès habendas;* vide ad II, 29, n. 3.

2. *Ludi plebeii semel instaur.*, etc. vide ad II, 36, n. 1. — *Toti*, cum omni solennitate; Doer.

3. *Cui L. Porcius proprætor præ-*

ad Pœnos sub adventum Hasdrubalis defecissent. C. Servilio cum cannensibus duabus legionibus[4], sicut C. Mamilius tenuerat, Sicilia tuenda data. Ex Sardinia vetus exercitus, cui A. Hostilius præfuerat, deportatus : novam legionem, quam Ti. Claudius traiceret secum, consules conscripserunt. Q. Claudio, ut Tarentum[5], C. Hostilio Tubulo, ut Capuam provinciam haberet, prorogatum in annum imperium est. M. Valerius proconsul, qui tuendæ circa Siciliam maritimæ oræ præfuerat, triginta navibus C. Servilio præbitis, cum cætera omni classe redire ad Urbem jussus.

XI. In civitate tanto discrimine belli sollicita, quum omnium secundorum adversorumque causas in deos verterent[1], multa prodigia nuntiabantur; Tarracinæ Jovis ædem, Satrici Matris Matutæ de cælo tactam. Satricanos haud minus terrebant in ædem Jovis foribus ipsis duo perlapsi angues. Ab Antio nuntiatum est, cruentas spicas metentibus visas[2] esse. Cære porcus biceps et agnus mas idemque femina natus erat: quæ exponendæ erant, quasi obruto evenisse, ut aliquid poneret, tanquam de quo in superioribus egisset, licet nusquam antea memoratum : eas præsertim provinciarum permutationes non satis accurate tractatas. Putat igitur T. Quintium anno proximo Q. Claudio successisse, quam tamen mutationem memorare oblitus fuerit Livius; vel ipsum satis habuisse, dum brevitati studet, anno sequenti mutationem hanc verbo indicari. Ed.

fuerat, immo *prætor*, quod jam monuere Duk. et Crev. Conf. XXVII, 35, 36; 39, 46, 48.

4. *Cannen. duabus legionibus*, etc. vide ad XXVI, 1, n. 3.

5. *Q. Claudio, ut Tarentum*, Pighius in Annal. ad an. 547, p. 211, ex XXVIII, 45, XXIX, 13, et Plutarch. Quint. Flam. p. 369, colligebat, h. l. lacunam esse, ita explendam: *Q. Claudio Flaminino T. Quintius Flamininus successor extra ordinem datus, obtineret ut Tarentum*. Sed vid. Perizon. Animadv. Hist. cap. 4, p. 168. — Hic, loco citato, recte audacissimam hanc Pighii conjecturam refellit. Docet enim frequenter Livio, multitudine rerum

Cap. XI. 1. *Causas in deos verterent;* vid. IV, 9, n. 1. De *prodigiis*, quæ mox memorantur, vide supra ad I, 31, n. 1.

2. *Cruentas spicas metentibus visas;*

et Albæ duo soles visos referebant : et nocte Fregellis lucem obortam : et bos in agro romano loquutus, et ara Neptuni multo sudore manasse in circo Flaminio dicebatur; et ædes Cereris, Salutis, Quirini de cælo tactæ. Prodigia consules hostiis majoribus procurare jussi, et supplicationem unum diem habere : ea ex senatusconsulto facta. Plus omnibus aut nuntiatis peregre, aut visis domi prodigiis terruit animos hominum ignis in æde Vestæ exstinctus; cæsaque flagro est vestalis, cujus custodia noctis ejus fuerat, jussu P. Licinii pontificis. Id quanquam, nihil portendentibus deis, cæterum negligentia[3] humana acciderat, tamen et hostiis majoribus procurari, et supplicationem ad Vestæ haberi placuit. Prius quam proficiscerentur consules ad bellum, moniti ab senatu sunt, *ut in agros reducendæ plebis curam haberent : deum benignitate submotum bellum ab urbe romana et Latio esse, et posse sine metu in agris habitari. Minime convenire, Siciliæ, quam Italiæ, colendæ majorem curam esse*[4]. Sed res haudquaquam erat populo facilis, et liberis cultoribus bello absumptis, et inopia servitiorum, et pecore direpto villisque dirutis aut incensis : magna tamen pars auctoritate consulum compulsa in agros remigravit. Moverant autem hujusce rei mentionem Placentinorum et Cremonensium legati, querentes, agrum suum ab accolis Gallis incursari ac vastari, magnamque partem colonorum suorum dilapsam esse, et infrequentes se urbes,

vide ad librum XXII, cap. 1, n. 15.

3. *Cæterum negligentia;* vide ad IX, 21, n. 1. — *Supplicationem ad Vestæ;* vide ad I, 33, n. 6; III, 63, n. 2, et X, 23, n. 12.

4. *Siciliæ, quam Italiæ, colendæ majorem curam esse;* conf. XXVI, 40, et XXVII, 5. — Lævinus sedulo operàm dederat, ut vastata bellis Sicilia recoleretur, cogerenturque Siculi ad arandum et serendum animos rursus convertere. Eadem profecto cura debebatur Italiæ. En. — *Inopia*, propter inopiam.

agrum vastum ac desertum[5] habere. Mamilio prætori mandatum, ut colonias ab hoste tueretur. Consules ex senatusconsulto edixerunt, ut, qui cives cremonenses atque placentini essent, ante certam diem in colonias reverterentur. Principio deinde veris et ipsi ad bellum profecti sunt: Q. Cæcilius consul exercitum ab C. Nerone, L. Veturius ab Q. Claudio proprætore accepit, novisque militibus, quos ipse conscripserat, supplevit. In consentinum agrum consules exercitum duxerunt, passimque depopulati, quum agmen jam grave præda esset, in saltu angusto a Bruttiis jaculatoribusque numidis turbati sunt, ita ut non præda, sed[6] armati quoque in periculo fuerint. Major tamen tumultus, quam pugna, fuit; et præmissa præda, incolumes et legiones in loca tuta evasere: inde in Lucanos profecti. Ea sine certamine tota gens in ditionem populi romani rediit.

XII. Cum Hannibale nihil eo anno rei gestum est; nam neque ipse se obtulit[1] in tam recenti vulnere publico privatoque, neque lacessierunt quietum Romani: tantam inesse vim, etsi omnia alia circa eum ruerent, in uno illo duce censebant! Ac nescio, an mirabilior[2] adversis, quam secundis rebus, fuerit, quippe qui, quum et in hostium terra per annos tredecim, tam procul ab domo, varia fortuna bellum gereret exercitu non suo civili, sed mixto ex colluvione

5. *Agrum vastum ac desertum;* vide ad III, 7, n. 1.

6. *Ita ut non præda, sed,* etc. vide ad I, 40, n. 1.

Cap. XII. 1. *Ipse se obtulit,* ostendit, obviam ivit Romanis. — *Vulnere publico,* clade Pœnorum, *privato,* morte Hasdrubalis fratris.

2. *Ac nescio an mirabilior,* etc. vide ad II, 2, n. 3. In laude Hannibalis persequenda Livius expressit Polyb. XI, 19. — *Per annos tredecim,* scil. a transitu in Italiam ad hunc annum. Sedecim annos memorat Polyb. l. l. omne significans tempus in Italia consumptum, et septemdecim XXIV, 9, n. 5, numerans simul annum, quo Saguntus expugnata est. Conf. inf.

omnium gentium, quibus non lex, non mos, non lingua communis, alius habitus, alia vestis, alia arma, alii ritus, alia sacra, alii prope dei essent; ita quodam uno vinculo copulaverit eos, ut nulla nec inter ipsos, nec adversus ducem seditio exstiterit; quum et pecunia sæpe in stipendium, et commeatus in hostium agro deessent: quorum inopia priore punico bello multa infanda inter duces militesque commissa fuerant. Post Hasdrubalis vero exercitum [3] cum duce, in quibus spes omnis reposita victoriæ fuerat, deletum, cedendoque in angulum bruttium cætera Italia concessum, cui non videatur mirabile, nullum motum in castris factum? nam ad cætera id quoque accesserat, ut ne alendi quidem exercitus, nisi ex bruttio agro, spes esset; qui, ut omnis coleretur [4], exiguus tamen tanto alendo exercitui erat. Tum magnam partem juventutis abstractam a cultu agrorum bellum occupaverat, et mos vitio etiam insitus genti per latrocinia militiam exercendi: nec ab domo quidquam mittebatur, de Hispania retinenda sollicitis, tanquam omnia prospera in Italia essent. In Hispania res quadam ex

XXX, 28 pr. XXX, 30, n. 5, et XXX, 44 pr. — *Non lex, non mos, non lingua communis*, ut XXX, 33, n. 4, et apud Polyb. — Eadem expressit *Bossuet*, *Histoire universelle*, part. III, cap. 6: «On regarde comme un prodige, que dans un pays étranger, et durant seize ans entiers, il (Annibal) n'ait jamais vu, je ne dis pas de sédition, mais de murmure, dans une armée toute composée de peuples divers, qui, sans s'entendre entre eux, s'accordaient si bien à entendre les ordres de leur général». Ea e Polybio fere translata sunt. Ed.

3. *Post Hasdrubalis exercitum*, etc. conf. XXVII, 51 extr. et Hor. Od. IV, 4, 70 sq. — Post *Italia concessum;* vide ad I, 53, n. 1; XXII, 25, n. 8. *Concessa* et *cum cessum est* conj. Doer.

4. *Ut omnis coleretur;* vide ad II, 38, n. 3. — *Exiguus*, non sufficiens. — *Mos vitio etiam insitus genti* Bruttiæ *per latrocinia m. e.* cf. XXIX, 6. *Vitio*, malo studio, mala libidine; Crev. Naturali adeo vitiositate; Doer. *Ultro* malebat Gron. Mox verba *retinenda sollicitis ... in Hispania* ab optimis MSS absunt: unde Gron. conj. *mittebatur. Hispaniæ* vel *in Hispania res*, etc. Ita in MS Lov. 3 legitur. Sed

parte eamdem fortunam, quadam longe disparem habebant: eamdem, quod prælio victi Carthaginienses, duce amisso[5], in ultimam Hispaniæ oram usque ad Oceanum compulsi erant; disparem autem, quod Hispania, non quam Italia modo, sed quam ulla pars terrarum, bello reparando aptior erat, locorum hominumque ingeniis. Itaque ergo prima Romanis inita provinciarum[6], quæ quidem continentis sint, postrema omnium, nostra demum ætate, ductu auspicioque Augusti Cæsaris[7], perdomita est. Ibi tum Hasdrubal Gisgonis[8], maximus clarissimusque eo bello secundum Barcinos dux, regressus ab Gadibus, rebellandi spem adjuvante Magone Hamilcaris filio, delectibus per ulteriorem Hispaniam habitis, ad quinquaginta millia peditum et quatuor millia et quingentos[9] equites

hæc potius omnia excidisse culpa librariorum, quibus repetitio vocis *Hispania* fraudi fuerit et media omittendi causa, putabant Crev. et Drak. Dure autem dicitur *sollicitis* pro: ab iis qui solliciti erant. Forte legendum, *sollicito senatu*.

5. *Quod prælio victi Carthaginienses, duce amisso* Hannone, *in ultimam*, etc. vid. sup. cap. 2.

6. *Prima Romanis inita provinciarum*, etc. nam Sardinia et Sicilia, primæ provinciæ extra Italiam, non sunt in *continente;* Sigon. Conf. ad Vell. II, 38.

7. *Ductu auspicioque Augusti C.* (vide ad V, 46, n. 10) *perdomita est,* Cantabris an. Urb. 734 devictis ab Agrippa cum Vaccæis et Asturibus; vid. Dio, LIII, 22-28; LIV, 11.

8. *Hasdrubal Gisgonis* (vid. XXV, 35, n. 1), *maximus clarissimusque eo bello...dux.* « In optimis MSS *Has. Gis. maximusque eo bello*, etc. unde leg. *maximus qui eo bello;* quod pron. *qui* sæpe et postponitur, ut XXIX, 27 pr. XLII, 1, 11, 19, 34; XLV, 12, et hinc perperam in *que* descivit: nam III, 38, n. 4, corrigo *imperium qui ibi*, etc. IV, 17, n. 7, *colles qui inter Fidenas a. A. ceperunt;* XXVIII, 18, n. 4, *mirabiliorem qui sibi eum*, etc. et XLI, 25, n. 2, *damnata quæ eo crimine* »; Perizon. Ita et XXIII, 23 extr. *frequentes qui* pro *frequentesque;* XXIV, 25 extr. *accepta quæ* pro *acceptaque;* XXIX, 32 med. *rapti qui* pro *raptique* reponi et multa alia emendari posse, sed verendum esse, ne in his modus excedatur, monent Duk. et Drak. Conf. ad II, 56, n. 1, et XXXVI, 31, n. 4. — *Secundum Barcinos*, Hannibalem, Hasdrubalem et Magonem fratres. Conf. ad I, 4, n. 1, et XXI, 2, n. 5. Ad seqq. et cap. 13 sq. de rebus a Scipione adversus hunc Hasdrubalem aliosque Pœnorum duces gestis, conf. Polyb. XI, 20 sqq.

9. *Quatuor millia et D equites;*

armavit. De equestribus copiis ferme inter auctores convenit: peditum septuaginta millia quidam adducta ad Silpiam urbem scribunt. Ibi super campos patentes duo duces Pœni ea mente, ne detrectarent certamen, consederunt.

XIII. Scipio, quum ad eum fama tanti comparati exercitus perlata esset, neque romanis legionibus tantæ se parem fore multitudini ratus [1], ut non in speciem saltem opponerentur Barbarorum auxilia, neque in iis tamen tantum virium ponendum, ut mutando fidem, quæ cladis causa fuisset patri patruoque, magnum momentum facerent, præmisso Silano ad Colcham [2], duodetriginta oppidis regnantem, ut equites peditesque ab eo, quos se per hiemem conscripturum pollicitus erat, acciperet, ipse ab Tarracone profectus, protenus ab sociis, qui accolunt viam, modica contrahendo auxilia, Castulonem pervenit. Eo adducta ab Silano auxilia, tria millia peditum et quingenti equites: inde ad Bæculam urbem [3] progressus omni exercitu civium, sociorum, peditum equitumque quinque et quadraginta millibus. Castra ponen-

quatuor millia habet Polyb. sed *peditum septuaginta millia* et XXXII elephantos. — *Ad Silp. urbem*, Ἠλίγγαν Polyb. sed ad eum et Appian. Hisp. 24, jam monuit Schweigh., Elingam et Silpiam peræque ignota geographis nomina esse, et leg. *Ilipam*, oppid. Hispaniæ Bæticæ ad Bætim fl. inter Hispalin et Cordubam (v. Strab. III, p. 141 C; Antonin. Itin. p. 411; Plin. III, 1 seu 3), haud procul a Carmone seu Carmona, in cujus vicinia easdem res gestas esse tradit Appian. Hisp. 24, 27; de quo vide supra ad XXVII, 18, n. 1.

Cap. XIII. 1. *Neque ratus, se* cum *romanis legionibus tantæ multitudini* prorsus vel ita *parem fore, ut non, in speciem saltem, opponerentur*, ei opponenda essent, vel opponi magno usui esset, *Barbarorum auxilia, neque tamen* ratus *in iis tantum virium ponendum*, tantas eorum vires, copias colligendas esse, *ut ..... magnum momentum facerent;* vide ad I, 47, n. 7. — *Quæ cladis causa fuisset patri patruoque;* vide ad XXV, 33.

2. *Præmisso Silano ad Colcham*, al. *Colcam, Culcam, Scolcam, Schulcam, Sculcam* et *Sculcham* h. l. et XXXIII, 21. Κολίχαντα Polyb. XI, 20, et XXI, 9.

3. *Inde ad Bæculam urbem* (vid. ad XXVII, 18, n. 1) *progressus est*

tes eos Mago et Masinissa cum omni equitatu aggressi sunt; turbassentque munientes, ni abditi post tumulum, opportune ad id positum[4], ab Scipione equites improviso in effusos incurrissent. Hi promptissimum quemque, et proxime vallum atque in ipsos munitores primum invectum, vixdum prælio inito, fuderunt: cum cæteris, qui sub signis atque ordine agminis incesserant, longior et diu ambigua pugna fuit. Sed quum ab stationibus primum expeditæ cohortes, deinde ex opere deducti milites, atque arma capere jussi plures et integri fessis[5], magnumque jam agmen armatorum a castris in prælium rueret, terga haud dubie vertunt Pœni Numidæque. Et primo turmatim abibant, nihil propter pavorem festinationemve confusis ordinibus: dein, postquam acrius ultimis incidebat Romanus, neque sustineri impetus poterat, nihil jam ordinum memores, passim, qua cuique proximum fuit, in fugam effunduntur. Et quanquam eo prælio aliquantum et Romanis aucti et deminuti hostibus animi erant, tamen nunquam aliquot insequen-

cum *omni exercitu* (vid. I, 14, n. 4), et quidem, si Polybio fides habenda, cum *XLV mill. ped.*, equitum III mill. Idem Polyb. dicit, Scipionem, castris a Bæcula motis, profectum esse Ilipam opp., prope quod Hasdrubal consederit.

4. *Ni abditi ab Scipione equites post tumulum, opportune ad id positum*, situm. Conf. ad cap. 17, n. 4. *Oppositum* (ut XXV, 15; XXIX, 34; XXXI, 48; XL, 51) Hearnii D, quod et conj. Gron. Polybius tradit, multos Pœnorum equites delapsos esse equis, Romanorum vero singulari dexteritate ex equis desiliisse.

5. *Atque arma capere jussi plures et integri fessis*, his, qui erant fessi opere munitionis et præliando; Gron. qui etiam monet, verbum *rueret* referendum ad *expeditas cohortes*, ad *milites ex opere deductos*, etc. Sed ita saltem Livius inverso verborum ordine dixisset *integri et plures fessis*. Hinc recte, opinor, Doer. post *fessis* e quibusdam MSS inseruit *subirent*, etsi a pluribus abest. — Vocabulum *subirent*, quod a Gron. expulsum revocavit Crev. quum sine eo curta et abrupta oratio videretur, Livio obtrudere, optimis MSS invitis, non audet Drak. Ed. — *Terga haud dubie vertunt;* vide ad I, 9, n. 3. — *Nunquam per aliquot ins. dies.* Codd. fere cuncti ignorant τὸ *nunquam*, quod tamen sensus necessario flagitat, judice

tes dies ab excursionibus equitum levisque armaturæ cessatum est.

XIV. Ubi satis tentatæ per hæc levia certamina vires sunt, prior Hasdrubal in aciem copias eduxit : deinde et Romani processere. Sed utraque acies pro vallo stetit instructa; et quum ab neutris pugna cœpta esset, jam die ad occasum inclinante, a Pœno prius, deinde ab Romano in castra copiæ reductæ. Hoc idem per dies aliquot factum : prior semper Pœnus copias castris educebat; prior fessis standō signum receptui dabat : ab neutra parte procursum, telumve missum, aut vox ulla orta. Mediam aciem hinc Romani, illinc Carthaginienses mixti Afris, cornua socii tenebant : erant autem utrimque Hispani pro cornibus : ante punicam aciem elephanti castellorum procul speciem præbebant[1]. Jam hoc in utrisque castris sermonis erat, ita, ut instructi stetissent, pugnaturos; medias acies Romanum Pœnumque, quos inter belli causa esset, pari robore animorum armorumque concursuros. Scipio ubi hæc obstinate credita animadvertit, omnia de industria in eum diem, quo pugnaturus erat, mutavit. Tesseram vesperi per castra dedit, ut ante lucem viri equique curati et pransi essent; armatus eques frenatos instratosque teneret equos. Vix-

Crev. Forte nihil mutandum censet Drak. nisi quod inducenda sit præpositio *per*, ante *aliquot*, a Rhenano inserta, quam etiam ignorant omnes codd. Ed.

Cap. XIV. 1. *Elephanti... speciem præbebant.* Olim editi et scripti fere omnes *visu præbebant*. Gron. in Put. legit *ui* vel *vi præb.* unde efficit VI, id est, *sex*. Sed eum merito impugnant Creverius et Drakenb. quum Polyb. XI, 18, triginta duos elephantos in exercitu punico fuisse tradiderit. Drakenborchio placeret *visi :* elephanti procul visi castellorum speciem præbebant. Ed. — *Tesseram vesperi* (ἅμα τῷ φωτὶ Polyb. XI, 22, minus probabiliter) *per castra dedit;* vid. ad VII, 35, n. 1. De ipsa pugna conf. Polyb. XI, 22-24, et *Guischard*, *Mémoires militaires*, t. I, cap. 11. — *Instratos* ephippiis, stragulis, ut XXI, 54, et XXXIV, 7, n. 4. Sic et *instructus equus* XXI, 27 extr.

dum satis certa luce, equitatum omnem cum levi armatura in stationes punicas immisit: inde confestim ipse cum gravi agmine legionum procedit, præter opinionem destinatam[2] suorum hostiumque, romano milite cornibus firmatis, sociis in mediam aciem acceptis. Hasdrubal, clamore equitum excitatus, ut ex tabernaculo prosiluit, tumultumque ante vallum et trepidationem suorum et procul signa legionum fulgentia plenosque hostium campos vidit, equitatum omnem extemplo in equites emittit[3]. Ipse cum peditum agmine castris egreditur; nec ex ordine solito quidquam acie instruenda mutat. Equitum jam diu anceps pugna erat; nec ipsa per se decerni poterat, quia pulsis (quod prope in vicem fiebat) in aciem peditum tutus receptus erat. Sed ubi jam haud plus quingentos passus[4] acies inter sese aberant, signo receptui dato, Scipio, patefactisque ordinibus, equitatum omnem levemque armaturam, in medium acceptam divisamque in partes duas, in subsidiis post cornua locat. Inde, ubi incipiendæ jam pugnæ tempus erat, Hispanos (ea media acies fuit) presso gradu incedere jubet. Ipse e dextro cornu, ibi namque præerat, nuntium ad Silanum et Marcium mittit, ut cornu

2. *Præter opinionem destinatam*, certissimam firmissimamque, ut apud Cic. Tusc. II, 2, *certæ destinatæque sententiæ;* Duker. Livius enim paulo ante dixerat, *obstinate creditum* fuisse a suis Pœnisque, *se ita, ut instructi stetissent, pugnaturos.* Conf. Doer. ad Catull. VIII, 19. *Præter opinione destinatum*, h. e. præter id, quod opinione utrorumque destinabatur vel præsumebatur, malebat Gron. coll. XXIX, 20 pr.

3. *Equitatum omnem in equites* rom. *emittit;* vide ad X, 5, n. 4. — *Nec ipsa per se d. pot.* pugna; vid. VII, 9, n. 4. Ἄκριτος ἦν Polyb.

4. *Haud plus q. passus;* vid. IV, 52, n. 6. Περὶ στάδιον Polyb. sed περὶ δ΄ vel ἑ σταδίους (aut στάδια) emend. Schweigh. — *Patefactisque ordinibus;* vide ad XXVII, 18, n. 7. — *Presso gradu incedere*, ut mox *segnius incedere :* τηροῦντας τὰς τάξεις τὸν αὐτὸν τρόπον (scilicet ὃν ἐποιοῦντο προτοῦ) καὶ βάδην ποιεῖσθαι τὴν ἐπαγωγήν Polyb. vide supra

extenderent[5] in sinistrâ parte, quemadmodum se tendentem a dextra vidissent, et cum expeditis peditum equitumque prius pugnam consererent cum hoste, quam coire inter se mediæ acies possent. Ita diductis cornibus cum ternis peditum cohortibus[6] ternisque

ad librum VIII, cap. 8, not. 6.

5. *Nuntium ad* M. Junium *Silanum et* L. *Marcium mittit, ut cornu extenderent*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10. Mox *in sinistram partem* et *se tendentem ad dextram* plerique MSS. Παρήγγειλε τῷ μὲν δεξιῷ τὰς σημαίας καὶ τὰς ἴλας ἐπιστρέφειν ἐπὶ δόρυ (manipulos et turmas dextrorsum convertere), τῷ δ' εὐωνύμῳ τἀναντία, etc. Polyb. XI, 22, 23, ubi Schweigh. notat hæc: « Conversio, de qua hic agitur, et motus *obliquus*, de quo mox, pertinebant ad diducenda cornua aciei rom. et ad frontem æquandam fronti hostis, cujus exercitus pæne duplo major erat; simul vero eo valebant, ut legiones rom. prius aggrederentur cornua hostium, *quam coire inter se mediæ acies possent*».

6. *Cum ternis peditum cohortibus*: immo manipulis: nam Polyb. τρεῖς σπείρας dixit, *ternos manipulos, quot cohortem rom. conficiunt*, et synonyma ei sunt σπεῖρα, σημαία, τάγμα et τάξις· quod jam monuit Schweigh. — *Ternisque equitum turmis*; vid. supra ad XXVII, 26, n. 5. Idem Polyb. rem omnem accuratius exponit, et ex eo Schweigh. his verbis: «Tres manipuli, unus hastatorum, alter post hunc principum, tertius triariorum, qui manipuli in dextro cornu dextimi steterant, in sinistro cornu sinistimi, iidem nunc (conversione hinc ad sinistram, illinc ad dextram facta) primi stabant, fronte hinc ad dextram, illinc ad sinistram conversa. Utrimque igitur primos illos tres manipulos sumpserunt imperatores, et progredi jussos in linea fronti hostium parallela, quoad opus erat ut cornu quodque rom. cornu oppositum hostium exæquaret, deinde hinc sinistrorsum, illinc dextrorsum fregerunt, περικλάσαντες, i. e. novam conversionem in dextro cornu sinistrorsum, in sinistro cornu dextrorsum facere jusserunt, atque ita rectis ordinibus et *citato gradu in hostem duxerunt*. Horum deinde exemplum, servata commoda ratione, sequebantur tres sequentes manipuli, i. e. altera cohors, et in dextro cornu ad lævam, in sinistro ad dextram trium superiorum, justo servato intervallo, locum ceperunt; et sic porro (*sequentibus in obliquum aliis*). Quo factum est, ut, istis conversionibus flexionibusque peractis, pedites in quoque cornu rursus eo ordine starent, quo antea essent locati. Sed *equitum*, et qui cum his pugnabant, *velitum* contraria ratio erat. Hi enim post peditum terga circumibant (*circumducebant alas*), et ita sese locabant, ut in dextro cornu priores turmæ cum suis velitum globis ad dextram, in sinistro ad lævam peditum consisterent, et sequentes deinde turmæ, ut quæque proxima erat, sic ad dextram lævamque priorum locum caperet. Id nempe necesse fuisse videtur, ut latera peditum statim tecta essent. Quo fiebat, ut equitum turmæ, quæ antea in quoque cornu a dextra steterant, nunc

equitum turmis, ad hoc velitibus, citato gradu in hostem ducebant[7], sequentibus in obliquum[8] aliis. Sinus in medio erat[9], quia segnius Hispanorum signa incedebant. Et jam conflixerant cornua, quum, quod roboris in acie hostium erat, Pœni veterani Afrique nondum ad teli conjectum venissent, neque in cornua, ut adjuvarent pugnantes, discurrere auderent, ne aperirent mediam aciem venienti ex adverso hosti. Cornua ancipiti prælio urgebantur : eques levisque

in eo a sinistra starent, et vice versa. Quæ res videri quidem poterat aliquid incommodi habere, quod equitum ordines nunc contraria insolitaque ratione locarentur. Sed illud parum curabat Scipio, quia exiguum erat, et quia, illis peractis motibus, id consequutus erat, quod majoris erat momenti, scil. ut satis nunc diductam porrectamque aciem haberet, ut hostium cornua non solum *a fronte urgere*, sed et *circumductis alis in latera ejus incurrere* posset».

7. *Citato gradu in hostem ducebant* (vide ad I, 23, n. 4, et VIII, 8, n. 6), ἐνεργῆ ποιούμενοι τὴν ἔφοδον Polyb. sed simul προῆγον ὀρθίους ἐπὶ τοὺς πολεμίους, *ducebant rectos* vel *rectis ordinibus*; de quibus v. ad XXX, 33.

8. *Sequentibus in obliquum aliis*, cæteris (vide ad IV, 10, n. 2), ἀεὶ τῶν ἑξῆς ἐπιβαλλόντων (scil. τοῖς προπορευομένοις, posterioribus semper succedentibus vel applicantibus se ad superiores) καὶ κατὰ περίκλασιν ἑπομένων, sequentibus inflexione simili, h. e. posterioribus ordinibus circum prælocatos ita circumductis, ut ingrederentur in linea ad angulum rectum inflexa sive fracta. Conf. Schweigh. ad Polyb. X, 21, 5-7, ubi etiam hæc notavit: «Παραγωγὴ, forte et παράλλαγὴ, circumductio et circuitio militum a tergo in frontem, ut novi ordines fiant, est motus eorum in linea obliqua, ubi, postquam manipuli seu turmæ omnes versus illud latus, quod frontem fieri volunt aciei, converterunt vultus, primus manipulus sive prima turma, quæ est in eo latere, immota stat, reliquæ vero omnes obliqua profectione et obliquis lineis parallelis (brevioribus longioribusve, prout sunt propiores illi lateri aut remotiores) in idem latus tendunt, ita ut remotiores post terga priorum prætereant, et eo usque progrediantur, donec in eodem latere omnes æquata fronte consistant. Huic deductioni obliquæ post terga præcedentium opponitur ἐπαγωγὴ, eductio adversus hostem, manipulis seu turmis in linea recta sese invicem excipientibus».

9. *Sinus in medio erat:* sc. motus, qui in cornibus peragebantur, universæ aciei rom. speciem præbebant *sinus* vel forcipis, cujus duo utrimque obliqua latera, duo cornua erant; pars hosti ex adverso opposita et adversa fronte in hostem directa, ἡ κατὰ πρόσωπον πλευρὰ, ipsa media acies erat, in qua stabant Hispani; Schweigh. l. l. — *Quia segn.* Quidam MSS, et in primis Put. et Victorin. habent *qua*, quod longe elegantius et

armatura et velites[10], circumductis alis in latera incurrebant; cohortes a fronte urgebant, ut abrumperent cornua a cætera acie.

XV. Et quum ab omni parte haudquaquam[1] par pugna erat, tum quod turba Baliarium tironumque hispanorum romano latinoque militi objecta erat, et, procedente jam die, vires etiam deficere Hasdrubalis exercitum cœperant, oppressos matutino tumultu coactosque, prius quam cibo corpora firmarent, raptim in aciem exire. Ad id sedulo diem extraxerat Scipio[2], ut sera pugna esset: nam ab septima demum hora peditum signa cornibus incurrerunt. Ad medias acies aliquanto serius pervenit pugna; ita ut prius æstus a meridiano sole laborque standi sub armis et simul fames sitisque corpora afficerent, quam manus cum hoste consererent: itaque steterunt scutis innisi. Nam super cætera elephanti etiam, tumultuoso genere pugnæ equitum velitumque et levis[3] armaturæ consternati, e cornibus in mediam aciem sese intulerant. Fessi igitur corporibus animisque retulere pe-

expressius visum, Creverius in contextum admisit. Ed.

10. *Eques levisque armatura et velites;* vid. ad XXI, 55, n. 2. *Levisque armatura, velites* (per epexegesin) edidit Drak. quia τὸ *et* a plurimis MSS abest. Sed conf. cap. 15, n. 3, et Schel. ad Hygin. p. 1052; Thes. Antt. Rom. — *Circumductis alis in latera*, etc. vid. not. 6.

Cap. XV. 1. *Et quum ab omni parte haudquaquam*, etc. hoc *quum* ex plurimis MSS edidere Ald. et Drak. pro vulg. *tum:* sed neutrum satis h. l. aptum. Scribendum *jam:* neque enim *tum*, quod sequitur, huic particulæ respondet, sed insequenti *et*, sensusque est: non erat jam par pugna, quia et impares pugnabant, et Hasdrubalis exercitum jejunum deficiebant vires; Gron. Cf. ad I, 35, n. 1, et XXI, 54, n. 9. Vulg. *tum* revocavit Doer. exponitque: jam, nunc. Sed minus placet ob seq. *tum.*

2. *Ad id sedulo diem extraxerat Scipio;* vide ad II, 23, n. 3, et IV, 43, n. 6. — *Corpora afficerent;* vide ad V, 10, n. 6.

3. *Elephanti etiam, tumultuoso genere pugnæ equitum velitumque et levis armaturæ* (vide ad c. 14, n. 10) *consternati*, etc. cf. Polyb. XI, 24 pr. ubi Schweigh. suspicatur, elephantos, ante mediam Pœnorum aciem locatos (vid. cap. 14), ad cornuum extremitatem et latera actos fuisse, ut ea ab

dem, ordines tamen servantes, haud secus, quam si imperio ducis cederet integra acies. Sed quum eo ipso acrius, ubi inclinatam sensere rem, victores se undique inveherent, nec facile impetus sustineri poset; quanquam retinebat obsistebatque cedentibus Hasdrubal, *ab tergo esse colles tutumque receptum, si modice se reciperent*, clamitans, tamen, vincente verecundiam metu (quum proximus quisque hostem cederet [4]), terga extemplo data, atque in fugam sese omnes effuderunt. Ac primo consistere signa in radicibus collium, ac revocare in ordines militem cœperant [5], cunctantibus in adversum collem erigere aciem Romanis. Inde ut inferri impigre signa viderunt, integrata fuga, in castra pavidi compelluntur : nec procul vallo Romanus aberat, cepissetque tanto impetu castra, ni se ex vehementi sole [6], qualis inter graves imbre nubes effulget, tanta vis aquæ dejecisset, ut vix in castra sua receperint se victores; quosdam etiam religio ceperit ulterius quidquam eo die conandi. Carthaginienses, quanquam fessos labore ac vulneribus nox imberque ad necessariam quietem vocabat, tamen, quia metus et periculum cessandi non dabat tempus, prima luce oppugnaturis hostibus ca-

impetu equitum velitumque rom. defenderent, et deinde *consternatos a cornibus* rediisse seque *intulisse in mediam aciem*. — *Cederet integra acies*. Velut si cederent non victi, non pulsi : ea prælii conditione et fortuna, ut essent integra acies. Legendum forsan *cederent*, quod in codd. Put. et Victor. invenit Creverius, et in quibusdam aliis esse testatur Drak. Ed.

4. *Quum proximus quisque hostem cederet* : immo *cæderet* ; Jac. Gron. Præstiterit *hosti cederet*. Sed nil mutandum, si junxeris *proximus hostem*. Cf. ad II, 48, n. 5.

5. *Ac primo consistere signa, ac revocare in ordines militem cœperant* ; « quia *signa* non possunt dici *revocare milites*, videtur melius esse *constituere signa*, ut lib. V, 55; XXXIII, 10; XXXIV, 20; sed hic *præfecti*, *duces* suppleri potest ». Duk. Cf. ad c. 16, not. 1.

6. *Ex vehementi sole*, propter et post ardorem solis. — *Quosdam etiam religio ceperit*, etc. (vide ad II, 5,

stra, saxis undique circa ex propinquis vallibus congestis augent vallum, munimento sese, quando in armis parum præsidii foret, defensuri; sed transitio sociorum, fuga ut tutior mora videretur, fecit. Principium defectionis ab Attane regulo Turdetanorum factum est: is cum magna popularium manu transfugit: inde duo munita oppida cum præsidiis tradita a præfectis Romano; et ne latius, inclinatis semel ad defectionem animis, serperet res, silentio proximæ noctis Hasdrubal castra movet.

XVI. Scipio, ut prima luce, qui in stationibus erant, retulerunt, profectos hostes, præmisso equitatu signa ferri jubet; adeoque citato agmine ducti sunt, ut, si via recta vestigia sequentes issent, haud dubie assequuturi fuerint. Ducibus est creditum, brevius aliud esse iter ad Bætim fluvium, ut transeuntes aggrederentur. Hasdrubal, clauso transitu fluminis, ad Oceanum flectit; et jam inde fugientium modo effusi abibant; idque ab legionibus romanis aliquantum intervalli fecit. Eques levisque armatura, nunc ab tergo, nunc ab lateribus occurrendo[1], fatigabat morabaturque: sed quum ad crebros tumultus signa consisterent, et nunc equestria, nunc cum velitibus auxiliisque peditum prælia consererent, supervenerunt legiones. Inde non jam pugna, sed trucidatio velut pecorum fieri; donec ipse dux, fugæ auctor, in pro-

n. 4) quasi noluerint dii, diutius pugnari, et voluntatem suam ita declaraverint.

Cap. XVI. 1. *Nunc ab tergo, nunc ab lateribus occurrendo;* cf. ad I, 33, n. 7. Forte *incurrendo:* nam quomodo *ab tergo* alicui *occurri* possit, non intelligo; Duk. — *Auxiliis peditum;* peditibus auxiliaribus, Hispanis nempe apud Romanos militantibus, qui quum essent leviores pedite romano, assuetique in montibus decurrere, legionum agmen præcesserant, fugientesque Pœnos lacessebant. Hic Creverius non inutile censet observare, *auxilia* proprie et signate dici adjunctas romanis exercitibus copias e gentibus exteris, non vero ex italicis populis, qui *socii* dicebantur non *auxilia*, aut *auxiliares*. Ed. — *Prælia consererent*, scil.

ximos colles cum sex millibus ferme semiermium evasit. Cæteri cæsi captique : castra tumultuaria[2] raptim Pœni tumulo editissimo communierunt, atque inde, quum hostis nequidquam subire iniquo adscensu conatus esset, haud difficulter sese tutati sunt. Sed obsidio in loco nudo atque inopi vix in paucos dies tolerabilis erat : itaque transitiones ad hostem fiebant. Postremo dux ipse, navibus acceptis (nec procul inde aberat mare), nocte relicto exercitu, Gades perfugit. Scipio, fuga ducis hostium audita, decem millia peditum, mille equites relinquit Silano ad castrorum obsidionem. Ipse cum cæteris copiis, septuagesimis castris, protenus causis regulorum civitatiumque cognoscendis, ut præmia ad veram meritorum æstimationem tribui possent, Tarraconem rediit. Post profectionem ejus Masinissa, cum Silano clam congressus, ut ad nova consilia gentem quoque suam obedientem haberet, cum paucis popularibus in Africam trajecit; non tam evidenti eo tempore subitæ mutationis[3] causa, quam documento post id tempus constantissimæ ad ultimam senectam fidei, ne tum quidem eum sine probabili causa fecisse. Mago inde, remissis ab Hasdrubale navibus, Gades petit. Cæteri, deserti ab ducibus, pars transitione, pars fuga, dissipati per proximas civitates sunt : nulla manus numero aut viribus insignis. Hoc maxime modo, ductu atque auspicio

hostes. Conf. supra ad cap. 15, n. 5.

2. *Castra tumultuaria;* vide ad I, 37, n. 4.

3. *Subitæ mutationis causæ* variæ traduntur. Conf. cap. 35; Appian. Pun. 10; Hisp. 37; Sil. XVI, 118 sq. 132 sq. —Vide quoque ad XXIX, 29. Ed. — *Quam documento* (indicio, argumento) *post id tempus..... fidei,* scil. *evidenti,* h. e. fide postea evidenter indicante. Docente fide; Crever. Per documentum fidei, h. e. quod fide docuit; Doer. *Constantissima fide* emend. Duk. hoc sensu: tum quidem non exsistente, apparente *subitæ mutationis causa,* sed constantissima fide exsistente documento, *ne tum quidem,* etc.

P. Scipionis, pulsi Hispania Carthaginienses sunt; tertiodecimo anno post bellum initum, quinto, quam P. Scipio [4] provinciam et exercitum accepit. Haud multo post Silanus, debellatum referens, Tarraconem ad Scipionem rediit.

XVII. L. Scipio cum multis nobilibus captivis nuntius receptæ Hispaniæ Romam est missus [1]: et quum cæteri lætitia gloriaque ingenti eam rem vulgo ferrent, unus, qui gesserat, inexplebilis virtutis veræque laudis, parvum instar eorum, quæ spe ac magnitudine animi concepisset, receptas Hispanias ducebat: jam Africam magnamque Carthaginem, et in suum decus nomenque [2] velut consummatam ejus belli gloriam spectabat. Itaque, præmoliendas sibi ratus jam

4. *Tertiodecimo anno post bellum initum, quinto, quam P. Scipio*, etc. ex emend. Glar. In omnibus MSS et edd. antt. *quarto decimo;* sed leg. *duodecimo :* nam forma hæc est loquendi, qua primus annus non comprehenditur : re vera autem hic est punici belli annus XIII et imperii Scipionis sextus; Sigon. *Quinto* forte pro *sexto*, quod Scipio sub finem decumum æstatis cum imperio in Hispaniam venit, et ineunte hujus anni æstate Pœnos Hispania pepulit, adeoque *quintus* annus nondum expletus fuit; Crev. *Quinto, quam* recte Put. Flor. Cant. pro *quinto, postquam :* sic enim gaudet loqui Livius; Jac. Gron. et Drak. coll. III, 33; IV, 7, 47; VI, 29; VII, 18; XXI, 15; XXV, 31; XXVI, 27; XXVII, 5; XXVIII, 45; XXIX, 35; XXXI, 7, 14; Duk. ad Flor. II, 2, 7; Gron. ad Justin. XXVI, 1. Ita vero dictum esse labente in deterius latino candore, contendebat Hadr. Cardin. de Serm. Lat. p. 69. Conf. ad XLI, 16, n. 5.

Cap. XVII. 1. *L. Scipio... Romam est missus :* Livium memoria lapsum eamdem rem bis narrasse, h. l. et cap. 4, putabat Glar. sed Scipionem potius bis Romam missum esse et nunc iterum *nobiles captivos*, at alios, eo adduxisse, Livium vero in eo peccasse, quod nullam reditus ejus in Hispaniam mentionem fecerit, suspicabantur Drak. et Periz. Anim. Hist. cap. 4, p. 165. — *Quum cæteri* cum *lætitia gloriaque eam rem vulgo ferrent*, laudibus efferrent; vide ad IV, 45, n. 5. — *Parvum instar*, simulacrum, species, imago, umbra, ut XXXV, 49. — *Ducebat*, putabat, judicabat.

2. *In suum decus nomenque* (Africani) *velut* jam *consummatam* (propr. *consummati*, vide ad I, 1, n. 6, h. e. perfecti, ut XXIX, 33) *ejus belli gloriam spectabat*, respiciebat, tanquam ad rem, certa *spe conceptam :* vel *spectabat* eo sensu dictum; de quo vide ad I, 34, n. 5. Sed potius leg. *consummandam* cum Ruhnken. ad

res conciliandosque regum gentiumque animos, Syphacem primum regem statuit tentare[3] : Masæsylorum is rex erat. Masæsyli, gens affinis Mauris, in regionem Hispaniæ, maxime qua sita Nova Carthago est, spectant. Fœdus ea tempestate regi cum Carthaginiensibus erat : quod haud gravius ei sanctiusque, quam vulgo Barbaris, quibus ex fortuna pendet fides, ratus fore, oratorem ad eum C. Lælium cum donis mittit. Quibus Barbarus lætus, et quia res tum prosperæ ubique Romanis, Pœnis in Italia adversæ, in Hispania nullæ jam erant, amicitiam se Romanorum accipere annuit; firmandæ ejus fidem nec dare, nec accipere, nisi cum ipso coram duce romano[4]. Ita Lælius, in id modo fide ab rege accepta, tutum adventum fore, ad Scipionem rediit. Magnum in omnia momentum Syphax affectanti res Africæ erat, opulentissimus ejus terræ rex, bello jam expertus ipsos Carthaginienses, finibus etiam regni apte ad Hispaniam, quod freto

Vell. II, 29. Tum sensus est: *et spectabat ejus belli gloriam velut consummandam,* quasi absolvendam, h. e. ad summum plane fastigium extollendam, *in suum decus nomenque :* nam præsagiebat, se *Africanum* appellatum iri; Doer. *Olim consummandi* malebat Gron. et mox ex optimorum codd. vestigiis *præmoliendam rem.* — Correctionem Ruhnkenii *consummandam* impugnat Büttner, Observ. pag. 76, quia perinde valet vulgata : quippe *consummata gloria* est *consummatio gloriæ.* Sic centies pro participio futuri passivi usurpatur participium perfecti passivi : verbi causa, V, 36, *cladis acceptæ*, pro, accipiendæ; XXVIII, 41 med. *belli patrati* (patrandi); XXXIV, 22, *Græciæ liberatæ* (liberandæ), etc. Quod monuit Gronov. filius τὸ *consummatam* per enallagen positum pro *consummati,* ita respuunt adjecta verba *in suum decus nomenque :* absurda enim sententia foret: « Spectabat belli decus in suum decus profligati ». Atque sic se pervicisse existimat Büttner, ne in posterum temere vexetur locus. Ed.

3. *Syphacem primum regem statuit tentare* (vide ad IX, 35, n. 1): *Masæsylorum is rex,* etc. vide ad XXIV, 48, n. 1. — *Gens affinis Mauris,* confinis, *proxima.*

4. *Cum ipso duce romano,* Scipione, et quidem *coram,* adverbialiter, cum eo præsente, non per legatum Lælium; Drak. Germ. *persönlich,* ut passim. — *Finibus etiam regni apte ad Hispaniam positis;* vide ad cap. 13, n. 5, et ad XXIV, 48, n. 1.

exiguo dirimuntur, positis. Dignam itaque rem Scipio ratus, quæ, quoniam non aliter posset, magno periculo peteretur, L. Marcio Tarracone, M. Silano Carthagine Nova, quo pedibus ab Tarracone itineribus magnis ierat[5], ad præsidium Hispaniæ relictis, ipse cum C. Lælio duabus quinqueremibus ab Carthagine profectus tranquillo mari plurimum remis, interdum et leni adjuvante vento, in Africam trajecit. Forte ita incidit, ut eo ipso tempore Hasdrubal pulsus Hispania, septem triremibus portum invectus, ancoris positis terræ applicaret naves; quum conspectæ duæ quinqueremes haud cuiquam dubio[6], quin hostium essent, opprimique a pluribus, prius quam portum intrarent, possent, nihil aliud, quam tumultum ac trepidationem simul militum ac nautarum, nequidquam armaque et naves expedientium, fecerunt. Percussa enim ex alto vela paulo acriori vento prius in portum intulerunt quinqueremes, quam Pœni ancoras molirentur[7]; nec ultra tumultum ciere quisquam in regio portu audebat. Itaque prior in terram Hasdrubal, mox Scipio et Lælius egressi, ad regem pergunt.

XVIII. Magnificumque id Syphaci (nec erat aliter) visum, duorum opulentissimorum ea tempestate du-

5. *Quo pedibus ab Tarracone... ierat;* vide ad XXII, 31, n. 4. — *Ab Carthagine profectus*, etc. conf. ad Epit. XXVIII.

6. *Haud cuiquam dubio*, quum nemini dubium esset. *Dubio*, scil. ente seu exsistente. Conf. Drak. ad IV, 47, n. 7, et Periz. ad Sanctii Min. IV, 4, 28. *Haud quoquam dubio*, i. e. dubitante, malebat Ant. Periz.

7. *Quam Pœni ancoras molirentur*, tollerent, ut cap. 36. Cf. ad VI, 11, n. 5, et XXV, 11, n. 10. — *Nec ultra tumultum ciere*, h. e. non porro, non diutius. *Ciere* e Put. pro vulg. *edere* recepit Gron. *Agere quis quidquam* emend. Rhen. *Nec vim facere aut tumultum ciere* conj. Gron. Malim *et nil ultra tumultum ciere* vel *edere* (non vim quoque prælumve facere), ut paulo ante: *nihil aliud, quam tumultum ac trepidationem, fecerunt.* Cæterum Pœnorum naves, inscio rege, hostiliter occurrisse Scipioni, hunc

ces populorum uno die suam pacem amicitiamque petentes venisse. Utrumque in hospitium invitat, et, quoniam fors eos sub uno tecto esse atque ad eosdem penates[1] voluisset, contrahere ad colloquium dirimendarum simultatium causa est conatus; Scipione abnuente, aut privatim sibi ullum cum Pœno odium esse, quod colloquendo finiret, aut de republica se cum hoste agere quidquam injussu senatus posse. Illud magno opere tendente rege, ne[2] alter hospitum exclusus mensa videretur, ut in animum induceret, ad easdem venire epulas, haud abnuit; cœnatumque simul apud regem est; et eodem etiam lecto Scipio atque Hasdrubal (quia ita cordi erat regi) accubuerunt[3]. Tanta autem inerat comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis ingenii dexteritas, ut non Syphacem modo, Barbarum insuetumque moribus romanis, sed hostem etiam infestissimum, facunde alloquendo sibi conciliaret; *mirabilioremque sibi eum virum congresso coram*[4] *visum* præ se ferebat, *quam bello rebus gestis. Nec dubitare, quin Syphax regnumque ejus jam in Romanorum essent potestate : eam artem illi viro ad conciliandos animos esse! Itaque non, quo modo Hispaniæ amissæ sint, quærendum magis Carthaginiensibus esse, quam, quo modo Afri-*

vero eos prætervectum esse, tradit Appian. Hisp. 30.

Cap. XVIII. 1. *Ad* (apud) *eosdem penates*, in iisdem ædibus, ut XXX, 14, n. 4, id. qd. *sub uno tecto*. Conf. ad X, 23, n. 12; Drak. ad VII, 7, n. 4; Gron. Obss. IV, 6. — *Scipione abnuente*, negante, *aut...aut*, dicente, nec...nec.

2. *Tendente rege, ne alter*, etc. vide ad IV, 7, n. 6.

3. *Eodem etiam* in *lecto Scipio a. H. accubuerunt* mensæ. Conf. Appian. Hisp. 30. — *Cordi erat regi;* vide ad VI, 9, n. 1.

4. *Mirabilioremque sibi congresso coram* (hæc jungenda) *eum virum visum, præ se ferebat*, sc. Syphax. Cf. ad cap. 12, n. 8. Ante *mirabilioremque* rectius forte majorem distinct. posuit Doer. — *Ad conciliandos animos*. Vid. quæ de maxima et infelici regina eloquentissimus expressit *Bossuet, Orais. funèbre de la reine d'An-*

cam retineant, cogitandum. Non peregrinabundum, neque circa amœnas oras vagantem tantum ducem romanum, relicta provincia novæ ditionis, relictis exercitibus, duabus navibus in Africam trajecisse sese[5] *in hostilem terram, regiam in fidem expertam; sed potiundæ Africæ spem affectantem*[6]. *Hoc eum jam pridem volutare in animo, hoc palam fremere, quod non, quemadmodum Hannibal in Italia, sic Scipio in Africa bellum gereret.* Scipio, fœdere icto cum Syphace, profectus ex Africa, dubiisque et plerumque sævis in alto jactatus ventis, die quarto Novæ Carthaginis portum tenuit.

XIX. Hispaniæ sicut a bello punico quietæ erant, ita quasdam civitates, propter conscientiam culpæ, metu magis, quam fide, quietas esse apparebat: quarum maxime insignes et magnitudine et noxa Illiturgi et Castulo[1] erant. Castulo, quum prosperis rebus socii fuissent, post cæsos cum exercitibus Scipiones defecerant ad Pœnos. Illiturgitani prodendis,

gleterre : « Presque tous ceux qui lui parlaient se rendaient à elle, etc. » Ed. — Sic etiam vir non minoris, quanquam mitioris, ingenii *Fénélon*, *Télémaque*, lib. V, princ. laudans Ulyssis filium, similem patri : « Je reconnais cette parole douce, simple et insinuante, qui persuadait avant qu'on eût le temps de s'en défier ». Ed.

5. *Duabus navibus in Africam trajecisse sese*, trajiciendo mare venisse, *in hostilem terram, regiam in fidem expertam*, cujus fides in regem experta aut nota sit. Cf. Val. Max. IX, 8, 1. *Inexpertam* optimi plurimique MSS et edd. ante Drak. prob. Gron. Obss. IV, 6, p. 88. Idem in notis ad h. l. conj. *in hostilem terram, regiam* (aulam barbari regis, cui non temere te credas, nisi fidei et incolumitatis quædam dederit pignora) *infidam, inexpertam*. In iisdem MSS legitur *relictis exercitibus duobus* (altero sub L. Marcio Tarracone, altero sub M. Junio Silano Carthagine Nova) *in Africam*, etc. non improb. Gron.

6. *Spem affectantem*, cum aliquo forte acumine dictum et figurate, ut apud Ovid. Met. V, 377, nisi leg. *sectantem;* Gron. Cf. ad c. 38, n. 4. — *Fremere;* vide ad XXV, 28, n. 3.

Cap. XIX. 1. *Illiturgi et Castulo;* vide ad XXI, 11, n. 9, et XXIII, 49, n. 4. Mox *Castulo* pro *Castulonenses* (quod primus reposuit Ascensius) omnes fere MSS et edd. antt. vide ad III, 47, n. 1. Ad seqq. cf. Appian. Hisp. c. 32, ibique Schweigh.

qui ex illa clade ad eos perfugerant, interficiendisque scelus etiam defectioni addiderant. In eos populos primo adventu, quum dubiæ Hispaniæ essent, merito magis, quam utiliter, sævitum foret. Tunc, jam tranquillis rebus, quia tempus expetendæ pœnæ videbatur venisse, accitum ab Tarracone L. Marcium cum tertia parte copiarum ad Castulonem oppugnandum mittit : ipse cum cætero exercitu quintis ferme ad Illiturgin castris pervenit. Clausæ erant portæ, omniaque instructa et parata ad oppugnationem arcendam : adeo conscientia, quid se meritos scirent, pro indicto eis bello fuerat. Hinc et hortari milites Scipio orsus est : *Ipsos claudendis portis*[2] *indicasse Hispanos, quid, ut timerent, meriti essent. Itaque multo infestioribus animis cum iis, quam cum Carthaginiensibus, bellum gerendum esse. Quippe cum illis prope sine ira de imperio et gloria certari; ab his perfidiæ et crudelitatis et sceleris pœnas expetendas esse. Venisse tempus, quo et nefandam commilitonum necem, et in semet ipsos, si eodem fuga delati forent, instructam fraudem ulciscerentur; et in omne tempus gravi documento sancirent, ne quis unquam romanum civem militemve in ulla fortuna opportunum injuriæ*[3] *duceret.* Ab hac cohortatione ducis incitati scalas electis per manipulos viris dividunt, partitoque exercitu, ita ut parti alteri Lælius præesset

— *Merito magis, quam utiliter.* Hic Rhenano videbatur tam vitiata esse lectio, ut ea totam sententiam perdidisset : dabatque, *increpitos magis quam ut aliter sævitum foret, tum,* etc. Sed eum recte impugnant Gronov. et Drak. Sensus vulg. planus est, nec quidquam in eo impeditum deprehendas : hi populi meruerant pœnam, sed atrocitas supplicii forsan Hispanorum animos a Scipione abalienasset. Ed.

2. *Ipsos claudendis portis indicasse;* vide ad I, 53, n. 3, et VIII, 19, n. 7. — *Quippe cum illis* Carthaginiensibus, *ab his,* Illiturgitanis; vide ad III, 72, n. 3. — *Gravi documento;* vide ad Præf. n. 14.

3. *Opp. injuriæ;* vid. I, 54, n. 4.

legatus, duobus simul locis ancipiti terrore[4] urbem aggrediuntur. Non dux unus aut plures principes oppidanos, sed suus ipsorum ex conscientia culpæ metus ad defendendam impigre urbem hortatur. Et meminerant, et admonebant alii alios, *supplicium ex se, non victoriam, peti. Ubi quisque mortem oppeteret, id referre*[5]*; utrum in pugna et in acie, ubi Mars communis et victum sæpe erigeret et affligeret victorem, an postmodo, cremata et diruta urbe, ante ora captarum conjugum liberorumque, inter verbera et vincula, omnia fœda atque indigna passi, exspirarent.* Igitur non militaris modo ætas, aut viri tantum, sed feminæ puerique supra animi corporisque vires adsunt; propugnantibus tela ministrant, saxa in muros munientibus gerunt. Non libertas solum agebatur, quæ virorum fortium tantum pectora acuit; sed ultima omnium supplicia[6] et fœda mors ob oculos erat. Accendebantur animi et certamine laboris ac periculi atque ipso inter se conspectu : itaque tanto ardore certamen initum est, ut domitor ille totius Hispaniæ exercitus, ab unius oppidi juventute sæpe repulsus a muris, haud satis decoro prælio trepidaret. Id ubi vidit Scipio, veritus, ne vanis conatibus suorum et hostibus cresceret animus, et segnior miles fieret, sibimet conandum ac partem periculi capessendam esse ratus, increpita ignavia militum, ferri

4. *Ancipiti terrore;* vid. I, 25, n. 4.

5. *Id referre;* vide ad VIII, 39, n. 3. — *Mars communis;* vide ad V, 12, n. 1. — *Militaris ætas*, homines militari ætate. — *Non* enim *libertas solum agebatur;* vid. VII, 31, n. 5. — *Tantum*, tantopere : aut solum, non nisi *virorum fortium*, non et puerorum; quo sensu hanc particulam capiendam esse et ipsam rem eam flagitare, monet Doer. Contra Crev. putabat eam frigere ob ea quæ præcedunt *solum*, *modo*, *tantum*.

6. *Ultima omnium supplicia*, etc. al. *omnibus*. Sensus est, non tantum suam quemque ex oppidanis, sed aliorum etiam, primo propinquorum, dein amicorum et civium, vicem miseratum, et futuram calamitatem animo præcepisse; Gron.

scalas jubet : se ipsum, si cæteri cunctentur, escensurum minatur[7]. Jam subierat haud mediocri periculo mœnia, quum clamor undique ab sollicitis vicem imperatoris militibus sublatus, scalæque multis simul partibus erigi cœptæ : et ex altera parte Lælius instat. Tum victa oppidanorum vis, dejectisque propugnatoribus occupantur muri : arx etiam ab ea parte, qua inexpugnabilis videbatur, inter tumultum capta est.

XX. Transfugæ afri, qui tum inter auxilia romana erant, et oppidanis in ea tuenda, unde periculum videbatur[1], versis, et Romanis subeuntibus, qua adire poterant, conspexerunt editissimam urbis partem, quia rupe prælta tegebatur, neque opere ullo munitam, et ab defensoribus vacuam. Levium corporum homines[2], et multa exercitatione pernicium, clavos secum ferreos portantes, qua per inæqualiter eminentia rupis poterant, scandunt. Sicubi nimis arduum et leve saxum occurrebat, clavos per modica intervalla figentes, quum velut gradus fecissent, primi sequentes extrahentes manu, postremi sublevantes eos, qui prærirent, in summum evadunt. Inde decurrunt cum clamore in urbem jam captam ab Romanis.

7. *Escensurum minatur;* v. ad II, 7, n. 7. — *Subierat;* vide ad VII, 23, n. 5. — *Ab sollicitis vicem ;* vide ad I, 25, n. 5.

Cap. XX. 1. *Unde periculum videbatur*, cernebatur; nisi *imminere* vel *timendum* excidit; Doer. — *Editissimam urbis partem*, arcem. Sed potius e. *arcis partem* leg. cum Crev. Nam designatur *ea arcis pars, qua inexpugnabilis videbatur* (hæc sunt extrema verba cap. præc.), *quia rupe prævalta tegebatur;* quæ tamen *inter tumultum* capiebatur, et quia *neque opere ullo munita* erat, etc.

2. *Levium corporum homines..... evadunt*, graphica descriptio adscensus. — *Leve saxum*, λεῖον; vid. Sil. II, 111, et ad Juvenal. II, 12. — *Primi sequentes extrahentes*, etc. clarior oratio fuisset : *primis sequentes extrahentibus manu, postremis sublevantibus eos*, etc. — *Trucidant inermes*, etc. Horridam hanc captæ urbis descriptionem multi auctores expresserunt : vide in primis *Racine, An-*

Tum vero apparuit, ab ira et ab odio urbem oppugnatam esse. Nemo capiendi vivos, nemo, patentibus ad direptionem omnibus, prædæ memor est. Trucidant inermes juxta atque armatos, feminas pariter ac viros : usque ad infantium cædem ira crudelis pervenit. Ignem deinde tectis injiciunt, ac diruunt, quæ incendio absumi nequeunt : adeo vestigia quoque urbis exstinguere, ac delere memoriam hostium sedis, cordi est. Castulonem inde Scipio exercitum ducit : quam urbem non Hispani modo convenæ, sed punici etiam exercitus ex dissipata passim fuga reliquiæ tutabantur. Sed adventum Scipionis prævenerat fama cladis Illiturgitanorum, terrorque inde ac desperatio invaserat[3]; et in diversis causis, quum sibi quisque consultum sine alterius respectu vellet, primo tacita suspicio, deinde aperta discordia secessionem inter Carthaginienses atque Hispanos fecit. His Cerdubellus propalam deditionis auctor; Himilco punicis auxiliaribus præerat; quos urbemque, clam fide accepta, Cerdubellus Romano prodit. Mitior ea victoria fuit : nec tantumdem noxæ admissum erat, et aliquantum iræ lenierat voluntaria deditio.

XXI. Marcius inde in Barbaros[1], si qui nondum perdomiti erant, sub jus ditionemque redigendos

dromaque, act. III, sc. 8; *Esther*, act. II, sc. 3; cf. quoque *Massillon*, *Discours sur les tentations des Grands*, ad finem. Ed. — *Cordi est;* vide ad VI, 9, n. 1.

3. *Desperatio invaserat :* quidam addunt *omnes;* vide ad V, 13, n. 1. — *Mitior ea victoria...lenierat.* Eadem sic expressit nostras *Racine*, *Iphigénie*, act. III, sc. 4 : « Laisse aux pleurs d'une épouse attendrir sa victoire ». Ed. — *Noxæ ;* vide ad X, 19, n. 2. — *Aliquantum ;* vide ad II, 39, n. 1.

Cap. XXI. 1. *Marcius inde* (deinde) *in Barbaros ... missus* cum aliis legatis (v. cap. 22 pr.); sed h. l. solus nominatur, quia dignatione princeps fuit, et quod c. 22 sequitur totum gessit; Gron. *Inde in Barbaros...redigendos legatis missis, Scipio*, etc. quidam MSS, et alii : *Marcius inde... redigendos* (sc. iit) : *Scipio Carthaginem ... rediit.* Illud probabat Lips., hoc Gron.

missus. Scipio Carthaginem, ad vota solvenda diis munusque gladiatorium, quod mortis causa[2] patris patruique paraverat, edendum, rediit. Gladiatorium spectaculum fuit non ex eo genere hominum, ex quo lanistis comparare mos est[3], servorum, quive venalem sanguinem habent. Voluntaria omnis et gratuita opera pugnantium fuit: nam alii missi ab regulis sunt ad specimen insitæ genti virtutis ostendendum: alii ipsi professi, se pugnaturos in gratiam ducis: alios æmulatio et certamen, ut provocarent provocatique haud abnuerent, traxit. Quidam, quas disceptando controversias finire nequiverant aut noluerant, pacto inter se[4], ut victorem res sequeretur, ferro decreverunt. Neque obscuri generis homines, sed clari illustresque, Corbis et Orsua patrueles fratres[5], de principatu civitatis, quam Ibem vocabant, ambigentes, ferro se certaturos professi sunt. Corbis major erat ætate. Orsuæ pater princeps proxime fuerat, a fratre majore post mortem ejus principatu accepto. Quum verbis disceptare Scipio vellet, ac sedare iras, negatum id ambo

2. *Munusque gladiatorium, quod mortis causa*, etc. cui et *ludi funebres additi* dicuntur cap. extr. Cf. XXIII, 30, n. 9; Val. Max. IX, 11, ext. 1, et Sil. XVI, 288 sq. 527 sq.

3. *Comparare mos est*, sc. gladiatores. — *Servorum quive*, eorumve qui *venalem sanguinem habent*: nam a lanistis emebantur non modo servi aut captivi, sed et liberi homines, qui, bonis exuti aut furore instincti, aut in gratiam imperatorum (ut hic *in gratiam ducis*), se vitamque suam lanistis et arenæ vendebant; qui proprie dicebantur *auctorati*, ut merces eorum *auctoramentum* et *gladiatorium*, sc. præmium vel auctoramentum XLIV, 31 extr. Cf. ad Juvenal. I, 23; II, 143 sq. VIII, 192 sq. XI, 5 sq.

4. *Pacto inter se*; vide ad I, 41, n. 10, et ad Sil. XIV, 97. *Pacti* edd. ante Rhen. non improb. Gron. — *Ut victorem res sequeretur*, victoris esset, res, de quibus disceptaretur, in victoris potestatem veniret. Cf. ad XXXIII, 13, n. 6. — *Ferro decreverunt*; vide ad V, 55, n. 1; VII, 9, n. 4; XXI, 41, n. 2.

5. *Corbis et Orsua patrueles fratres*, etc. cf. Sil. XVI, 533 sq. qui eos *fratres gemino*s fuisse; et utrumque occubuisse dicit. — *Ibem* opp. nemo præter Livium memoravit. Cf. ad III, 50, n. 1. — *A fratre majore*, patre Corbis. — *Negatum id*, idem a se *communibus cognatis*; hos quoque li-

dicere communibus cognatis, nec alium deorum hominumve, quam Martem, se judicem habituros esse. Robore major, minor flore ætatis ferox, mortem in certamine, quam ut alter alterius imperio subjicerentur, præoptantes, quum dirimi ab tanta rabie nequirent, insigne spectaculum exercitui præbuere documentumque, quantum cupiditas imperii malum inter mortales esset. Major usu armorum et astu facile stolidas vires minoris superavit. Huic gladiatorum spectaculo ludi funebres additi pro copia[6] et provinciali et castrensi apparatu.

XXII. Res interim nihilominus ab legatis[1] gerebantur. Marcius, superato Bæte amni, quem incolæ Certim appellant, duas opulentas civitates sine certamine in deditionem accipit. Astapa urbs erat, Carthaginiensium semper partis: neque id tam dignum ira erat, quam quod, extra necessitates belli[2], præcipuum in

tem *verbis* dirimere voluisse *ac sedare iras*, se repudiasse eorum preces, *nec alium*, etc. — *Robore major.* Mox Livius majori *usum armorum et astum*, minori vero *stolidas vires* adscribit; quæ cum hoc loco pugnare existimans Barthius, e proxime præcedenti *esse*, et *robore* conflat exercitio, et ita legit: ...*habituros. Exercitio major*, etc. Verum omnes codd. vulgatum constanter servant. Ed. — *Quantum cupiditas.* Eamdem fere sententiam sic expressit *Bossuet*, *histoire univ.*, part. III, c. 6: « Faut-il dominer à ce prix; et le commandement est-il si doux, que les hommes le veuillent acheter par des actions si inhumaines? » Ed.

6. *Pro copia*, etc. v. ad XXVII, 6, n. 12. Mox delendum voc. *apparatu*, vel τὸ *et* post *copia;* Crev. et Duk. Hic tamen et vulgatum servari posse monet, et *pro copia* sic dici XXVI, 11, et ap. Plaut. Mercat. III, 1, 8, et Trucul. I, 2, 46.

Cap. XXII. 1. *Ab legatis;* cf. ad c. 21, n. 1. — *Bæte amni, quem incolæ Certim appellant:* ita optimi MSS, et *Certima* XL, 47, opp. Celtiberorum; Gron. *Circem*, *Circium*, *Cercim*, *Cretim*, *Cirtem*, *Cirtim* et *Cirtium* alii. Βαῖτις λέγεται Πέρκης ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, Steph. Bætim veteribus dictum Tartessum tradunt Strabo, III, 2, p. 148, al. 221, et Pausan. VI, 19. *Circem* h. l. et Κίρκης ap. Steph. leg. conj. Sigon. Cf. Intpp. Steph., Bocharti Chanaan, I, 34; Jac. Gron. ad Gell. II, 22. — *Astapa*, forte hod. *Estepa.* Cf. ad Epit. 28, et Appian. Hisp. 33, ubi eadem historia narratur. — *Urbs erat*, τὸ *erat* abest a pluribus MSS. Forte leg. *fuerat:* certe delenda distinctio; Doer.

2. *Extra necessitates belli*, sine iis,

Romanos gerebant odium. Nec urbem aut situ aut munimento tutam habebant, quæ ferociores iis animos faceret : sed ingenia incolarum latrocinio læta, ut excursiones in finitimum agrum sociorum populi romani facerent, impulerant, et vagos milites romanos lixasque et mercatores exciperent. Magnum etiam comitatum[3], quia paucis parum tutum fuerat, transgredientem fines, positis insidiis circumventum, iniquo loco interfecerunt. Ad hanc urbem oppugnandam quum admotus exercitus esset, oppidani conscientia scelerum, quia nec deditio tuta ad tam infestos videbatur, nec spes mœnibus aut armis tuendæ salutis erat, facinus in se ac suos fœdum ac ferum consciscunt. Locum in foro destinant, quo pretiosissima rerum suarum congererent. Super eum cumulum conjuges ac liberos considere quum jussissent, ligna circa exstruunt, fascesque virgultorum conjiciunt. Quinquaginta deinde armatis juvenibus præcipiunt, *ut, donec incertus eventus pugnæ esset, præsidium eo loco fortunarum suarum*[4] *corporumque, quæ cariora fortunis essent, servarent. Si rem inclinatam viderent, atque in eo jam esse, ut urbs caperetur; scirent omnes, quos euntes in prælium cernerent, mortem in ipsa pugna obituros. Illos se per deos superos inferosque orare, ut memores libertatis, quæ illo die aut morte honesta, aut servitute infami finienda esset, nihil relin-*

non coacti bello aut incitati. — *Gerebant;* vide ad III, 47, n. 1.

3. *Magnum etiam comitatum*, numerum militum mercatorumque simul peregrinantium, ut ap. Cæs. B. C. I, 48, 51, 54. — *Deditio ad tam infestos;* vide ad II, 13, n. 4. — *Facinus... fœdum ac ferum.* Hic Livium defendere non ausim adversus Glareanum, haud immerito observantem, illud hodie factum crudele vocari, quod antea in Saguntinis ut forte laudatum fuerat. Sed scilicet hoc pro Romanis, illud contra Romanos editum fuit. Ed.

4. *Præsidium*, custodiam, *eo loco fortunarum suarum*, rerum pretiosissimarum, *corporumque, quæ c. f. essent*, scilic. conjugum liberorumque, *servarent;* conf. ad librum XXXIV, cap. 9, n. 5.

querent, in quod sævire iratus hostis posset. Ferrum ignemque in manibus esse : amicæ ac fideles potius ea, quæ peritura essent, absumerent manus, quam insultarent superbo ludibrio hostes[5]. His adhortationibus exsecratio dira adjecta, si quem a proposito spes mollitiave animi flexisset. Inde concitato agmine patentibus portis ingenti tumultu erumpunt : neque erat ulla satis firma statio opposita; quia nihil minus, quam ut egredi mœnibus auderent, timeri poterat. Perpaucæ equitum turmæ levisque armatura, repente e castris ad id ipsum[6] emissa, occurrit. Acrior impetu atque animis, quam compositior ullo ordine, pugna fuit. Itaque pulsus eques, qui primus hosti se obtulerat, terrorem intulit levi armaturæ; pugnatumque sub ipso vallo foret, ni robur legionum, perexiguo ad instruendum dato tempore, aciem direxisset. Ibi quoque trepidatum parumper circa signa est, quum cæci furore in vulnera ac ferrum vecordi audacia ruerent. Dein vetus miles, adversus temerarios impetus pertinax, cæde primorum insequentes suppressit. Conatus paulo post ultro inferre pedem[7], ut neminem cedere, atque obstinatos mori in vestigio quemque suo vidit, patefacta acie[8] (quod ut facere posset, multitudo armatorum facile suppeditabat) cornua hostium amplexus, in orbem pugnantes ad unum omnes occidit.

XXIII. Atque hæc tamen hostium iratorum ac tum maxime dimicantium jure belli in armatos[1] repugnan-

5. *Quam insultarent* iis cum *superbo ludibrio hostes;* vid. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 3, 41.

6. *E castris ad* (ob) *id ipsum* (vide ad I, 34, n. 5) *emissa*, quia hostes egressi erant mœnibus, utque eos repellerent.

7. *Ultro inferre pedem*, Gron. edidit *ultra*.

8. *Patefacta acie;* vide ad XXVII, 18, n. 7. — *Suppeditabat;* v. ad VI, 24, n. 1. — *In orbem pugnantes;* vide ad II, 50, n. 6.

Cap. XXIII. 1. *Jure belli in arma-*

tesque edebantur. Fœdior alia in urbe trucidatio[2] erat, quum turbam feminarum puerorumque imbellem inermemque cives sui cæderent, et in succensum rogum semianima pleraque injicerent corpora, rivique sanguinis flammam orientem restinguerent : postremo ipsi, cæde miseranda suorum fatigati, cum armis medio se incendio injecerunt. Jam cædi perpetratæ victores Romani supervenerunt : ac primo conspectu tam fœdæ rei mirabundi parumper obstupuerunt. Dein quum aurum argentumque, cumulo rerum aliarum interfulgens, aviditate ingenii humani, rapere ex igne vellent, correpti alii flamma sunt, alii ambusti afflatu vaporis[3] : quum receptus primis, urgente ingenti turba, non esset. Ita Astapa, sine præda militum, ferro ignique absumpta est. Marcius, cæteris ejus regionis metu in deditionem acceptis[4], victorem exercitum Carthaginem ad Scipionem reduxit. Per eos ipsos dies perfugæ a Gadibus venerunt, pollicentes, urbem punicumque præsidium, quod in ea urbe esset, et imperatorem præsidii cum classe prodituros esse. Mago ibi ex fuga substiterat, navibusque in Oceano collectis, aliquantum auxiliorum et trans fretum ex africa ora[5], et ex proximis Hispaniæ locis per Hannonem

tos verba suspecta, quoniam absunt ab optimis MSS, qui etiam *pugnantisque* vel *pugnantesque* habent. Solam particulam *que* in causa fuisse, cur tot verba infulcirentur, putabat Gron. et conj. *dimicantium in pugnantes* vel *pugnantesque edebantur* (h. e. ab dimicantibus et in pugnantes), vel *dimicantium pugna visque edebat*. Malim: *Atque hæc tanta hostium iratorum ac tum maxime dimicantium pœna cædesque edebantur*, et mox cum Rhen. *se incendio injicerent*. Contra Crev. non dubitabat, quin a Livio profecta essent verba illa, a plerisque codd. exsulantia, quum et augerent sententiam, nec quidquam peregrini aut pinguis redolerent.

2. *Fœdior alia in urbe trucidatio*, etc. vide ad XXI, 14, n. 1, et conf. Appian. Hisp. 33.

3. *Correpti alii flamma sunt, alii ambusti afflatu vaporis;* cf. Polyb. XI, 24, 11.

4. *In deditionem acceptis;* vide ad VIII, 20, n. 7.

5. *Trans fretum* Gaditanum *ex ora africa*, africana.

præfectum coegerat. Fide accepta dataque perfugis, et Marcius eo cum expeditis cohortibus, et Lælius cum septem triremibus, quinqueremi una, est missus, ut terra marique communi consilio rem gererent.

XXIV. Scipio ipse gravi morbo implicitus[1], graviore tamen fama, quum ad id quisque, quod audierat, (insita hominum libidine alendi de industria rumores) adjiceret aliquid, provinciam omnem ac maxime longinqua ejus turbavit; apparuitque, quantam excitatura molem[2] vera fuisset clades, quum vanus rumor tantas procellas excivisset. Non socii in fide, non exercitus in officio mansit. Mandonius et Indibilis, quibus, quia regnum sibi Hispaniæ, pulsis inde Carthaginensibus, destinarant animis, nihil pro spe contigerat, concitatis popularibus, Lacetani autem erant, et juventute Celtiberorum excita, agrum suessetanum sedetanumque sociorum populi romani hostiliter depopulati sunt. Civilis alius furor[3] in castris ad Sucro-

Cap. XXIV. 1. *Scipio ipse gravi morbo implicitus .... turbavit*, h. e. gravis Scipionis morbus, etc. De morbo ejus et exercitus seditione, conf. Appian. Hisp. 34 sq. et Polyb. XI, 25 sq. — *Graviore tamen fama* existente, ita tamen, ut fama morbum illum augeret, multo graviorem differret, pro *libidine*, quæ *insita* est *hominibus;* Doer. — *Longinqua*, remotiora loca.

2. *Quantam excitatura molem*, magnitudinem multitudinemque turbarum (v. ad I, 38, n. 4) *vera fuisset clades*, calamitas, jactura, h. e. ipsa mors funesta Scipionis, ut II, 36. — *Tantas procellas;* vide ad II, 1, n. 5. — *Concitatis popularibus, Lacetani autem erant, et juventute*, etc. quum Ilergetes, non Lacetani, certe hi non soli, populares Indibilis Mandoniique fuisse videantur, et vox *autem* h. l. haud necessaria sit, Crev. conj. *Lacetani et Ilergetes erant.* Contra Drak. monet, τὸ *autem* in simili locutione adhiberi VII, 41 extr. et Mandonium Indibilemque ambobus forte populis vicinis præfuisse, saltem utrumque sæpius ad rebellionem pellexisse; cf. c. 27 et 34. Recte, arbitror; et hinc etiam τὸ *autem* aptissimum h. l. videtur. — In *agrum suessetanum sedetanumque*, etc. Suessetani h. l. *socii Romanorum*, at XXV, 34, Indibilis. Mira profecto in his est obscuritas, et quam ne Livio quidem satis notam fuisse existimo; Glar. Forte Suessetani, aut pars eorum, sæpius defecerunt ad Romanos, etsi semel id memoratur XXXIV, 20. Cf. ad c. 31, n. 3.

3. *Civilis alius furor*, seditio militum. Mox *dubii allati nuntii* ex opti-

nem ortus : octo ibi millia militum erant, præsidium gentibus, quæ cis Iberum incolunt, impositum. Motæ autem eorum mentes sunt non tum primum, quum de vita imperatoris dubii allati nuntii, sed jam ante, licentia ex diutino, ut fit, otio collecta[4], et nonnihil, quod in hostico laxius rapto suetis vivere arctiores in pace res erant. Ac primo sermones tantum occulti serebantur, *si bellum in provincia esset, quid sese inter pacatos facere? si debellatum jam et confecta provincia esset, cur in Italiam non revehi?* Flagitatum quoque stipendium procacius, quam ex more et modestia militari erat; et ab custodibus probra in circumeuntes vigilias tribunos[5] jacta; et noctu quidam prædatum in agrum circa pacatum ierant; postremo interdiu ac propalam sine commeatu ab signis abibant. Omnia libidine ac licentia militum, nihil instituto ac disciplina militiæ, aut imperio eorum qui præerant, gerebatur. Forma tamen romanorum castrorum constabat una ea spe, quod tribunos ex contagione furoris haud expertes seditionis defectionisque rati fore, et jura reddere in principiis[6] sinebant, et signum ab eis petebant, et in stationes ac vigilias in

mis MSS recepi prob. Gronov. pro vulg. *dubii rumores allati sunt.* In tribus MSS *dubie allatum sit:* unde Gron. conj. *dubie allatum est.* — Creverius in Victor. legit *dubie allatum sit:* quare Gronovii conjecturam non improbat, quæ Drak. quoque maxime arridet. Ed.

4. *Licentia ex diutino, ut fit, otio collecta,* cui solertia ducis singulari occurrendum dicit Polyb. XI, 25. — *In hostico laxius;* vid. II, 34, n. 13, et VIII, 12, n. 11. — *Arctiores res;* vide ad XXVI, 17, n. 3. — *Confecta provincia;* vide ad II, 40, n. 9.

5. *Circumeuntes vigilias tribunos;* vid. XXII, 1, n. 10.—*Sine commeatu;* vid. I, 57, n. 2. — *Constabat una ea spe,* immo *specie;* Freinsh. *Una ex parte* conj. Gron.

6. *Jura,* imperia, edicta, *reddere in principiis;* vide ad VII, 12, n. 6. —*Signum ab eis petebant,* tesseras, quæ mandata continebant imperatoris, et ab hoc vesperi tribunis excubitoribus, ab his vero uni ex quoque decimo manipulo electo militi, tesserario, ab hoc proximi manipuli duci, ab illo sequenti, etc. dabantur, et ante solis occasum omnes referebantur ad

ordinem ibant; et, ut vim imperii abstulerant, ita speciem dicto parentium, ultro sibi imperantes, servabant. Erupit deinde seditio, postquam reprehendere atque improbare tribunos ea, quæ fierent, et conari obviam ire, et propalam abnuere, furoris eorum se futuros socios, senserunt. Fugatis itaque ex principiis ac post paulo e castris tribunis, ad principes seditionis, gregarios milites, C. Albium Calenum et C. Atrium Umbrum, delatum omnium consensu imperium est; qui, nequaquam tribuniciis contenti ornamentis, insignia etiam summi imperii, fasces securesque, attrectare ausi[7]: neque venit in mentem, suis tergis suisque cervicibus virgas illas securesque immi-nere, quas ad metum aliorum præferrent. Mors Scipionis falso credita obcæcabat animos; sub cujus vulgatam mox famam non dubitabant totam Hispaniam arsuram bello: in eo tumultu et sociis pecunias imperari, et diripi propinquas urbes posse; et, turbatis rebus, quum omnia omnes auderent, minus insignia fore, quæ ipsi fecissent.

XXV. Quum alios subinde recentes nuntios, non mortis modo, sed etiam funeris, exspectarent, neque superveniret quisquam, evanesceretque temere ortus rumor; tum primi auctores requiri cœpti, et, subtrahente se quoque[1], ut credidisse potius temere, quam finxisse, rem talem videri posset, destituti duces jam sua ipsi insignia, et pro vana imagine imperii, quod

tribunos. Cf. VII, 35, n. 1; Sil. VII, 347, et ad Tac. Ann. I, 7, 15; Lips. Mil. Rom. V, 9. — *In stationes ac vigilias in ordinem ibant;* vide ad librum VII, cap. 35, n. 2. — *Obviam ire*, repugnare.

7. *Fasces securesque, attrectare ausi,* tanquam res sacras manibus impuris, h. e. sibi vindicare, ut XXXIV, 4, n. 3. — *Præferrent*, sibi juberent præferri.

Cap. XXV. 1. *Subtrahente se quoque*, se auctorem fuisse rumoris negante, *destituti duces* Calenus et Umber, etc. Gronov. — *Insignia*, fasces securesque.

gererent, veram justamque mox in se versuram potestatem horrebant[2]. Stupente ita seditione, quum vivere primo, mox etiam valere Scipionem, certi auctores afferrent, tribuni militum septem ab ipso Scipione missi sunt. Ad quorum primum adventum exasperati animi; mox, ipsis placido sermone permulcentibus notos, cum quibus congressi erant, leniti sunt. Circumeuntes enim tentoria primo, deinde in principiis prætorioque, ubi sermones inter se serentium circulos vidissent[3], alloquebantur, percunctantes magis, quæ causa iræ consternationisque subitæ foret, quam factum accusantes. Vulgo *stipendium non datum ad diem* jactabatur, *et, quum eodem tempore, quo scelus Illiturgitanorum exstitisset, post duorum imperatorum duorumque exercituum stragem, sua virtute defensum nomen romanum ac retenta provincia esset: Illiturgitanos pœnam noxæ meritam habere; suis recte factis gratiam qui exsolvat, non esse. Talia querentes æqua orare, seque ea relaturos ad imperatorem*, respondebant. *Lætari, quod nihil tristius, nec insanabilius esset: et P. Scipionem deum benignitate, et rempublicam esse gratiæ referendæ*[4]. Scipionem bellis assuetum, ad seditionum procellas rudem, sollicitum habebat res, ne aut exercitus peccando, aut ipse puniendo, modum excederet. In præsentia, ut cœpisset, leniter agi placuit, et, missis circa stipen-

2. *In se versuram* se *potestatem horrebant;* vid. II, 3, n. 2, et XXI, 63, n. 15. — *Stupente ita seditione* (ut mox *languescentem*), stupentibus seditiosis.

3. *In principiis prætorioque, ubi sermones inter se serentium circulos vidissent*, etc. vid. VII, 12, n. 6. — *Consternationis*, seditionis, furoris; vid. II, 47, n. 3. — *Stipendium non datum ad diem;* vid. XXIII, 21, n. 1. — *Scelus Illiturgitanorum*, etc. vid. cap. 19, 20. — *Duorum imperatorum* (Scipionum) *duorumque e.* vide ad X, 25, n. 9.

4. *Rempublicam* (senatum populumque) *esse gratiæ referendæ;* vide ad II, 9, n. 5. — *Seditionum procel-*

diarias civitates exactoribus, stipendii spem propinquam facere. Edictum subinde propositum, ut ad stipendium petendum[5] convenirent Carthaginem, seu carptim partes, seu universi mallent. Tranquillam seditionem, jam per se languescentem, repentina quies rebellantium Hispanorum fecit. Redierant enim in fines, omisso incepto, Mandonius et Indibilis, postquam vivere Scipionem allatum est : nec jam erat aut civis, aut externus, cum quo furorem suum consociarent. Omnia circumspectantes consilia nihil reliqui habebant, præter non tutissimum a malis consiliis receptum[6], ut imperatoris vel justæ iræ, vel non desperandæ clementiæ sese committerent : etiam hostibus eum ignovisse, cum quibus ferro dimicasset : suam seditionem sine vulnere, sine sanguine fuisse, nec ipsam atrocem, nec atroci pœna dignam; ut ingenia humana sunt ad suam cuique levandam culpam nimio plus facunda[7]. Illa dubitatio erat, singulæne cohortes, an universi, ad stipendium petendum irent. Inclinavit sententia, quod tutius censebant, universos[8] ire.

las; vid. II, 1, n. 5. — *Stipendiarias civitates;* vid. V, 10, n. 5.

5. *Ad stipend. petendum*, ἥκειν ἐπὶ σῖτον ap. Appian. Hisp. 34 extr. κομίζεσθαι τὰς σιταρχίας et ἡ κομιδὴ τῶν ὀψωνίων ap. Polyb. XI, 25 et 26. — *Seu carptim partes, seu universi mallent*, forte *per partes*, Gron. Sic et Polyb. XI, 13 (XI, 25, 10, ed. Schweigh.), quod jam monuit Drak., ἄν τε κατὰ μέρη τοῦτο βούλωνται ποιεῖν, ἄν θ' ὁμοῦ πάντες.

6. *Non tutissimum a malis consiliis receptum;* cf. ad IV, 57, n. 2. Non est sane tutus admodum receptus, *permittere* se alienæ *vel iræ vel clementiæ*, quia nescis, majoremne doloris ille vindicandi an gratiæ quærendæ cupiditatem habeat; Gron. — *Non desperandæ clementiæ.* Eadem de Angliæ regina expressit *Bossuet, Oraisons funèbres :* « Jamais on n'a douté de sa parole, ni désespéré de sa clémence ». Ed.

7. *Ingenia humana sunt ad suam cuique levandam culpam nimio plus facunda :* « potius *fecunda*, multis scil. inveniendis et animo fingendis, quibus iras adversus se conceptas molliri, et magnitudinem delictorum suorum extenuari posse sibi blandiuntur. *Facundia* in sermone προφορικῷ est, de quo hic non agitur ». Duker. *Fecunda ad levandam culpam* dici non posse putabat Ern. Pro *cuique* forte leg. *quæque*, sc. ingenia.

8. *Inclinavit sententia, universos*

XXVI. Per eosdem dies, quibus hæc illi consultabant, consilium de iis Carthagini erat[1]; certabaturque sententiis, utrum in auctores tantum seditionis (erant autem hi numero haud plus, quam quinque et triginta) animadverteretur, an plurium supplicio vindicanda tam fœdi exempli defectio magis, quam seditio, esset. Vicit sententia lenior, ut, unde orta culpa esset, ibi pœna consisteret: ad multitudinem castigationem satis esse. Consilio dimisso, ut id actum videretur, expeditio adversus Mandonium Indibilemque edicitur exercitui, qui Carthagine erat, et cibaria dierum aliquot parare jubentur. Tribunis septem, qui et antea Sucronem ad leniendam seditionem ierant, obviam exercitui missis, quina nomina principum seditionis edita sunt; ut eos, per idoneos homines benigno vultu ac sermone in hospitium invitatos[2] sopitosque vino, vincirent. Haud procul jam Carthagine aberant, quum ex obviis auditum, postero die omnem exercitum cum M. Silano in Lacetanos proficisci, non metu modo omni, qui tacitus insidebat animis, liberavit eos, sed lætitiam ingentem fecit; quod magis habituri solum imperatorem, quam ipsi futuri in pote-

ire, ut XXXII, 13, n. 4: vicit pondere ea sententia, eundum esse universis; Gron.

Cap. XXVI. 1. *Carthagini erat* omnes fere MSS pro *Carthagine*, ut XXX, 9, n. 2; XXXI, 11, et ap. Plaut. Cas. Prol. 71; unde *Carthaginiensis*, quod conceptum quasi est ab *Carthagini*, non *Carthagine* (nam *i* longum in hujusmodi ἐθνικῶν formatione non semper eliditur), haud magis analogia caret, quam *Latiniensis* a *Latini*, *Aventiniensis*, *Crotoniensis*; Gronov. Sic et plerique MSS. XXXV, 35 pr. *Lacedæmoni* pro *Lacedæmone*. Conf. ad IV, 12, n. 8; Drak. ad XXVII, 5, n. 11; XXX, 44, n. 4; XXXI, 11, n. 7; ad Epit. Liv. XXVIII, XLVIII, XLIX; Gron. ad Sen. Contr. I, 1. Ad seqq. conf. Polyb. XI, 26, 27. — *Ut id actum... expeditio*. Edicitur expeditio adversus Mandonium et Indibilem, ut ea de re actum in consilio videretur, non de seditione sucronensi. Ed.

2. *In hospitium invitatos;* vide ad II, 14, n. 4. — *Ex obviis auditum*, etc. h. e. auditio, seu quod auditum erat. Conf. ad I, 53, n. 1. — *Solum imperatorem habituri* Scipionem

state ejus essent. Sub occasum solis urbem ingressi sunt, exercitumque alterum parantem omnia ad iter viderunt. Excepti sermonibus de industria compositis, *lætum opportunumque adventum eorum imperatori esse, quod sub ipsam profectionem alterius exercitus venissent*, corpora curant. A tribunis sine ullo tumultu auctores seditionis, per idoneos homines perducti in hospitia, comprehensi ac vincti sunt. Vigilia [3] quarta impedimenta exercitus, cujus simulabatur iter, proficisci cœpere. Sub lucem signa mota, et ad portam retentum agmen, custodesque circa omnes portas missi, ne quis urbe egrederetur. Vocati deinde ad concionem, qui pridie venerant, ferociter in forum ad tribunal imperatoris, ut ultro territuri succlamationibus, concurrunt. Simul et imperator in tribunal escendit [4], et reducti armati a portis inermi se concioni ab tergo circumfuderunt. Tum omnis ferocia concidit, et, ut postea fatebantur, nihil æque eos terruit, quam præter spem robur et color imperatoris, quem affectum visuros [5] crediderant, vultusque, qualem ne in acie quidem aiebant meminisse. Sedit tacitus paulisper, donec nuntiatum est, deductos in forum auctores seditionis, et parata jam omnia esse.

XXVII. Tum, silentio per præconem facto, ita cœpit [1] : « Nunquam mihi defuturam orationem [2], qua « exercitum meum alloquerer, credidi ; non quo

sine exercitu; vel quod Scipio tantum imperator eorum futurus esset et cum iis profecturus, non severus judex.

3. *Vigilia quarta;* vide supra ad VII, 35, n. 2.

4. *In tribunal escendit;* vide ad II, 7, n. 7. *Tribunal* imperatorum in castris, quod plerumque erat e cespite congesto ; vide ad Tac. Ann. I, 18, n. 5; sed et Spanhem. de usu et pr. num. Diss. XIII, p. 628.

5. *Quem affectum* se *visuros;* vide ad V, 10, n. 6.

Cap. XXVII. 1. *Ita cæpit* concionari. Conf. Polyb. XI, 28, 29.

2. *Defuturam orationem*, ejus formam materiamque. — *Non quo*, non quia, seu quod; ut passim. Cf. Gron.

« verba unquam potius, quam res, exercuerim, sed « quia prope a pueritia in castris habitus, assueram « militaribus ingeniis. Ad vos quemadmodum loquar, « nec consilium, nec oratio suppeditat[3] : quos ne quo « nomine quidem appellare debeam, scio. Cives? qui « a patria vestra descistis : an milites? qui imperium « auspiciumque abnuistis, sacramenti religionem rupi- « stis. Hostes? corpora, ora, vestitum, habitum civium « agnosco : facta, dicta, consilia, animos hostium vi- « deo. Quid enim vos, nisi quod Ilergetes et Lacetani, « aut optastis aliud, aut sperastis? Et illi tamen Man- « donium atque Indibilem, regiæ nobilitatis viros, du- « ces furoris sequuti sunt; vos auspicium et imperium « ad Umbrum Atrium et Calenum Albium detulistis. « Negate, vos id omnes fecisse, aut factum voluisse, « milites; paucorum eum furorem atque amentiam « esse, libenter credam negantibus[4]; nec enim ea sunt « commissa, quæ vulgata in omnem exercitum sine « piaculis ingentibus expiari possint. Invitus ea, tan- « quam vulnera, attingo : sed nisi tacta[5] tractataque « sanari non possunt. Equidem, pulsis Hispania Car- « thaginiensibus, nullum locum tota provincia, nullos

ad XXXIX, 13 pr. et ad Gell. IX, 12. — *Verba*, artem dicendi, *res* gerendas; non inusitata oppositione.

3. *Nec consilium, nec oratio suppeditat*, suppetit, adest, præsto est; nisi leg. *ratio suppeditat*, ostendit. — Voc. *oratio* tuetur Walchius, sensumque ita exponit: « Nec quid apud vos loquar scio, nec quibus verbis illud exornem ». Oratio speciatim est elocutio oratoria, quæ oranti ornamenta suppeditat, et *loqui* dicitur Cic. Or. 27. Sic est apud eumdem Cic. de Orat. I, 54, *oratio oratoria*, id est, verborum figuris sententiarumque ornata; et in Dialog. de Orat. cap. 5 et 8, *eloquentia oratoria;* vide nostræ edit. Tacit. vol. IV, pag. 174, 180. Ed. — *Quos ne quo nomine quidem appellare*, etc. conf. Tac. Ann. I, 42.

4. *Libenter credam negantibus*, sc. id omnes fecisse. Alii post *amentiam esse* majorem ponunt distinct., et ex præc. *negate* repetunt *dicite*. Ita et Bauer., qui præterea monet, *negare* alibi mollius dici pro affirmare, non esse ita, at h. l. pro infitiari. — *Vulgata in omnem e.* vid. II, 29, n. 5.

5. *Tacta tractataque* vulnera synon. dicuntur.

« homines credebam esse, ubi vita invisa esset mea : « sic me non solum adversus socios gesseram, sed « etiam adversus hostes. In castris en meis, quantum « me opinio fefellit ! fama mortis meæ non accepta « solum[6], sed etiam exspectata est. Non quod ego « vulgari facinus per omnes velim (equidem si totum « exercitum meum mortem mihi optasse crederem, « hic statim ante oculos vestros morerer ; nec me vita « juvaret, invisa civibus et militibus meis), sed multi- « tudo omnis, sicut natura maris[7], per se immobilis « est, venti et auræ cient; ita aut tranquillum, aut pro- « cellæ in vobis sunt; et causa atque origo omnis furo- « ris penes auctores est : vos contagione insanistis; qui « mihi ne hodie quidem scire videmini, quo amentiæ « progressi sitis, quid facinoris in me, quid in patriam « parentesque ac liberos vestros, quid in deos, sacra- « menti testes, quid adversus auspicia, sub quibus mi- « litatis, quid adversus morem militiæ disciplinamque « majorum, quid adversus summi imperii majestatem « ausi sitis. De me ipso taceo : temere potius, quam « avide, credideritis[8]. Denique ego sim, cujus imperii

6. *Fama mortis meæ non accepta solum*, credita, *sed etiam exspectata est*, cum desiderio et spe, tanquam res desiderabilis et votis expetita; unde mox *mortem mihi optasse*. Cf. ad V, 19, n. 7; XXVI, 40, n. 1; XL, 54 pr. ad Sil. V, 207; Juvenal. VIII, 87.

7. *Multitudo omnis* est *sicut natura* (φύσις) *maris*, hæc *per se immobilis est, venti et auræ* id *cient*, commovent turbulentumque reddunt; Gron. Verba *multitudo omnis* non habent, quo referantur, et forte ab aliena manu profecta sunt, aut potius ad anacolutha, in oratione concitatiore frequentia, locus hic referendus; Doer. Eadem comparatione utuntur Polyb. XI, 29, 9 (ubi id Schweigh. jam notavit); XXII, 13, 9 sq. XXII, 14, 6 sq. Demosth. tom. I, pag. 383, ed. Reisk. et ex eo Appian. B. C. III, 20. Conf. et inf. XXXVIII, 10; Cic. Cluent. 49, et, fons forte omnium, Herodot. VII, 16. — *Tranquillum;* vide ad III, 40, n. 9.

8. *Quam avide credideritis* famam mortis meæ. — *Denique ego sim;* ante *denique* quatuor MSS et edd. addunt *is*, quod facile post *credideritis* excidere poterat. Elegans hæc locutio arridebat Drak. et Burm. ad Ovid. Met.

« tædere exercitum minime mirandum sit : patria quid « de vobis meruerat, quam cum Mandonio et Indibili « consociando consilia prodebatis? Quid populus ro- « manus, quum imperium, ablatum ab tribunis suf- « fragio populi creatis, ad homines privatos detuli- « stis? quum, eo ipso non contenti, si pro tribunis « illos haberetis, fasces imperatoris vestri ad eos, qui- « bus servus, cui imperarent, nunquam fuerat, ro- « manus exercitus detulistis. In prætorio [9] tetenderunt « Albius et Atrius; classicum apud eos cecinit; signum « ab iis petitum est; sederunt in tribunali P. Scipio- « nis; lictor apparuit; submoto incesserunt [10]; fasces « cum securibus prælati sunt. Lapides pluere, et ful- « mina jaci de cælo [11], et insuetos fetus animalia edere, « vos portenta esse putatis : hoc est portentum, quod

VII, 43. — *Ab tribunis suffragio pop. creatis.* Creverius notat inde non inferendum tribunos militum omnes per hæc tempora a populo creatos : quippe contrarium constat ex lib. XXVII, 36. Sed Livius oratorie rem auget, ut atrocius videatur militum facinus, si tribunis eam potestatem ademerint, quam populus eis mandarat. Ed.

9. *In prætorio tetenderunt;* vide ad VI, 42, n. 7, et XXV, 6, n. 10. — *Classicum apud eos cecinit;* vide ad VII, 40, n. 4. *Classicum*, sc. signum, et quidem militare (nam *classis* etiam exercitus dicebatur), quod cornu vel tuba seu buccina *canebatur*, h. e. eorum cantu seu sono, vel iis inflatis, dabatur, et quo milites vel ad arma, vel ad concionem (vide ad VII, 36, n. 4), castraque movenda convocari, aut somno excitari quovis diluculo (vid. Polyb. XII, 26 pr.), aut vigiliæ ordinari (vide ad VII, 35, n. 2) solebant. — *Signum ab iis petitum est;* vide ad cap. 24, n. 6.

10. *Submoto incesserunt;* vide ad III, 14, n. 4, et XXV, 3, n. 14; Gron. et Drak. ad h. l. et ad XXV, 3, n. 16; Guther. de jure man. I, 4 (qui *submoto* adverbialiter dici putabat, ut *optato*); Lips. Elect. I, 23; Salmas. ad Solin. pag. 217; Burm. ad Petron. c. 51, p. 252, et syll. epist. t. II, p. 607.

11. *Fulmina jaci de cælo :* hoc non portentum est, (unde enim alioqui caderent fulmina?) sed loca fulminibus tangi, aut ea cadere seu *jaci sereno*, ut fortasse legendum; Gron. Cf. Hor. Od. I, 34, 5 sq. ibique intpp. Suspicari possis *culmina* (ædium) *tangi de cælo*, ut XXVII, 4, et al. Sed nihil forte mutandum. « Si ratio Gron. valet, verba *de cælo* etiam supervacua forent, quoties quædam *de cælo tacta* et *icta*, sc. fulmine dicuntur : et *jaci* cum effectu accipi potest, ita, ut loca hominesve iis tangantur, ut *mittere* ap. Ovid. Trist. II, 33 : *Si, quoties peccant homines, sua fulmina mittat Jupiter* ». Duker. Mox *animales* opti-

« nullis hostiis, nullis supplicationibus, sine sanguine « eorum, qui tantum facinus ausi sunt, expiari possit.

XXVIII. « Atque ego (quanquam nullum scelus ra- « tionem habet[1]) tamen, ut in re nefaria, quæ mens, « quod consilium vestrum fuerit, scire velim. Rhe- « gium quondam in præsidium missa legio, interfectis « per scelus principibus civitatis, urbem opulentam « per decem annos tenuit. Propter quod facinus tota « legio, millia hominum quatuor, in foro Romæ securi « percussi sunt : sed illi primum non Atrium Umbrum « semilixam[2], nominis etiam abominandi ducem, sed « Decium Jubellium tribunum militum sequuti sunt; « nec cum Pyrrho, nec cum Samnitibus aut Lucanis, « hostibus populi romani, se conjunxerunt. Vos cum « Mandonio et Indibili consilia communicastis, et arma « consociaturi fuistis. Illi, sicut Campani Capuam, « Tuscis veteribus cultoribus ademptam[3], Mamertini

mi MSS, ut apud Varr. L. L. 8. *Animantes* conj. Gron. ut XXI, 30; XLI, 18, et ap. Cic. N. D. I, 18; II, 47, 61.

Cap. XXVIII. 1. *Nullum scelus rationem habet*, committitur cum ratione, vel ab eo, qui ratione ducitur. Cf. Terent. Eun. I, 1, 12. — *Ut in re nefaria*, prout, quatenus esse aut quæri vel locum habere possit: nam restringit hic *ut* et corrigit, non probat; Bauer. Cf. VIII, 30, n. 7. — *Rhegium quondam* a. U. 474...483, *in præsidium missa legio... Romæ securi percussi sunt;* vide ad XXXI, 31; Epit. XII et XV; Frontin. Strat. IV, 1, 38; Oros. IV, 3; Zonar. VIII, 6; Val. Max. II, 7, 15; Appian. Samn. Exc. 9, et inpr. Polyb. I, 7 : ex quo probabile fit, legendum esse *per IX annos*, et a Livio aliisque rem tragice exaggerari, nempe trecentos tantum securi fuisse percussos, plerisque in diuturna difficilique urbis expugnatione interemptis. Cf. Schweigh. ad Polyb. l. l. et ad Appian. t. III, p. 163, 164. — Vide quoque Freinsh. Suppl. ad lib. XV, 1-3. Ed. — *In præsidium missa legio* duce *Decio Jubellio* Campano præfecto vel *tribuno mil.* Cf. Polyb. l. l.

2. *Atrium Umbrum semilixam*, qui pæne lixa, nec melioris conditionis est, ut XXX, 38; et *semimas, semihomo*, etc. cf. Gron. Obss. IV, 7. — *Nominis etiam abominandi :* quasi *Atrius* sit dictus ab *ater*, h. e. infaustus, horrendus, abominandus. — Notum est quænam fuerit Romanorum circa res omnes ac nomina ipsa superstitio. An etiam hoc dicit, quia ipse Atrius ignobilis fuit et semilixa? Inter utrumque hæret Creverius : ego prius malo. Ed.

3. *Campani Capuam, Tuscis vete-*

« in Sicilia Messanam, sic Rhegium habituri perpe-
« tuam sedem erant; nec populum romanum, nec
« socios populi romani ultro lacessituri bello. Sucro-
« nemne vos domicilium habituri eratis? ubi si vos de-
« cedens confecta provincia[4] imperator relinquerem,
« deum hominumque fidem implorare debebatis, quod
« non rediretis ad conjuges liberosque vestros. Sed
« horum quoque memoriam, sicut patriæ meique, eje-
« ceritis ex animis[5] vestris. Viam consilii scelerati,
« sed non ad ultimum dementis, exsequi volo. Mene
« vivo et cætero incolumi exercitu, cum quo ego die
« uno Carthaginem cepi, cum quo quatuor imperato-
« res[6], quatuor exercitus Carthaginiensium fudi, fu-
« gavi, Hispania expuli, vos octo millia hominum,
« minoris certe omnes pretii[7], quam Albius et Atrius
« sunt, quibus vos subjecistis, Hispaniam provinciam
« populo romano erepturi eratis? Amolior et amoveo

ribus cultoribus ademptam; vid. IV, 37 pr. unde probabile fit, *Samnites* leg. pro *Campani.* — *Mamertini*, Campani et Agathoclis mercenarii, circa a. U. 473, *in Sicilia Messanam* per vim ac fraudem occuparunt adjuvaruntque mox legionem romanam in opprimendo Rhegio; vide ad Sil. I, 662; Diodor. XXI, ecl. 13; Polyb. I, 7 et 8, ibique Schweigh.

4. *Confecta provincia;* vide ad II, 40, n. 9. — *Deum hominumque fidem implorare;* vide ad Juvenal. XIII, 31.

5. *Ejeceritis ex animis* ex optimis MSS recepit Gron. pro *ejeceratis*, ut non simplex sit affirmatio Scipionis, sed occupatio, quam rhetores vocent: sit ita, horum quoque sitis obliti: quæ autem via? quis exitus erat consilii? — *Non ad ultimum dementis*, non adeo insani, ut ad ultima et summa quæque spectasset; Doer. — *Exsequi volo;* vide ad V, 15, n. 8. — Id est, rationem expendere. Ea sic exponit Creverius: expendendo consilium vestrum velim illud reperire ejusmodi, ut, etsi sceleratum et nefarium, non tamen sit ad ultimum dementis. Ed.

6. *Quatuor imperatores*, Magonem, Hannonem duosque Hasdrubales, *quatuor exercitus C.* vid. X, 25, n. 9.

7. *Minoris certe omnes pretii*, etc. al. *majoris*, ut Scipio milites timens iis blandiatur: sed minoris pretii erant suo ipsorum judicio, quippe qui præposuerant sibi Calenum et Umbrum, tanquam præstantiores; hos vero *semilixas* antea vocaverat: unde nullo genere comparabiles eos evincit cum cætero exercitu, quocum se Carthaginem die uno cepisse, etc. dixerat, eosque in comparatione cum illo deprimit; Gron.

« nomen meum : nihil ultra facile creditam mortem « meam a vobis violatus sim [8]. Quid? si ego morerer, « mecum exspiratura respublica, mecum casurum im- « perium populi romani erat? ne istuc Jupiter opti- « mus maximus sirit, Urbem, auspicato diis auctori- « bus in æternum conditam, fragili huic et mortali « corpori æqualem esse. Flaminio, Paullo, Graccho, « Postumio Albino, M. Marcello, T. Quintio Crispino, « Cn. Fulvio, Scipionibus meis, tot tam præclaris im- « peratoribus uno bello absumptis, superstes est po- « pulus romanus, eritque, mille aliis nunc ferro, nunc « morbo morientibus. Meo unius funere elata populi « romani esset respublica [9]? Vos ipsi hic in Hispania, « patre et patruo meo, duobus imperatoribus, inter- « fectis, Septimum Marcium ducem [10] vobis adversus « exsultantes recenti victoria Pœnos delegistis. Et sic « loquor, tanquam sine duce Hispaniæ futuræ fue- « rint [11] : M. Silanus, eodem jure, eodem imperio me- « cum in provinciam missus, L. Scipio frater meus et « C. Lælius, legati, vindices majestatis imperii dees- « sent? Utrum exercitus exercitui, an duces ducibus, « an dignitas, an causa comparari poterat? quibus si « omnibus superiores essetis, arma cum Pœnis contra « patriam, contra cives vestros ferretis? Africam Ita-

8. *Nihil ultra facile creditam mortem meam a vobis violatus sim*, ponam, credam, vos non gravius me violasse, non aliud majusve scelus in me commisisse, quam quod temere (et *temere potius, quam avide*, ut supra dixit cap. 27) credideritis, me mortuum esse. — *Mecum exspiratura resp.*, *mecum casurum*, etc. conf. ad XXIV, 22, n. 11, et ad Tac. Annal. III, 6, n. 8. — *Sirit*, siverit, scilicet fieri. — *Auspicato*; vid. V, 21, n. 1.

9. *Meo funere elata... resp.* vide ad XXIV, 22, n. 11.

10. *Sept. M. duc.*, etc. v. XXV, 37.

11. *Tanquam sine duce Hispaniæ futuræ fuerint*, scilic. me mortuo. — *Utrum exercitus*, cui illi præsunt, *exercitui* vestro, qui ab illo sejunxit se, *an duces*, Silanus, Scipio, Lælius, *ducibus* vestris, Albio et Atrio, *an causa* pia illorum, qui pro patria pugnaturi fuissent, causæ impiæ vestrum, etc.

« liæ, Carthaginem urbi romanæ imperare velletis? « quam ob noxam patriæ?

XXIX. « Coriolanum quondam damnatio injusta, « miserum et indignum exsilium, ut iret ad oppu- « gnandam patriam, impulit : revocavit tamen a pu- « blico parricidio[1] privata pietas. Vos qui dolor, quæ « ira incitavit? Stipendiumne diebus paucis imperatore « ægro serius numeratum satis digna causa fuit, cur « patriæ indiceretis bellum? cur ad Ilergetes descisce- « retis a populo romano? cur nihil divinarum huma- « narumve rerum inviolatum vobis esset? Insanistis « profecto, milites : nec major in corpus meum vis « morbi, quam in vestras mentes, invasit. Horret ani- « mus referre, quid crediderint homines, quid spera- « verint, quid optaverint. Auferat omnia irrita obli- « vio, si potest : si non, utcumque silentium tegat. « Non negaverim, tristem atrocemque vobis visam « orationem meam; quanto creditis facta vestra atro- « ciora esse, quam dicta mea? et me ea, quæ fecistis, « pati æquum censetis; vos ne dici quidem omnia « æquo animo ferretis? Sed ne ea quidem ipsa ultra « exprobrabuntur. Utinam tam facile vos oblivisca- « mini eorum, quam ego obliviscar : itaque, quod ad « vos universos attinet, si erroris pœnitet, satis super- « que pœnarum habeo. Albius Calenus et Atrius Um- « ber et cæteri nefariæ seditionis auctores sanguine « luent, quod admiserunt. Vobis supplicii eorum spe- « ctaculum non modo non acerbum, sed lætum etiam, « si sana mens rediit, debet esse : de nullis enim,

Cap. XXIX. 1. *A publico parricidio*, a bello adversus patriam suscepto, ab expugnatione nefaria patriæ : nam *parricidium* dicitur quævis cædes impia (v. c. filii VIII, 11, et fratris XL, 8 et 24) scelusque omne, quo pietas in patriam, parentes, etc. violatur. — *Privata pietas*, in matrem, uxorem et liberos. Res nota ex II, 37 sq. — *Qui dolor;* vide ad VI, 32, n. 3.

« quam de vobis, infestius aut immitius[2] consulue-« runt. » Vix finem dicendi fecerat, quum ex præparato simul omnium rerum terror oculis auribusque est offusus. Exercitus, qui corona concionem circumdederat, gladiis ad scuta concrepuit[3] : præconis audita vox citantis nomina damnatorum in consilio. Nudi in medium protrahebantur : et simul omnis apparatus supplicii expromebatur. Deligati ad palum virgisque cæsi et securi percussi[4], adeo torpentibus metu, qui aderant, ut non modo ferocior vox adversus atrocitatem pœnæ, sed ne gemitus quidem, exaudiretur. Tracti inde de medio omnes, purgatoque loco citati milites nominatim apud tribunos militum in verba P. Scipionis jurarunt[5], stipendiumque ad nomen singulis persolutum est. Hunc finem exitumque seditio militum cœpta apud Sucronem habuit.

XXX. Per idem tempus ad Bætim fluvium Hanno, præfectus Magonis[1], missus a Gadibus cum parva manu Afrorum, mercede Hispanos sollicitando ad quatuor millia juvenum armavit. Castris deinde exsutus ab L. Marcio, maxima parte militum inter tumultum captorum castrorum, quibusdam etiam in fuga amissis, palatos persequente equite, cum paucis ipse

2. *Infestius aut immitius* : ita quidam MSS. Alii *iniquius* et *inimicius*. Hoc recepere Gron. et Drak. sed ille non improbat *immitius*, et hic *iniquius*. In Put. est *inicius*, et in Flor. *initius* ; quæ potius pro *immitius* scripta crediderim, quam pro *inimicius* aut *iniquius*. — Cf. cum hac oratione verba Cæsaris, seditiosos milites castigantis, apud Lucan. V, ubi eodem modo concludit : « At paucos, quibus hæc rabies auctoribus arsit, Non Cæsar, sed pœna tenet : procumbite terræ, Infidumque caput, feriendaque tendite colla ». Ed.

3. *Gladiis ad scuta concrepuit*, terroris incutiendi causa ; vide ad VI, 24, n. 1, et ad hæc et seqq. cf. Polybius, XI, 30.

4. *Virgisque cæsi et securi percussi* ; vide ad I, 26, n. 6. — *Non modo* non *ferocior*, etc. vide ad I, 40, n. 1.

5. *Apud tribunos mil. in verba P. Scipionis jurarunt* ; vide ad II, 32, n. 1. Cf. Polyb. l. l.

Cap. XXX. 1. *Hanno, præfectus Magonis*, ut XXIII, 30 ; XXV, 28, n. 3, et al. v. Gron. ad h. l., et Ernesti clav. Cic.

effugit. Dum hæc ad Bætim fluvium geruntur, Lælius interim, freto in Oceanum evectus, ad Carteiam [2] classe accessit : urbs ea in ora Oceani sita est, ubi primum e faucibus angustis panditur mare. Gades, sine certamine, proditione recipiendi, ultro qui eam rem pollicerentur, in castra romana venientibus, spes, sicut ante dictum est, fuerat. Patefacta immatura proditio est, comprehensosque omnes Mago Adherbali prætori Carthaginem devehendos tradit. Adherbal, conjuratis in quinqueremem impositis, præmissaque ea, quia tardior, quam triremis, erat [3], ipse cum octo triremibus modico intervallo sequitur. Jam fretum intrabat quinqueremis, quum Lælius, et ipse in quinqueremi e portu Carteiæ, sequentibus septem triremibus, evectus, in Adherbalem ac triremes invehitur, quinqueremem satis credens deprensam rapido in freto [4], in adversum æstum reciprocari non posse. Pœnus in re subita parumper incertus trepidavit, utrum quinqueremem sequeretur, an in hostes rostra converteret.

2. *Ad Carteiam*, etc. vid. XXI, 5, n. 3. — Hoc esse nomen duorum oppidorum putat Glareanus. Nam Ptolemæus, II, 40, *Carteiam* intra Calpen ponit. At hæc descriptio ostendit extra fretum esse, quod Plin. III, 1 seu 3, fateri videtur, qui addit *Tartesson* a Græcis dici. Quod si verum est, haud dubie ea videri debet, quam Strabo, lib. III, ad Bætis fluvii, qui et ipse aliquando *Tartessos* dictus est, ostia ponit. Livius, XXI, 5, *Carteiam Olcadum gentis caput* facit ex Polybio: Carteiæ etiam ad Oceanum meminit, XLIII, 3. Ed. — *Gades, sine certamine, prodit. recipiendi spes*, etc. vid. cap. 23.

3. *Præmissaque ea* quinqueremi, *quia tardior, quam triremis, erat.* « De qua re vix quidquam certi credo statui posse. Non improbabile est, ut nunc, ita olim quoque, inter ejusdem generis et magnitudinis naves alias aliis velociores, alias tardiores fuisse; idque vel ex eo, quod hæ inscite factæ essent (cf. XXXVI, 43), vel aliis de causis fieri potuisse. Nec semper naves eo velociores fuisse, quo plures remorum ordines habebant, ex iis liquet, quæ Flor. IV, 2, et alii de Antonii et Cæsaris Octaviani classibus prodiderunt. Et leves ac fugaces piratarum myoparones sæpe longe majores naves celeritate vincebant. » Duk.

— *Fretum* Gaditanum.

4. *Deprensam rapido in freto* (vid. IX, 23, n. 3), *in adv. æstum reciprocari*, reciprocare se, redire, retro agi.

Ipsa cunctatio facultatem detrectandæ pugnæ ademit: jam enim sub ictu teli erant, et undique instabant hostes; æstus quoque arbitrium moderandi naves ademerat: neque erat navali pugna similis; quippe ubi nihil voluntarium, nihil artis aut consilii esset. Una natura freti æstusque totius certaminis potens[5], suis, alienis navibus nequidquam remigio in contrarium tendentes invehebat, ut fugientem navem videres retro vortice intortam victoribus illatam; et sequentem, si in contrarium tractum incidisset maris, fugientis modo sese avertentem. Jam in ipsa pugna hæc, quum infesto rostro peteret hostium navem[6], obliqua ipsa ictum alterius rostri accipiebat: illa, quum transversa objiceretur hosti, repente intorta in proram circumagebatur. Quum inter triremes, fortuna regente, anceps prælium misceretur[7], quinqueremis romana, seu pondere tenacior, seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices, quum facilius regeretur, duas triremes suppressit, unius prælata impetu lateris alterius remos detersit; cæterasque,

5. *Æstus totius certaminis potens*, illud unice regens; ut mox *fortuna regente* prælium. — Mox alii *suis alienisque*, alii *suas*. Ed. — *Vortice intortam;* vid. XXI, 58, n. 3. — *Vortice* pro *vertice* edidit Jac. Gron. itaque scribendum conjecit Dujatius, addita hac causa, *vorticem* dici de mari sive fluctu in gyrum contorto, quod hic vult Livius, *verticem* vero de turbine seu vento rotato. Verum hoc discrimen non semper observatum fuisse docet Drakenb. ad Sil. Ital. III, 475; certe hoc loco plurimi codd. *vertice* servant. Ed. — *Victoribus*, navibus hostium victricibus. — *Sese avertentem*, circum et retro actam.

6. *Infesto rostro peteret navem;* conf. supra ad lib. I, cap. 13, not. 2.

7. *Anceps prælium misceretur;* vide ad II, 19, n. 3. — *Pondere tenacior*, firmior, immobilior. — *Prælata impetu*, celeriter et proxime prætervecta (vide ad I, 45, n. 7, et II, 14, n. 3), *remos alterius lateris unius* triremis punicæ *detersit*, fregit, defregit, ut XXXVI, 44; XXXVII, 24, 30; XXXVIII, 5. Sic παραλύειν et παρασύρειν, seu διασύρειν τοὺς ταρσοὺς apud Diodor. XI, 18; Polyb. XVI, 4, 5 et 14. Cf. Sil. XIV, 382; Voss. ad Cæs. B. C. I, 58; Duk. ad Flor. II, 2, 8, et *Böttigeri* Archæol. Mus. Fasc. I, pag. 53, 54, 68. — *Mul.*

quas indepta esset, mulcasset, ni cum reliquis quinque navibus Adherbal velis in Africam transmisisset.

XXXI. Lælius, victor Carteiam revectus, auditis, quæ acta Gadibus erant, patefactam proditionem, conjuratosque missos Carthaginem, spem ad irritum redactam [1], qua venissent, nuntiis ad L. Marcium missis, nisi si terere frustra tempus sedendo ad Gades vellent, redeundum ad imperatorem esse, assentiente Marcio, paucos post dies ambo Carthaginem rediere. Ad quorum discessum non respiravit modo Mago, quum terra marique ancipiti metu urgeretur; sed etiam, audita rebellione Ilergetum, spem recuperandæ Hispaniæ nanctus, nuntios Carthaginem ad senatum mittit, qui, simul seditionem civilem in castris romanis, simul defectionem sociorum in majus verbis extollentes, hortarentur, ut auxilia mitterent, quibus traditum a patribus imperium Hispaniæ repeti posset. Mandonius et Indibilis [2], in fines regressi, paulisper, dum, quidnam de seditione statueretur, scirent, suspensi quieverunt; si civium errori ignosceretur, non diffidentes, sibi quoque ignosci posse. Postquam vulgata est atrocitas supplicii, suam quoque noxam pari pœna æstimatam rati, vocatis rursus ad arma popularibus, contractisque, quæ ante habuerant, auxiliis, in

casset, male tractasset, mutilasset; vide ad III, 11, n. 3.

Cap. XXXI. 1. Et *spem ad irritum redactam* (ut *ad irritum cecidisse* II, 6), *qua* spe ipsi, Lælius Marciusque, *venissent* Gades; vid. cap. 23. — *Nuntiis ad L. Marcium missis, redeundum ad imperatorem* Scipionem *esse;* vide ad VIII, 19, n. 10. — *Nisi si terere.* In editis vulgo deest particula *si;* sed eam Put. aliique optimi codd. exhibent. Ed. — *Sedendo ad Gades;* vide ad VII, 37, n. 4. Cæterum structura verborum h. l. impeditior fit ablativis conseq. sine copula cumulatis et mutato subjecto. Suspicari possis: *Lælius, victor Carteiam revectus, ... paucos post dies cum eo Carthaginem rediit.* Conf. tamen ad librum II, cap. 56, n. 1.

2. *Mandonius et Indibilis*, etc. cf. cap. 24. — *Pari pœna æstimatam*, dignam fuisse judicatam. Cf. ad IV, 15, n. 1.

sedetanum agrum[3], ubi principio defectionis stativa habuerant, cum viginti millibus peditum, duobus millibus equitum et quingentis transcenderunt.

XXXII. Scipio, quum fide solvendi pariter omnibus noxiis innoxiisque stipendii[1], tum vultu ac sermone in omnes placato, facile reconciliatis militum animis, prius quam castra ab Carthagine moveret, concione advocata, multis verbis in perfidiam[2] rebellantium regulorum invectus, *nequaquam eodem animo se ire* professus est *ad vindicandum id scelus, quo civilem errorem nuper sanaverit. Tum se, haud secus quam viscera secantem sua, cum gemitu et lacrymis quinque et triginta hominum[3] capitibus expiasse octo millium seu imprudentiam, seu noxam : nunc læto et erecto animo ad cædem Ilergetum ire. Non enim eos neque natos in eadem terra, nec ulla secum societate junctos esse : eam, quæ sola fuerit, fidei atque amicitiæ[4] ipsos per scelus rupisse. In exercitu suo se, præ-*

3. *In sedetanum agrum*, etc. Nota Drak. est : « Ex Livii narratione colligendum, Mandonium et Indibilem, adventu Scipionis audito, ex agro sedetano in patriam recessisse, et hinc Scipioni, ut eos assequeretur, Iberum transeundum fuisse. Eos autem in Sedetanis exercitum collegisse, quod Glar. putabat, nullo loco Livius tradit. Supra cap. 24, concitatis popularibus et Celtiberis depopulantur agrum suessetanum sedetanumque. Hic autem, primo in fines regressi, mox vocatis rursus ad arma popularibus, contractisque, quæ antea habuerant, auxiliis, in sedetanum agrum transcendisse dicuntur ».

Cap. XXXII. 1. *Scipio quum fide solvendi pariter omnibus noxiis innoxiisque stipendii;* leg. cum Gron. *Scipio cum fide solvendo stipendio, tum,* præterea, etc. Conf. ad I, 53, n. 3.

2. *Multis verbis in perfidiam*, etc. cf. Polyb. XI, 31.

3. *Quinque et triginta hominum* ex MS Hav. et Sigon. recepi pro vulg. *triginta h.* Cf. cap. 26 pr. et Polyb. XI, 27. Numeri XXX et XXXV facile permutari poterant. Vulgatum retinuit Drak. ut ita Scipio numero rotundo minori usus sit minuendi causa numerum illorum, quos ex tanta noxiorum multitudine pœna affecerit.

4. *Eam, quæ sola fuerit, fidei atque amicitiæ* societatem, non propiorem, sed remotiorem : nam varii sunt tituli et formæ societatum inter homines; est civitas, est consanguinitas, affinitas, sacrorum vel publicorum vel familiarium communitas, collegium, est etiam fœdus; Gronov. coll. Cic. Off. I, 17.

terquam quod omnes cives, aut socios latinique nominis videat, etiam eo moveri, quod nemo vere sit miles, qui non aut a patruo suo Cn. Scipione, qui primus romani nominis in eam provinciam venerit, aut a patre consule, aut a se sit ex Italia advectus. Scipionum nomini auspiciisque omnes assuetos, quos secum in patriam ad meritum triumphum deducere velit; quos consulatum petenti, velut si omnium communis agatur honos, affuturos[5] speret. Quod ad[6] expeditionem attineat, quæ instet, immemorem esse rerum suarum gestarum, qui id bellum ducat. Magonis hercule sibi, qui extra orbem terrarum[7] in circumfusam Oceano insulam cum paucis perfugerit navibus, majorem curam esse, quam Ilergetum. Quippe illic et ducem carthaginiensem, et quantumcumque punicum præsidium esse; hic latrones latronumque duces: quibus ut ad populandos finitimorum agros tectaque urenda et rapienda pecora aliqua vis sit, ita in acie ac signis collatis nullam esse. Magis velocitate ad fugam, quam armis fretos, pugnaturos esse: itaque non, quod ullum inde periculum, aut semen majoris belli videat, ideo se, prius quam provincia decedat, opprimendos Ilergetes duxisse; sed primum, ne impunita tam scelerata defectio esset; deinde, ne quis in provincia, simul virtute tanta et felicitate perdomita, relictus hostis dici posset. Proinde deis bene juvantibus sequerentur, non tam ad bellum gerendum (neque enim cum pari hoste certamen esse), quam ad expetendas ab hominibus scelestis pœnas.

5. *Consulatum petenti* sibi *affuturos;* vide ad III, 14, n. 6.

6. *Quod ad expeditionem*, nunc suscipiendam adversus Mandonium et Indibilem, *attineat*, eum profecto *immemorem... qui id bellum ducat*, qui huic expeditioni det belli nomen. Cf. extrema verba hujus capitis.

7. *Extra orbem terrarum*, Gades. Cf. ad Sil. I, 141.

XXXIII. Ab hac oratione dimissos ad iter se comparare in diem posterum jubet, profectusque decimis castris[1] pervenit ad Iberum flumen : inde, superato amni, die quarto in conspectu hostium posuit castra : campus ante montibus circa septus erat. In eam vallem Scipio quum pecora, rapta pleraque ex hostium agris, propelli ad irritandam feritatem Barbarorum jussisset, velites subsidio misit. A quibus ubi per procursationem commissa pugna esset, Lælium cum equitatu impetum ex occulto facere jubet. Mons opportune prominens equitum insidias texit : nec ulla mora pugnæ facta est. Hispani in conspecta procul pecora, velites in Hispanos præda occupatos incurrere. Primo missilibus territavere ; deinde, emissis levibus telis, quæ irritare magis, quam decernere pugnam[2] poterant, gladios nudant, et collato pede res cœpta geri est ; ancepsque pedestre certamen erat, nisi equites supervenissent. Neque ex adverso tantum illati obvios obtrivere, sed circumvecti etiam quidam per infima clivi ab tergo se, ut plerosque intercluderent, objecerunt ; majorque cædes fuit, quam quantam edere

Cap. XXXIII. 1. *Profectusque decimis castris*, etc. cf. Polyb. XI, 32, 33. — *In conspectu hostium*, Mandonii et Indibilis, qui de adventu Scipionis certiores facti, relicto agro sedetano, in patriam redierant. Cf. ad c. 31, n. 3. — *Campus ante* castra, a fronte eorum; vide ad XXVI, 42, n. 6. — *In eam vallem*, αὐλῶνά τινα μεταξὺ τῆς αὐτοῦ καὶ τῶν πολεμίων στρατοπεδείας Polyb. — Livium culpat Glareanus, quia vallum non nominarit, sed nec ipse Polyb. ejus nomen prodidit. Ed.

2. *Decernere pugnam;* vide ad VII, 9, n. 4. — *Pede res cœpta geri est ; ancepsque :* nihil horum verborum in optimis MSS, sed continenter *collato pedestre;* unde scribendum : *gladios nudant, et collato pede acre certamen erat ;* Gron. Sed in illis verbis nihil Livio indignum esse, immo eorum ope fluere magis orationem, et vicinitatem vocum *pede res* et *pedestre* effecisse, ut librarii media transilirent, monent Crev. et Drak. Cf. ad VI, 12, n. 7, et de forma dicendi *acre certamen erat, nisi equites supervenissent*, ad II, 50, n. 10. Similis ei hæc : *occasio egregie rei gerendæ fuit, si.....duxisset* XXXI, 21, n. 1. — *Neque ex adverso*, etc. pro *qui non*

levia per excursiones prælia solent. Ira magis accensa adverso prælio Barbaris est, quam imminuti animi: itaque, ne perculsi viderentur, prima luce postero die in aciem processere. Non capiebat omnes copias angusta, sicut ante dictum est, vallis : duæ ferme peditum partes, omnis equitatus in aciem descendit: quod reliquum peditum erat, obliquo constituerunt colle[3]. Scipio, pro se esse loci angustias ratus, et quod in arcto pugna romano aptior, quam hispano militi, futura videbatur, et quod in eum locum detracta hostium acies esset, qui non omnem multitudinem eorum caperet, novo etiam consilio adjecit[4] animum: equitem nec se posse circumdare cornibus in tam angusto spatio, et hosti, quem cum pedite eduxisset, inutilem fore. Itaque imperat Lælio, ut per colles quam occultissimo itinere circumducat equites, segregetque, quantum possit, equestrem a pedestri pugnam. Ipse omnia signa peditum in hostes vertit: quatuor cohortes in fronte statuit, quia latius pandere aciem non poterat[5]. Moram pugnandi nullam

ex a. — *Ne perculsi viderentur.* Antea legebatur *pulsi*, sed recte vulgatum conjecit Rhenanus. Ed.

3. *Obliquo constituerunt colle*, locaverunt, posuerunt, scilic. Barbari; Gron. *Constiterunt* Rhen. et al. Τοὺς ἐν τῇ παρωρείᾳ τεταγμένους, per infima collis latera dispositos, dixit Polyb. XI, 33 pr. — *Pro se esse loci angustias*, sibi utiles, opportunas, faventes, ut *loca et genus pugnæ pro hoste fuere* XXXIX, 30. — *In arcto pugna romano aptior*, ob eamdem causam, ob quam in locis asperis; Duk. coll. c. 2 et 32. *In arcto* loco, ἐν στενῷ ap. Polyb. *In loci angustiis*, vel, ut mox, *in tam angusto* spatio; aut potius, ne idem bis dicatur, quæ fit cominus, συστάδην, *pede collato*, sup. n. 2. Conf. ad V, 38, n. 4; VI, 12, n. 7; XXVI, 17, n. 3; XXVII, 46, n. 2. Id quoque firmat Polyb. XI, 32 extr. ubi dicit : κατὰ τὰς ἐξ ὁμολόγου καὶ συστάδην μάχας *romanos* milites longe hispanis præstare ob virtutem et genus armorum. De armis Hispanorum, vide ad librum XXII, cap. 46, n. 2 et 3.

4. *Novo etiam consilio adjecit animum*, intelligens seu reputans secum, *nec se posse circumdare equitem cornibus*, equitatu uti ad firmanda cornua, *et hosti* equitem, *quem cum pedite eduxisset* e castris in aciem, *inutilem fore.*

5. *Latius pandere aciem non pote-*

fecit, ut ipso certamine averteret ab conspectu transeuntium per colles equitum : neque ante circumductos sensere, quam tumultum equestris pugnæ ab tergo accepere. Ita duo prælia erant : duæ peditum acies, duo equitatus per longitudinem campi, quia misceri ex genere utroque prælium angustiæ non patiebantur, pugnabant. Hispanorum quum neque pedes equiti, nec eques pediti auxilio esset, pedes fiducia equitis temere commissus campo cæderetur, eques circumventus nec peditem a fronte (jam enim stratæ pedestres copiæ erant), nec ab tergo equitem sustineret, et ipsi, quum diu in orbem sese stantibus equis defendissent[6], ad unum omnes cæsi sunt : nec quisquam peditum equitumque superfuit, qui in valle pugnaverunt. Tertia pars, quæ in colle ad spectaculum magis tutum, quam ad partem pugnæ capessendam, steterat, et locum et tempus ad fugiendum habuit. Inter eos et reguli ipsi[7] fugerunt, prius quam tota circumveniretur acies, inter tumultum elapsi.

XXXIV. Castra eodem die Hispanorum, præter reliquam prædam, cum tribus ferme millibus hominum capiuntur. Romani sociique ad mille ducenti[1] eo prælio ceciderunt : vulnerata amplius tria millia hominum. Minus cruenta victoria fuisset, si patentiore campo et ad fugam capessendam facili foret pugnatum. Indibilis, abjectis belli consiliis, nihil tutius in afflictis rebus experta fide et clementia Scipionis ratus, Mandonium fratrem ad eum mittit; qui, advo-

rat propter vallis angustias. — *Averteret*, sc. hostes, Hispanos.

6. *In orbem sese defendissent;* vide ad II, 50, n. 6.

7. *Reguli ipsi*, Indibilis et Mandonius, fratres.

Cap. XXXIV. 1. *Ad mille ducenti;* vide ad IV, 59, n. 4. — In hanc scripturam consentiunt tres optimi codd. Put. Cantab. et Reg. teste Crevèrio : neque genus hoc loquendi insolens est Livio. Ed. — *Mandonium fratrem* In-

lutus genibus, *fatalem rabiem temporis ejus* accusat, *quum velut contagione quadam pestifera non Ilergetes modo et Lacetani, sed castra quoque romana insanierint. Suam quidem et fratris et reliquorum popularium eam conditionem esse, ut aut, si ita videatur, reddant spiritum P. Scipioni*[2], *ab eodem illo acceptum, aut servati bis uni debitam vitam pro eo in perpetuum devoveant. Antea in causa sua fiduciam sibi fuisse, nondum experta clementia ejus : nunc contra, nullam in causa, omnem in misericordia victoris spem positam habere.* Mos vetustus erat Romanis[3], cum quo nec fœdere, nec æquis legibus jungeretur amicitia, non prius imperio in eum tanquam pacatum uti, quam omnia divina humanaque dedidisset, obsides accepti, arma adempta, præsidia urbibus imposita forent. Scipio, multis invectus in præsentem Mandonium absentemque Indibilem verbis, *illos quidem merito perisse ipsorum maleficio*[4], ait; *victuros suo atque populi romani beneficio. Cæterum se neque arma iis adempturum (quippe ea pignora timentium rebellionem*

dibilis; vide ad XXVI, 49, n. 5. — Hinc patet duos regulos quorum toties nunc mentio facta est, fratres fuisse. Nisi quis putet, ut Glareani verbis utar, alium Mandonium esse, Indibilis fratrem juniorem quempiam; nam alioqui cur non ipse Indibilis iret deprecatum apud victorem hostem, quum Mandonius in eadem erat culpa? Quanquam et ea quoque subit causa, quod Indibilis adversus Scipionis parentem pugnaverat, odii adhuc favillam timeri potuisse. Ed.

2. *Reddant Scipioni spiritum*, vitam ejus arbitrio permittant, et amittant, *si ita* ei *videatur*, placeat. Cf. Cic. Phil. X, 10.

3. *Mos vetustus erat Romanis*... *forent*; cf. XXXVI, 28; Sigon. de Ant. jur. Ital. I, 1, et Salmas. Obss. ad jus Att. et Rom. c. 26, p. 601.

4. *Illos quidem merito perisse ipsorum maleficio*; ut passim *perire, interire, occidere, everti*, pro perdi, malis urgeri, omnia fere sua amittere; et contra *vivere* pro conditionem libertatemque suam retinere (conf. ad XXX, 16, n. 2) : nisi potius *merito periisse* dictum est pro : meruisse mori, dignos esse, qui pereant, sed *victuros* esse, etc. *Suo* ante *ipsorum* excidisse conj. Duk. — *Quippe ea* arma ut *pignora* adimi ac retineri tantum ab iis, qui *timeant rebellionem* armatorum hominum. *Adempturum (quippe...esse), sed libera...animos,*

esse, se libera arma relinquere solutosque metu animos), neque se in obsides innoxios, sed in ipsos, si defecerint, sæviturum, nec ab inermi, sed ab armato hoste, pœnas expetiturum. Utramque fortunam expertis permittere sese, utrum propitios, an iratos, habere Romanos mallent. Ita dimissus Mandonius; pecunia tantummodo imperata, ex qua stipendium militi præstari[5] posset. Ipse, Marcio in ulteriorem Hispaniam præmisso, Silano Tarraconem remisso, paucos moratus dies, dum imperatam pecuniam Ilergetes pernumerarent, cum expeditis[6] Marcium jam appropinquantem Oceano assequitur.

XXXV. Inchoata res jam ante de Masinissa[1] aliis atque aliis de causis dilata erat, quod Numida cum ipso utique congredi Scipione volebat, atque ejus dextra fidem sancire : ea tum itineris tam longi ac tam devii causa Scipioni fuit. Masinissa quum Gadibus esset, certior adventare eum a Marcio factus, causando corrumpi equos inclusos in insula, penuriamque omnium rerum et facere cæteris, et ipsos sentire, ad hoc equitem marcescere desidia[2], Magonem perpulit, ut se trajicere in continentem ad depopulandos proximos Hispaniæ agros pateretur. Transgressus tres principes Numidarum præmittit, ad tempus locumque colloquio statuendum. Duos pro obsidibus retineri a Scipione jubet : remisso tertio, qui, quo jussus

neque, etc. rectius forte ediderunt Crev. et alii.

5. *Stipendium militi præstari;* in optimis MSS *præsidium :* unde forte leg. *residuum*, scilic. stipendium, ut *residuæ pecuniæ* et jurisconsultorum *residua ;* Gron.

6. *Cum expeditis ;* vide supra ad V, 16, n. 2.

Cap. XXXV. 1. *Inchoata res jam ante de Masinissa* Romanis conciliando, societas cum eo jungenda, *aliis*, etc. conf. cap. 16. — *Utique ;* vide ad II, 30, n. 1, et VI, 35, n. 4. — *Ejus dextra f. s.* vide ad XXV, 16, n. 8.

2. *Equitem marcescere desidia ;* vide ad XXIII, 45, n. 1.

erat, adduceret Masinissam, cum paucis in colloquium venerunt. Ceperat jam ante Numidam ex fama rerum gestarum admiratio viri; substitueratque animo [3] speciem quoque corporis amplam ac magnificam. Cæterum major præsentis veneratio cepit; et, præterquam quod suapte natura multa majestas inerat, adornabat promissa cæsaries [4] habitusque corporis non cultus munditiis, sed virilis vere ac militaris, et ætas in medio virium robore; quod plenius nitidiusque ex morbo velut renovatus flos juventæ faciebat. Prope attonitus ipso congressu Numida, *gratias de fratris filio remisso* [5] *agit. Ex eo tempore*, affirmat, *eam se quæsisse occasionem, quam tandem oblatam deum immortalium beneficio non omiserit. Cupere se illi populoque romano operam navare, ita ut nemo unus* [6] *externus magis enise adjuverit rem romanam. Id se, etiamsi jam pridem vellet, minus præstare in Hispania, aliena atque ignota terra, potuisse: in qua autem genitus educatusque in spem paterni regni esset, facile præstaturum. Siquidem eumdem Scipionem ducem in Africam mittant Romani, satis sperare perbrevis ævi Carthaginem esse.* Lætus eum Scipio vidit audivitque, quum caput rerum in omni hostium equitatu Masi-

3. *Substitueratque animo* suo *speciem*, etc., ut gr. ὑφίστασθαι, h. e. finxerat, conceperat animo; Ern. *Funera fratrum oculis substituere*, proponere, similiter dixit Ovid. Rem. Am. 574.

4. *Adornabat promissa cæsaries*; cf. ad V, 41, n. 6; ad Sil. I, 613; VII, 196; XVI, 525; Heyn. ad Virg. Æn. I, 590.

5. *De fratris filio remisso*; vide ad XXVII, 19, n. 4. — Loco cit. Massivæ avunculus Masinissa dicitur, et maternus avus Gala, Masinissæ pater; nunc autem Numida juvenem vocat *fratris filium*. Quare Glareanus legendum *sororis filio*, nisi vel sororis maritum *fratrem* appellarit, vel apud Barbaros frater sororem sibi connubio junxerit. Sed Gronovio videtur in errorem induxisse Livium vox græca ἀδελφιδοῦς, quam in hac historia adhibuerit auctor græcus, a nostro conversus. Ed.

6. *Nemo unus externus*; vide ad III, 12, n. 2, et XXXIV, 49, n. 4.

nissam fuisse sciret, et ipse juvenis specimen[7] animi præ se ferret. Fide data acceptaque, profectus retro Tarraconem est: Masinissa permissu Romanorum, ne sine causa trajecisse in continentem videretur, populatus proximos agros Gades rediit.

XXXVI. Magoni, desperatis in Hispania rebus, in quarum spem seditio primum militaris, deinde defectio Indibilis animos ejus sustulerant, paranti trajicere in Africam, nuntiatum ab Carthagine est, jubere senatum[1], ut classem, quam Gadibus haberet, in Italiam trajiceret; conducta ibi Gallorum ac Ligurum quanta maxima posset juventute, conjungeret se Hannibali; neu senescere bellum[2], maximo impetu, majore fortuna cœptum, sineret. Ad eam rem et a Carthagine pecunia Magoni advecta est; et ipse, quantam potuit, a Gaditanis exegit, non ærario modo eorum, sed etiam templis spoliatis, et privatim omnibus coactis aurum argentumque in publicum[3] conferre. Quum præterveheretur Hispaniæ oram, haud procul Carthagine Nova expositis in terram militibus, proximos depopulatus agros, inde ad urbem classem appulit. Ibi quum interdiu milites in navibus tenuisset, nocte in litus expositos ad partem eam muri, qua capta Carthago ab Romanis fuerat, ducit; nec præsidio satis valido urbem teneri ratus, et aliquos oppidanorum ad spem novandi res[4] aliquid moturos. Cæterum nuntii ex agris trepidi simul populatio-

7. *Specimen animi* gravius et significantius quam *speciem*: nam qui speciem virtutis præ se ferunt, ii illam nondum probarunt satis; at Masinissa jam ita animum et virtutem probaverat, ut *exemplum* virtutis et esset, et haberetur; Doer. Cf. ad XXXVIII, 17, n. 7.

Cap. XXXVI. 1. *Jubere senatum, ut*, etc. vide supra ad librum I, cap. 17, n. 7.

2. *Senescere bellum*, ut XXX, 19; vide ad I, 22, n. 3.

3. *In publicum conferre;* vide ad XXVI, 36, n. 3.

4. *Ad spem novandi res;* vide ad

nem agrestiumque fugam et hostium adventum attulerant; et visa interdiu classis erat, nec sine causa electam ante urbem stationem apparebat. Itaque instructi armatique intra portam, ad stagnum ac mare versam, continebantur. Ubi effusi hostes[5], mixta inter milites navalis turba, ad muros tumultu majore, quam vi, subierunt, patefacta repente porta, Romani cum clamore erumpunt, turbatosque hostes, et ad primum incursum conjectumque telorum aversos, usque ad litus cum multa cæde persequuntur: nec, nisi naves litori appulsæ trepidos accepissent, superfuisset pugnæ aut fugæ quisquam. In ipsis quoque trepidatum navibus est, dum, ne hostes cum suis simul irrumperent, trahunt scalas[6], orasque et ancoras, ne in moliendo mora esset, præcidunt; multique adnantes navibus, incerto præ tenebris[7], quid aut peterent aut vitarent, fœde interierunt. Postero die quum classis inde retro ad Oceanum, unde venerat, fugisset, ad octingenti homines[8] cæsi inter murum litusque, et ad duo millia armorum inventa.

XXXVII. Mago, quum Gades repetisset, exclusus inde[1], ad Cimbim, haud procul a Gadibus is locus

I, 52, n. 1. — *Nec sine causa electam* (plurimi MSS *erectam*) *ante urbem stationem*, Pœnos a Magone *noctu in litus expositos* esse *ad partem eam muri, qua capta Carthago ab Romanis fuisset.*

5. *Ubi effusi hostes*, qui erant *mixta*, etc.

6. *Trahunt scalas*, in naves retrahunt pontes asseresque expositos litorique admotos, ut inde in naves redirent egressi. Cf. Virg. Æn. X, 654. — *Orasque et ancoras præcidunt;* vide ad librum XXII, cap. 19, n. 6, et lib. XXV, cap. 11, not. 10. — *In moliendo;* vide ad XXVIII, 17, n. 6.

7. *Incerto præ tenebris;* vide ad I, 41, n. 10, et VI, 40, n. 1.

8. *Ad octingenti homines;* vide ad IV, 59, n. 4. — *Ad duo millia armorum.* Drak. testatur plerosque codices habere *armatorum*, unde quidam interpp. exponunt cæsos esse octogintos, sed in universum duo millia variis modis periisse. Sed Gron. Crev. Drak. aliique Rhenani emendationem *armorum* receperunt et tuentur. Ed.

Cap. XXXVII. 1. *Exclusus inde*, non admissus, portis clausis. — *Ad Cimbim;* Flor. et Put. *Cimbios;* 8 MSS.

abest, classe appulsa, mittendis legatis querendoque, quod portæ sibi socio atque amico clausæ forent, purgantibus iis[2], multitudinis concursu factum, infestæ ob direpta quædam abs conscendentibus naves militibus, ad colloquium sufetes eorum, qui summus Pœnis[3] est magistratus, cum quæstore elicuit, laceratosque verberibus cruci affigi jussit : inde navibus ad Pityusam insulam[4], centum millia ferme a continenti (Pœni tum eam incolebant), trajecit. Itaque classis bona cum pace accepta est, nec commeatus modo benigne præbiti, sed in supplementum classis juventus armaque data : quorum fiducia Pœnus in Baliares insulas (quinquaginta inde millia absunt) transmisit. Duæ sunt Baliares insulæ[5], major altera atque opulentior armis virisque; et portum habet, ubi commode hibernaturum se (et jam extremum autumni erat) credebat. Cæterum, haud secus quam

Ambros, prob. Lips. Epist. Quæst. IV, 4. Alii codd. *Umbros*, *Cumbam* et *Cimbros*. *Cuneos* emend. Voss. ad Mel. III, 1; quem tamen agrum *procul a Gadibus* ultra Anam remotum fuisse monet Cellar. Geogr. ant. II, 1, p. 51. Conf. ad XXV, 32, n. 2. *Ebora*, *Olitingin* et *Onobam* conj. Dujat. Nomen loci vel parum notum, vel depravatum putabant Crev. et Drak.

2. *Purgantibus iis*, Gaditanis; vide ad III, 47, n. 1, et XXIV, 47, n. 3.

3. *Sufetes eorum, qui summus Pœnis* (et, quod hinc intelligendum, Gaditanis eorum colonis; Duker. et Spanhem. ad Juliani Orat. I, p. 130) *est magistratus*. Cf. XXX, 7; XXXIV, 61; Potteri Archæol. lib. I extr. et Fest. Hos duos annuos magistratus *reges* appellant Nep. Hannib. 7, et Polyb. III, 33, § 3; III, 41, § 6; VI, 51, § 2. *Suffetes* alii, minus recte, etsi vox ita scripta est in quatuor inscriptt. ap. Grut. 470, 1, 2, et Oct. Rossi Memor. Bresc. p. 176, 177.

4. *Ad Pityusam insulam :* propr. duæ sunt Πιτυοῦσαι, insulæ maris Balearici, a πιτύων, pinuum seu picearum, copia sic dictæ, major Ebusus, minor Ophiusa (nisi potius tres fuere, Ebusus, Ophiusa seu Colubraria et Frumentaria, hod. *Iviza*, *Monte Colibre* et *Fromentera* seu *Formentara*) : sed minor tam parva est, ut nulla nonnunquam ejus ratio haberetur et utraque vocaretur Ebusus. Cf. XXII, 20, n. 9; Plin. III, 5 extr. Diodor. V, 16; Strab. III, 5, p. 167. — *Centum millia;* vid. IX, 24, n. 2.

5. *Duæ sunt Baliares ins.* etc. vide ad XXI, 21, n. 7. — *Et portum habet*, etc. duos quoque minor ins. seu Minorca habet, parvum *Ciudadella*, caput insulæ, majorem egregiumque

si Romani eam insulam incolerent, hostiliter classi occursum est. Fundis ut nunc plurimum, ita tunc solo eo telo utebantur : nec quisquam alterius gentis unus tantum ea arte, quantum inter alios omnes Baliares excellunt. Itaque tanta vis lapidum creberrimæ grandinis modo in propinquantem jam terræ classem effusa est, ut, intrare portum non ausi, averterent in altum naves. In minorem inde Baliarium insulam trajecerunt, fertilem agro; viris, armis haud æque[6] validam. Itaque egressi navibus supra portum loco munito castra locant, ac sine certamine urbe agroque potiti, duobus millibus auxiliarium inde conscriptis missisque Carthaginem, ad hibernandum naves subduxerunt. Post Magonis ab Oceani ora discessum Gaditani Romanis deduntur[7].

XXXVIII. Hæc in Hispania P. Scipionis ductu auspicioque[1] gesta. Ipse, L. Lentulo et L. Manlio Acidino provincia tradita[2], decem navibus Romam rediit;

Mago, hod. *Mahon.* — *Quantum inter alios* (forte *alias*, sc. gentes; Gron.) *omnes Baliares excellunt;* vid. XXI, 21, n. 7.

6. *Viris, armis haud æque validam.* Sigonius nimis diligens, ut ait Creverius, dederat *armis virisque:* sed τὸ *que* ignorant fere omnes MSS. Strabo, lib. III, p. 167, minorem Balearium virtute nihilo inferiorem majore fatetur: illud forte sic ejus tempore fuisse conjicit Glareanus. Ed. — *Naves subduxerunt;* vide supra ad librum VIII, cap. 26, n. 1.

7. *Gaditani Romanis deduntur;* vide ad XXXII, 2, n. 3.

Cap. XXXVIII. 1. *Scipionis ductu auspicioque;* cf. not. 4.

2. *L. Lentulo et L. Manlio Acidino provincia tradita :* sed M. Junio vel M. Junio Silano et L. Marcio ap. Polyb. XI, 33 extr. ubi Schweigh. monet, hæc ita conciliari posse, ut Silanum Marciumque, post discessum Scipionis, adventum Lentuli et Manlii, qui successores missi sint Scipioni, exspectasse, hisque Scipionis nomine provinciam tradidisse statuamus. Dukeri nota est: « Cur non potius Silano, eodem jure imperioque secum in Hispaniam misso (cf. Epit. XXVIII, n. 1), provinciam tradidit? Probabile est, etsi nec Livius, nec Polybius et Appianus, quos Pighius in Ann. ad a. 547 perperam testes laudat, hæc diserte tradunt, et Silanum cum Scipione Romam decessisse, et Lentulum Manliumque jam a. U. 546 cum proconsulari imperio in Hispaniam missos fuisse in locum Scipionis. Id colligitur ex XXVIII, 45, n. 4, et XXIX, 13 extr. »

et, senatu extra Urbem dato in æde Bellonæ[3], quas res in Hispania gessisset, disseruit, quoties signis collatis dimicasset, quot oppida ex hostibus vi cepisset, quas gentes in ditionem populi romani redegisset. *Adversus quatuor se imperatores, quatuor victores exercitus in Hispaniam isse: neminem carthaginiensem in iis terris reliquisse.* Ob has res gestas magis tentata est triumphi spes, quam petita pertinaciter[4]; quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat. Senatu misso, Urbem est ingres-

3. *Senatu extra Urbem dato in æde Bellonæ*, etc. vide ad XXVI, 21, n. 1. — *Quatuor imperatores, quatuor ex.* vide ad X, 25, n. 9.

4. *Magis tentata est triumphi spes* (vide ad X, 16, n. 1), *quam petita pertinaciter*, forte *petitus*, sc. triumphus; nisi *petere spem* fortassis sic dici potest, ut cap. 18, n. 6, *affectare spem;* Duk. *Spes triumphi* est triumphus, quem sperabat; Doer. — *Neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu*, h. e. neque dictator, neque consul, neque prætor, *res gessisset;* cf. XXXI, 20; ad XXVI, 21, n. 1; Sigon. de civ. Rom. II; Vales. ad Exc. Peiresc. p. 603. *Proconsules* temporibus liberæ reip. primum dicebantur ii, quibus vel quum abiissent magistratu (sive consulatu, sive prætura, ut III, 4, 29; XXXVII, 46, et al.), vel privatis, eo nondum gesto (ut Cæs. Fabio, Sp. Furio a. U. 275, et huic P. Scipioni an. Urb. 542; vide supra ad XXVI, 18, et Dionys. Hal. IX, 16), imperium extra ordinem mandabatur proconsulare, quibusque prorogabatur imperium post annuum non modo consulatus, sed etiam prætura honorem (ut XLI, 12), in primis vero iis, qui post finitam prætura prorogato imperio *prætores Hispaniæ* præerant, et modo vocantur *prætores*, ut XXX, 21; XXXVIII, 42; XL, 30, 31, 34; modo *proprætores*, ut XXXIX, 56; XL, 16, 47; modo *proconsules*, ut XXXIII, 25; XXXV, 22; XXXVII, 46; XXXIX, 29, 56; XL, 16, 39; XLI, 15, 28; XLII, 10 (cf. XXXIII, 25, n. 2; Duk. ad XXXVII, 46, et XXXIX, 29, n. 4, ubi eosdem variis his titulis insigniri docet, nec dubitat, quin scribæ sæpius in iis errarint, Drak. ad XL, 39, n. 1. Et intpp. Suet. Cæs. 54), deinde ab a. U. 631, *proconsules* et *proprætores* vocabantur, qui secundum rogationem a C. Sempronio Graccho latam finito consulatus et prætura anno in provincias mittebantur. Conf. inf. ad XXXV, 1, n. 2. Hi in provinciis et imperium habebant et potestatem seu jurisdictionem; at illi solum imperium militare, quod iis extra ordinem et curiatis, non centuriatis, ut magistratus majores, comitiis deferebatur: unde etiam non magistratus erant, sed pro magistratibus, et *sine magistratu*, adeoque et sine *auspiciis;* etsi hæc Scipioni tribuuntur supra (v. not. 1, et ad V, 46, n. 10; Ern. clav. Cic. v. *magistratus*, et Periz. Anim. hist. c. 7, p. 262 sq. ubi monet, Livium, communi et usitato *ductum*

sus, argentique præ se in ærarium tulit quatuordecim millia pondo trecenta quadraginta duo et signati argenti magnum numerum. Comitia inde creandis consulibus habuit L. Veturius Philo; centuriæque omnes ingenti favore P. Scipionem consulem dixerunt : collega additur ei P. Licinius Crassus pontifex maximus. Cæterum comitia majore, quam ulla per id bellum, celebrata frequentia, proditum memoriæ est : convenerant undique non suffragandi modo, sed etiam spectandi causa P. Scipionis : concurrebantque et domum frequentes, et in Capitolium ad immolantem eum, quum centum bubus votis in Hispania Jovi sacrificaret; spondebantque animis, sicut C. Lutatius superius bellum punicum finisset, ita id, quod instaret[5], P. Cornelium finiturum, atque, ut Hispania omni Pœnos expulisset, sic Italia pulsurum esse; Africamque ei, perinde ac debellatum in Italia foret, provinciam destinabant. Prætoria inde comitia habita : creati

auspiciumque conjungendi modo abreptum, utrumque Scipioni tribuisse, qui privatus, nullo dum gesto magistratu, proconsulari imperio extra ordinem dato, in Hispaniam prov. fuerit missus). Ita vero Livius immemor fuisse videtur ejus, quod supra VIII, 26 extr. retulit : nisi forte dixeris, verba *sine magistratu* spectare ad privatos, quibus, nullo antea gesto magistratu curuli, vel potius (vid. XXXI, 20) neque dictatura, neque consulatu, neque prætura (nam ædilem curulem jam fuisse Scipionem, ex XXV, 2 intelligitur), imperium extra ordinem mandatum sit. Conf. tamen Gruch. c. 4, Refutat. ad post. Sigon. disp., qui sententiam Sigonii et Valesii, proconsules et proprætores, sive prorogato ex magistratu imperio, sive ex privatis in provincias missi fuissent, magistratus non fuisse, gravibus impugnat argumentis. Neque etiam intelligi posse monet Duker., quomodo ita multi ex iis triumphare potuerint, quum nemini, qui sine magistratu rem gessisset, triumphus sit concessus. Cæterum in Hispaniam primum proconsules extra ordinem bini solebant mitti (cf. XXII, 22; XXVIII, 38; XXIX, 13, etc.); deinde ab a. U. 555, aucto prætorum numero, duo quotannis prætores in duas Hispanias, citeriorem et ulteriorem. Cf. XXXII, 27, 28, etc. Pigh. Annal. t. II, p. 253, et Appian. Hisp. 37, 38. — *Argenti... quatuordecim*, etc. Libras argenti romanas 14342, id est, marcas nostrates 22409, cum tribus unciis æstimat Creverius. Ed.

5. *Id, quod instaret;* vide ad III, 6, n. 5, et XXX, 10, n. 6.

duo, qui tum ædiles plebis erant, Sp. Lucretius et Cn. Octavius, et ex privatis Cn. Servilius Cæpio et L. Æmilius Papus. Quartodecimo anno punici belli P. Cornelius Scipio et P. Licinius Crassus ut consulatum inierunt, nominatæ consulibus provinciæ sunt, Sicilia Scipioni extra sortem, concedente collega, quia sacrorum cura pontificem maximum in Italia retinebat[6]; Bruttii Crasso. Tum prætoriæ provinciæ in sortem conjectæ[7]: urbana Cn. Servilio obtigit, Ariminum (ita Galliam appellabant[8]) Sp. Lucretio, Sicilia L. Æmilio, Cn. Octavio Sardinia. Senatus in Capitolio habitus. Ibi, referente P. Scipione, senatusconsultum factum est, ut, quos ludos inter seditionem militarem in Hispania vovisset, ex ea pecunia, quam ipse in ærarium detulisset, faceret.

XXXIX. Tum Saguntinorum legatos in senatum introduxit. Ex eis maximus natu : « Etsi nihil ultra ma-
« lorum est, Patres conscripti, quam quod passi sumus,
« ut ad ultimum fidem vobis præstaremus, tamen ea
« vestra merita imperatorumque vestrorum erga nos
« fuerunt, ut nos cladium nostrarum non pœniteat.
« Bellum propter nos suscepistis : susceptum quar-
« tumdecimum annum tam pertinaciter geritis, ut
« sæpe ad ultimum discrimen et ipsi veneritis, et po-
« pulum carthaginiensem adduxeritis. Quum in Italia
« tam atrox bellum et Hannibalem hostem haberetis,
« consules cum exercitu in Hispaniam[1], velut ad col-

6. *Sacrorum cura pontificem max. in Italia retinebat;* conf. c. 44; Liv. Epit. LIX; ad Tac. Ann. III, 58, n. 3; Guther. de vet. jur. Pontif. I, 13; Bosius de Pontif. max. c. 6, et Vales. ad Dion. in Exc. Peiresc. p. 605.

7. *Provinciæ in sortem conjectæ;* vide ad III, 2, n. 1. — *Urbana* provincia (vide ad II, 40, n. 9) *Cn. Servilio obtigit*, et haud dubie etiam peregrina; vide ad XXV, 41, n. 8.

8. *Ariminum (ita Galliam appellabant);* vide ad XXIV, 44, n. 2.

Cap. XXXIX. 1. *Consules cum exercitu in Hispaniam misistis*, propr. consularem et proconsulem, *Cn. Cor-*

« ligendas reliquias naufragii nostri, misistis. P. et « Cn. Cornelii, ex quo in provinciam venerunt, nullo « tempore destiterunt, quæ nobis secunda, quæque « adversa hostibus nostris essent, facere. Jam omnium « primum oppidum nobis restituerunt [2] : per omnem « Hispaniam cives nostros venumdatos, dimissis, qui « conquirerent, ex servitute in libertatem restitue- « runt. Quum jam prope esset, ut optabilem ex miser- « rima fortunam haberemus, P. et Cn. Cornelii impe- « ratores vestri luctuosius nobis quoque, quam vobis, « perierunt. Tum vero ad hoc retracti [3] ex distantibus « locis in sedem antiquam videbamur, ut iterum peri- « remus, et alterum excidium patriæ videremus : nec « ad perniciem nostram carthaginiensi utique aut « duce aut exercitu opus esse; ab Turdulis [4] nos ve- « terrimis hostibus, qui prioris quoque excidii causa « nobis fuerunt, exstingui posse : quum ex insperato

nelium Scipionem, qui a. U. 530 consul fuerat, et *P. Cornelium* fratrem, qui prorogato post consulatum imperio, a. U. 535 in Hispaniam missus est; vid. XXII, 22 pr. Sed *consules* passim dicuntur et proconsules (ut *prætor* pro proprætore XL, 19, n. 8; XL, 34, n. 1, et al.), et consulares vel qui ante aliquot annos consules fuere. Cf. VI, 42, n. 7; XXVI, 33, n. 5, et VI, 31, 49; XXXVIII, 35, n. 3; Ernesti clav. Cic. v. *Prætor;* et Periz. Anim. hist. c. 7, p. 305 sq. qui etiam docet, *consulis* voce in titulis non semper designari annum, quo gesta sit res, in titulis memorata, sed nonnunquam hoc summi magistratus vocabulum in honorem alicujus adjici, etiamsi res, cujus mentio fiat, vel ante vel post consulatum ejus acciderit: unde Livium in hac re hæsitasse miratur IV, 20, et XXXVIII, 35. *Consulem* e quibusdam MSS recepit Drak. ut *consul* sit P. Corn. Scipio, qui in Hispaniam missus est, sed certior factus de Hannibalis adventu, fratre ibi relicto, in Italiam rediit. Cf. XXI, 17, 22. Sed quæ proxime dicuntur, ad *P. et Cn. Cornelios* spectant.

2. *Oppidum nobis restituerunt;* vid. XXIV, 42.—*Luctuosius nobis quoque,* adeo: cf. seqq. Quidam MSS *prope.*— Præstare *quoque* judicat Creverius, nec quidquam in eo nimium, aut in majus auctum esse. Propior sane et præsentior pernicies Saguntinis, quam Romanis, interitu Scipionum imminebat. Ed.

3. *Ad hoc retracti,* etc. vide ad I, 34, n. 5.

4. *Ab Turdulis nos* (al. *ab Turdetanis*) *veterrimis hostibus,* etc. vide ad XXI, 6, n. 1, *opus esse* et *exstingui posse,* sc. putabamus aut simile

« repente misistis nobis P. hunc Scipionem; quem, « fortunatissimi omnium Saguntinorum videmur, quia « consulem declaratum videmus, ac vidisse nos civi- « bus nostris renuntiaturi sumus, spem omnem salu- « temque nostram : qui, quum plurimas hostium ve- « strorum cepisset in Hispania urbes, ubique ex « captorum numero excretos Saguntinos in patriam « remisit; postremo Turdetaniam, adeo infestam no- « bis, ut illa gente incolumi stare Saguntum non « posset, ita bello afflixit, ut non modo nobis (absit « verbo invidia), ne posteris quidem timenda nostris « esset[5]. Deletam urbem cernimus eorum, quorum in « gratiam Saguntum deleverat Hannibal : vectigal ex « agro eorum capimus, quod nobis non fructu jucun- « dius est, quam ultione. Ob hæc, quibus majora ne- « que sperare, neque optare ab diis immortalibus « poteramus, gratias actum nos decem legatos sagun- « tinus senatus populusque ad vos misit; simul gra- « tulatum, quod ita res hos annos in Hispania atque « Italia gessistis, ut Hispaniam non Ibero amne tenus, « sed qua terrarum ultimas[6] finit Oceanus, domitam « armis habeatis; Italiæ, nisi quatenus vallum castro- « rum cingit, nihil reliqueritis Pœno. Jovi optimo ma- « ximo, præsidi capitolinæ arcis, non grates tantum « ob hæc agere jussi sumus, sed donum hoc etiam, « si vos permitteretis, coronam auream in Capitolium « victoriæ ergo ferre. Id uti permittatis, quæsumus; « utique, si vobis ita videtur[7], quæ nobis imperatores

verbum, quod latet in *videbamur*. Post *posse* minor distinctio aptior est quam maxima.

5. *Ut non modo nobis (absit verbo invidia), ne posteris quidem timenda nostris esset;* vide ad librum III, cap. 71, n. 4, et lib. IX, cap. 19, n. 7.

6. *Terrarum ultimas;* vide ad XXX, 30, n. 2. Mox pro *quatenus* forte leg. *quantum ejus.*

7. *Si vobis ita videtur;* al. *videretur*, prob. Gron.

« vestri commoda tribuerunt, ea rata atque perpetua « auctoritate vestra faciatis. » Senatus legatis Saguntinis respondit, *Et dirutum et restitutum Saguntum fidei socialis utrimque servatæ documentum omnibus gentibus fore. Suos imperatores recte et ordine et ex voluntate senatus fecisse*[8], *quod Saguntum restituerint, civesque saguntinos servitio exemerint : quæque alia eis benigne fecerint, ea senatum ita voluisse fieri. Donum permittere ut in Capitolio ponerent.* Locus inde lautiaque legatis præberi jussa, et muneris ergo in singulos dari ne minus dena millia æris[9]. Legationes deinde cæteræ in senatum introductæ auditæque, et petentibus Saguntinis, ut, quatenus tuto possent, Italiam spectatum irent, duces dati, literæque per oppida missæ, ut Hispanos comiter acciperent.

8. *Recte et ordine et ex voluntate senatus fecisse;* vide ad XXIV, 31, n. 3. — *Locus inde lautiaque legatis præberi jussa*, ut in vet. senatusconsulto ap. Gruter. IↃIII, et ap. Ursin. ad Polyb. XXV, 6, 6, *manus eis ex formula locum lautiaque*, etc. et in vers. gr. ξένιά τε αὐτοῖς κατὰ τὸ διάταγμα καὶ τόπον παρεχήντε. Eodem sensu, ni fallor, Livius, XLII, 6, dixit *ædes liberæ hospitio datæ sumptusque decretus legato Antiochi, donec in Italia esset;* Polyb. XXXII, 19, 2, κατάλυμα δοθῆναι καὶ παροχήν, et Valer. Max. V, 1, 1, *Prusiæ domus quam optima Romæ conducta et copiæ publicæ præbitæ.* Hinc probabile fit, *lautia* non modo supellectilem fuisse (Gloss. ἐνδομενίαν), sed etiam, quæ ad victum pertinerent. De *locis*, vide ad XXIV, 7, n. 3. *Loca lautiaque* memorantur etiam XXX, 17; XXXIII, 24; XXXV, 23; XLII, 6, 26; XLIV, 16; XLV, 20. Donatus ad XXX, 17, intell. *loca* in theatris et munera *lauta* seu lautitia, ad victum spectantia. Livium Andronicum *dautia* dixisse pro *lautia*, et hanc vocem esse gr. δώτιον; ut vero distingueretur a *lotium*, *au* pro *o* substitutum, monet Gron. ad XLI, 10. Festus : *Dautia dicebant Veteres, quæ Lautia dicimus : dabantur legatis hospitii gratia.* Conf. Salmas. ad Solin. pag. 612; Dodwell. Append. Præl. Camd. pag. 688; Beroaldi Obss. pag. 224; Bergeri Diss. de Lautiis, Witemb. 1711, et inpr. Duk. ad h. l.

9. *Muneris ergo* (vide ad VI, 27, n. 1) *in singulos dari ne* (non) *minus dena millia æris;* cf. XXX, 17 extr. et Periz. Diss. de Ære gravi, § 25. Verba *ergo in singulos dari* ab optimis MSS absunt, et interpolationem redolent, ut et illa *in singulos* XXX, 17. — *Dena millia æris*, id est, argenti marcas nostrates 15, cum unciis quinque. Ed.

Tum de republica, de exercitibus scribendis, de provinciis[10] relatum.

XL. Quum Africam novam provinciam extra sortem P. Scipioni destinari homines fama ferrent, et ipse, nulla jam modica gloria contentus, non ad gerendum modo bellum, sed ad finiendum, diceret se consulem declaratum esse, neque aliter id fieri posse, quam si ipse in Africam exercitum transportaret, et, acturum se id per populum, aperte ferret, si senatus adversaretur, id consilium haudquaquam primoribus Patrum quum placeret[1], cæterique per metum aut ambitionem mussarent, Q. Fabius Maximus rogatus sententiam, « Scio, inquit, multis vestrum videri, Pa-
« tres conscripti, rem actam hodierno die agi[2], et fru-
« stra habiturum orationem, qui, tanquam de integra
« re, de Africa provincia sententiam dixerit. Ego autem
« primum illud ignoro, quemadmodum jam certa pro-
« vincia Africa consulis, viri fortis ac strenui[3], sit,
« quam nec senatus censuit in hunc annum provin-
« ciam esse, nec populus jussit. Deinde, si est, con-

10. *De provinciis relatum*, scil. a consulibus ad senatum. Verba *de provinciis* videri possunt parum apta aut perspicua. Nam *provinciæ* jam decretæ erant (v. cap. 38), et prætoriarum in reliqua hujus libri parte nulla amplius fuit mentio. Neque in consularibus quidquam mutatum, nisi quod Scipioni permissum est, ut e Sicilia provincia trajiceret in Africam, si id e republica esse censeret; v. cap. 45. Id vero Scipioni in votis erat, eamque ob causam *de provinciis* iterum ad senatum retulisse videtur. Cf. cap. 40.

Cap. XL. 1. *Id consilium haudquaquam primoribus Patrum quum placeret* optimi MSS. *Idque consilium* h. pr. *Pat. placeret* edd. antt. Etsi pendeat oratio ab illo *Quum Africam*, etc., tamen id tanto ante præcessit, ut non ineleganter illud *quum* repetatur; Gron. Cf. ad XXII, 11, n. 2. — *Mussarent*, ut XXXIII, 31 pr. de indignatione tacita; Ern.

2. *Rem actam hodierno die agi*, h. e. tractari rem, quæ non amplius *integra* sit, sed jam *transacta*, dijudicata, constituta (cf. ad III, 5, n. 1); vel fieri quasi, quod jam factum sit, adeoque *frustra* operam impendi, ut *actum* seu *acta agere*: nam *Africa provincia* a populo jam destinata est Scipioni.

3. *Viri fortis ac strenui*; vid. Tac.

« sulem peccare arbitror, qui, de re transacta si-
« mulando se referre, senatum ludibrio habet, non
« senatorem modo[4], qui, de quo consulitur, suo loco
« dicit sententiam. Atque ego certum habeo, dissen-
« tienti mihi ab ista festinatione in Africam trajiciendi
« duarum rerum subeundam opinionem esse; unius,
« insitæ ingenio meo cunctationis; quam metum pi-
« gritiamque homines adolescentes sane appellent,
« dum ne pœniteat[5], adhuc aliorum speciosiora primo
« adspectu consilia semper visa, mea usu meliora:
« alterius, obtrectationis atque invidiæ adversus cre-
« scentem in dies gloriam fortissimi consulis. A qua
« suspicione si me neque vita acta et mores mei, ne-
« que dictatura cum quinque consulatibus[6] tantum-
« que gloriæ belli domique partæ vindicat, ut propius
« fastidium ejus sim[7], quam desiderium, ætas saltem
« liberet. Quæ enim mihi æmulatio cum eo esse potest,
« qui ne filio quidem meo æqualis sit? Me dictatorem,
« quum vigerem adhuc viribus, et in cursu maximarum
« rerum essem[8], recusantem nemo aut in senatu, aut
« ad populum audivit, quominus insectanti me magi-

Ann. III, 53, n. 2. — *De re transacta*, tanquam de re transigenda, quæ vere jam transacta sit; Doer. Recte, si Livius dixisset *de re t. referendo*, non *de re t. simulando se referre*. Forte leg. *de re haud acta*, aut *de re nondum acta*. Cf. not. 2. — Walchius, Emend. pag. 42, postquam dixit sensum requirere vel *de re nondum transacta*, vel *dissimulando* pro *simulando*, leni mutatione sententiæ sanitatem reddere tentat, pro *qui de re*, legens *quippe re*. Sed vulgatam tuetur Büttner. Observ. p. 77 sq. sensumque ita exponit: « Qui simulando se referre, i. e. senatum consulere de re, quæ jam transacta est, eum ludibrio habet ». Ed.

4. *Non senatorem modo*, non eum, qui, ut ego, senator tantum sit. — *Suo loco*, ordine. — *Subeundam opinionem esse*, judicium, suspicionem sustinendam esse. Cf. ad XLV, 38, n. 2.

5. *Dum ne pœniteat* me et eos; vide ad II, 54, n. 16, et III, 21, n. 6.

6. *Dictatura cum quinque consulatibus*; vide ad XXII, 9, n. 5.

7. *Propius fastidium ejus sim*; vid. II, 48, n. 5.

8. *In cursu maximarum rerum essem*, ut al. *in cursu honorum, gloriæ*, etc. forma loquendi ducta a stadio vel navigatione, et ad continuam seriem aut celeritatem translata. Cf. Ernesti clav. Cic. — *Insectanti me*

« stro equitum, quod fando nunquam ante auditum « erat, imperium mecum æquaretur. Rebus, quam « verbis, assequi malui, ut, qui aliorum judicio mihi « comparatus erat, sua mox confessione me sibi præ- « ferret : nedum ego, perfunctus honoribus, certa- « mina mihi atque æmulationes cum adolescente flo- « rentissimo proponam; videlicet ut mihi, jam vivendo, « non solum rebus gerendis fesso, si huic negata fue- « rit, Africa provincia decernatur. Cum ea gloria, quæ « parta est, vivendum atque moriendum est. Vincere « ego prohibui Hannibalem, ut a vobis, quorum vi- « gent nunc vires, etiam vinci posset.

XLI. « Illud te mihi ignoscere, P. Corneli, æquum « erit, si, quum in me ipso nunquam pluris famam « hominum, quam rempublicam, fecerim, ne tuam « quidem gloriam [bono publico præponam[1]]. Quan- « quam, si aut bellum nullum in Italia, aut is hostis « esset, ex quo victo nihil gloriæ quæreretur, qui te « in Italia retineret, etsi id bono publico faceret, simul « cum bello materiam gloriæ tuæ isse ereptum videri « posset. Quum vero Hannibal hostis incolumi exer- « citu quartumdecimum annum Italiam obsideat, pœ- « nitebit te, P. Corneli, gloriæ tuæ[2], si hostem eum, « qui tot funerum, tot cladium nobis causa fuit, tu « consul Italia expuleris, et, sicut penes C. Lutatium « prioris punici perpetrati belli titulus fuit, ita penes « te hujus fuerit? nisi aut Hamilcar Hannibali dux est « præferendus, aut illud bellum huic, aut victoria illa « major clariorque, quam hæc (modo contingat, ut

magistro equitum, etc. v. XXII, 24 sq.

Cap. XLI. 1. *Bono publico præponam:* verba hæc absunt ab optimis MSS, prob. Gron. ut per ἀποσιώπησιν intelligatur *pluris quam remp. faciam*, aut legatur *ne tua quidem in gloria*, scilic. pluris famam hominum, quam remp., faciam.

2. *Pœnitebit te gloriæ tuæ;* vide ad II, 54, n. 16.

« te consule vincamus), futura est. Ab Drepanis atque « Eryce[3] detraxisse Hamilcarem, quam Italia expulisse « Pœnos atque Hannibalem, malis? Ne tu quidem, etsi « magis partam, quam speratam, gloriam amplecteris, « Hispania potius, quam Italia, bello liberata gloria- « tus fueris. Nondum is est Hannibal[4], quem non magis « timuisse videatur, quam contempsisse, qui aliud « bellum maluerit. Quin igitur ad hoc accingeris, nec « per istos circuitus, ut, quum in Africam trajeceris, « sequuturum te illuc Hannibalem speres potius, quam « recto hinc itinere, ubi Hannibal est, eo bellum in- « tendis? Egregiam istam palmam belli punici patrati « petis? Hoc et natura prius est, tua quum defenderis, « aliena ire oppugnatum. Pax ante in Italia, quam « bellum in Africa sit; et nobis prius decedat timor, « quam ultro aliis inferatur. Si utrumque tuo ductu « auspicioque fieri potest, Hannibale hic victo, illic « Carthaginem expugna. Si altera utra victoria novis « consulibus relinquenda est, prior quum major cla- « riorque, tum causa etiam insequentis fuerit : nam « nunc quidem, præterquam quod et in Italia et in « Africa duos diversos exercitus alere ærarium non « potest, præterquam quod, unde classes[5] tueamur, « unde commeatibus præbendis sufficiamus, nihil re- « liqui est, quid? periculi tandem quantum adeatur, « quem fallit? P. Licinius in Italia, P. Scipio bellum « in Africa geret. Quid? si (quod omnes dii omen aver- « tant, et dicere etiam reformidat animus; sed, quæ

3. *Ab Drepanis atque Eryce*, etc. vide ad XXI, 10, n. 8.

4. *Nondum is*, tam spernendus, *est Hannibal, quem non*, ut non eum, *magis*, etc. Mox Doer. ita interpungit verba : *Quin* (quidni) *igitur ad hoc* (bellum cum Hannibale) *accingeris, nec per istos circuitus* (*ut, quum... speres*) *potius, quam recto hinc itinere, ubi H. est, eo bellum intendis?* (vide ad XXI, 6, n. 5) ut *nec potius... quam* dicta sint pro : et minime, sed.

5. *Unde classes tueamur ;* vide ad XXXIV, 6, n. 6.

« acciderunt, accidere possunt) et victor Hannibal ire « ad Urbem pergat; tum demum te consulem ex Africa, « sicut Q. Fulvium a Capua[6], arcessemus? Quid, quod « in Africa quoque Mars communis belli erit? Domus « tibi tua, pater patruusque, intra triginta dies cum « exercitibus cæsi, documento sint; ubi per aliquot « annos, maximis rebus terra marique gerendis, am- « plissimum nomen apud exteras gentes populi romani « vestræque familiæ fecerant. Dies me deficiat, si reges « imperatoresque, temere in hostium terras transgres- « sos cum maximis cladibus suis exercituumque suo- « rum, numerare velim. Athenienses, prudentissima « civitas, bello domi relicto[7], auctore æque impigro « ac nobili juvene, magna classe in Siciliam trans- « missa, una navali pugna florentem rempublicam « suam in perpetuum afflixerunt.

XLII. « Externa et nimis antiqua repeto. Africa « eadem ista, et M. Atilius, insigne utriusque fortunæ « exemplum[1], nobis documento sint. Næ tibi, P. Cor- « neli, quum ex alto Africam conspexeris, ludus et « jocus fuisse Hispaniæ tuæ videbuntur[2]. Quid enim « simile? pacato mari præter oram Italiæ Galliæque ve-

6. *Sicut Q. Fulvium a Capua;* vid. XXVI, 8. — *Mars communis belli erit;* vide ad V, 12, n. 1.

7. *Athenienses, prudentissima civitas, bello domi relicto,* Peloponnesio adhuc flagrante, quo ipsi plurimum affligebantur, *auctore æque impigro ac nobili juvene,* Alcibiade, Syracusanis terra marique bellum intulere, ducibus Demosthene, Nicia ac Lamacho, et a Gylippo Spartano bis victi omnes fere naves hominesque amisere; vid. Nep. Alcib. 3; Thucyd. VI, 15 sq. VII, 2 sq. Justin. IV, 3-5; Diodor. XIII, 7 sq. Cic. Verr. V, 37; Plut. in Nicia. — Vide quoque eximiæ eruditionis magnique ingenii opus nostratis *Barthélemi, Voyage d'Anacharsis, Introduction,* part. II, sect. 3. Ed.

Cap. XLII. 1. *M. Atilius* Regulus, *insigne utriusque fortunæ exemplum;* conf. ad Sil. VI, 122-550; Polyb. I, 26-34, al.

2. *Ludus et jocus fuisse Hispaniæ tuæ videbuntur,* h. e. earum expugnatio facillima, res nullo labore et quasi a ludente (al. *per ludum* et mox *per summum otium*) perficienda *(nur ein Spass)*, si cum Africæ expugnatione comparetur. Cf. Schelleri Lex.

« ctus Emporias, in urbem sociorum, classem appu-
« listi : expositos milites, per tutissima omnia, ad so-
« cios et amicos populi romani Tarraconem duxisti :
« ab Tarracone deinde iter per præsidia[3] romana :
« circa Iberum exercitus patris patruique tui, post
« amissos imperatores ferociores et calamitate ipsa :
« dux tumultuarius quidem ille L. Marcius, et militari
« suffragio ad tempus lectus, cæterum, si nobilitas
« ac justi honores adornarent, claris imperatoribus
« qualibet arte belli par : oppugnata per summum
« otium Carthago, nullo trium punicorum exercituum
« socios defendente. Cætera, neque ea elevo, nullo
« tamen modo africo bello comparanda : ubi non por-
« tus ullus classi nostræ apertus, non ager pacatus,
« non civitas socia, non rex amicus, non consistendi
« usquam locus, non procedendi : quacumque circum-
« spexeris, hostilia omnia atque infesta. An Syphaci
« Numidisque credis? satis sit semel creditum : non
« semper temeritas est felix[4]; et fraus fidem[5] in parvis
« sibi præstruit, ut, quum operæ pretium sit, cum
« mercede magna fallat. Non hostes patrem patruum-
« que tuum armis prius, quam Celtiberi socii fraude
« circumvenerunt : nec tibi ipsi a Magone et Hasdru-
« bale, hostium ducibus, quantum ab Indibili et Man-
« donio in fidem acceptis, periculi fuit. Numidis tu
« credere potes, defectionem militum tuorum exper-
« tus? et Syphax et Masinissa se, quam Carthaginien-
« ses, malunt potentes in Africa esse ; Carthaginienses,

3. *Per præsidia romana ;* vide ad IX, 31, n. 1. — *Dux tumultuarius L. Marcius*, etc. vide ad I, 37, n. 4, et cf. XXV, 37 sq. XXVI, 2, 19 al. — *Justi honores*, gradatim ei, vel solenni more delati; Doer. Nonne potius debiti ac meriti?

4. *Non semper temeritas est felix*, ut illa cap. 17, 18.

5. *Fraus fidem in parvis*, parvi momenti rebus, *sibi præstruit*, præparat, ante parat. *Fraus*, fraudulenti homines, quales sunt Syphax et Numidæ; Drak.

« quam quemquam alium. Nunc illos æmulatio[6] inter « sese et omnes causæ certaminum acuunt, quia pro- « cul externus metus est. Ostende romana arma, exer- « citum alienigenam; velut ad commune restinguen- « dum incendium concurrent. Aliter iidem illi Carthagi- « nienses Hispaniam defenderunt; aliter mœnia patriæ, « templa deum, aras et focos, defendent[7], quum eun- « tes in prælium pavida prosequetur conjux, et parvi « liberi occursabunt. Quid porro? si satis confisi Car- « thaginienses consensu Africæ, fide sociorum regum, « mœnibus suis, quum tuo exercitusque tui præsidio « nudatam Italiam viderint, ipsi ultro novum exerci- « tum in Italiam aut ex Africa miserint; aut Magonem, « quem, a Baliaribus classe transmissa, jam præter oram « Ligurum Alpinorum vectari constat, Hannibali se « conjungere jusserint? nempe in eodem terrore eri- « mus, in quo nuper fuimus, quum Hasdrubal in Ita- « liam transcendit : quem tu, qui non solum Carthagi- « nem, sed omnem Africam, exercitu tuo es clausurus, « e manibus tuis in Italiam emisisti. Victum a te dices : « eo quidem minus vellem, et id tua, non reipublicæ « solum, causa, iter datum victo in Italiam esse. Pa- « tere, nos omnia, quæ prospera tibi ac populi romani « imperio evenere, tuo consilio assignare; adversa ca- « sibus incertis belli et fortunæ delegare[8]. Quo melior « fortiorque es, eo magis talem præsidem sibi patria « atque universa Italia retinet. Non potes ne ipse qui- « dem dissimulare, ubi Hannibal sit, ibi caput[9] atque

6. *Nunc illos æmulatio... acuunt,* exercent, occupant, incitant. — *Externus metus;* vide ad I, 57, n. 7. — *Velut ad commune restinguendum i. c.* conf. Cic. Phil. X, 10.

7. *Aras et focos defendent;* vide ad V, 30, n. 2. Ne idem facturi sint Britanni, nostra ætate Franci verentur.

8. *Adversa casibus... delegare;* vide ad VI, 28, n. 4.

9. *Caput atque arcem belli;* vid. I, 55, n. 6; IV, 31, n. 8, et VI, 14, n. 9.

« arcem hujus belli esse; quippe qui præ te feras,
« eam tibi causam trajiciendi in Africam esse, ut Han-
« nibalem eo trahas : sive igitur hic, sive illic, cum
« Hannibale est tibi futura res. Utrum ergo tandem
« firmior eris in Africa solus, an hic, tuo collegæque
« tui exercitu conjuncto? Ne Claudius quidem et Livius
« consules[10] tam recenti exemplo, quantum id inter-
« sit, documento sunt? Quid? Hannibalem utrum tan-
« dem extremus angulus agri bruttii, frustra jam diu
« poscentem ab domo auxilia, an propinqua Carthago
« et tota socia Africa potentiorem armis virisque fa-
« ciet? Quod istud consilium est, ibi malle[11] decernere,
« ubi tuæ dimidio minores copiæ sint, hostium multo
« majores, quam ubi duobus exercitibus adversus
« unum, tot prœliis et tam diuturna et gravi militia
« fessum, pugnandum sit? Quam compar consilium
« tuum parentis tui consilio sit, reputa. Ille, consul
« profectus in Hispaniam, ut Hannibali ab Alpibus de-
« scendenti occurreret, in Italiam ex provincia rediit :
« tu, quum Hannibal in Italia sit, relinquere Italiam
« paras; non quia reipublicæ id utile, sed quia tibi
« amplum et gloriosum[12] censes esse : sicut quum,
« provincia et exercitu relicto, sine lege, sine senatus-
« consulto, duabus navibus populi romani imperator
« fortunam publicam et majestatem imperii, quæ tum
« in tuo capite periclitabantur, commisisti. Ego P. Cor-
« nelium, Patres conscripti, reipublicæ nobisque, non

10. *Claudius et Livius consules*, qui Hasdrubalem vicere *exercitibus conjunctis*; vide ad XXVII, 43-50. — *Quantum id intersit* (vide ad VIII, 39, n. 3), sc. conjunctis viribus bellum gerere.

11. *Ibi malle decernere;* vide ad XXI, 41, n. 2.

12. *Tibi amplum et gloriosum;* vide ad II, 9, n. 2. — *Sicut quum provincia* tua, Hispania, *et exercitu relicto*, etc. vid. cap. 17, 18. — *Populi romani imperator;* vid. Gron. Obss. IV, 14, p. 229. — *Commisisti*, scil. in periculum (quod latet in verbo præc. *periclitabantur*), ut *committere*

« sibi ipsi privatim creatum consulem existimo; exer-
« citusque ad custodiam Urbis atque Italiæ scriptos
« esse, non quos regio more per superbiam consules,
« quo terrarum velint, trajiciant. »

XLIII. Quum oratione ad tempus parata[1] Fabius, tum auctoritate et inveterata prudentiæ fama, magnam partem senatus et seniores maxime movisset, plures-que consilium senis, quam animum adolescentis fero-cem, laudarent, Scipio ita loquutus fertur : « Et ipse « Q. Fabius principio orationis, Patres conscripti, com-« memoravit, in sententia sua posse obtrectationem « suspectam esse. Cujus ego rei non tam ipse[2] ausim « tantum virum insimulare, quam ea suspicio, vitio « orationis, an rei, haud sane purgata est. Sic enim « honores suos et famam rerum gestarum extulit ver-« bis, ad exstinguendum invidiæ crimen, tanquam mihi « ab infimo quoque periculum sit, ne mecum æmule-« tur; et non ab eo, qui, quia super cæteros excellat, « quo me quoque niti non dissimulo, me sibi æquari « nolit. Sic senem se perfunctum honoribus[3], et me « infra ætatem filii etiam sui posuit; tanquam non lon-« gius, quam quantum vitæ humanæ spatium est, cu-« piditas gloriæ extendatur, maximaque pars ejus in « memoriam ac posteritatem promineat. Maximo cui-« que id accidere animo certum habeo, ut se non cum

in discrimen et *in casum ancipitis eventus* vel *in aleam casus* IV, 27, n. 8 et 32; XXXIII, 7; XL, 21, et *in aleam* (vide ad I, 23, n. 10) *dare* XLII, 50 et 59.

Cap. XLIII. 1. *Quum oratione ad tempus* et rem *parata*, attemperata, accommodata, *tum*, et præterea, *auctoritate*, etc.

2. *Cujus ego rei non tam*, tantopere, *ipse ausim...purgata est*, eleganter pro: magis ille criminis hujus reum se facit, quam ego illum accusare audeam; Gron. qui simul monet, male et contra libros MSS post *quam* inculcari *quod* h. l. et XXVI, 6, n. 3, et apud Cic. p. red. in sen. c. 26; *vitio* utrum *orationis, an rei*, nescio, haud dixerim.

3. *Senem se perfunctum honoribus*, recte, opinor, ut cap. 40 extr. etsi τὸ *honoribus* plerique MSS ignorant.

« præsentibus modo, sed cum omnis ævi claris viris,
« comparent. Equidem haud dissimulo, me tuas, Q. Fa-
« bi, laudes non assequi solum velle, sed (bona venia
« tua dixerim), si possim, etiam exsuperare. Illud nec
« tibi in me, neu mihi in minoribus[4] natu animi sit, ut
« nolimus, quemquam nostri similem evadere civem:
« id enim non eorum modo, quibus inviderimus, sed
« reipublicæ et pæne omnis generis humani detrimen-
« tum sit. Commemoravit, quantum essem periculi
« aditurus, si in Africam trajicerem; ut meam quoque,
« non solum reipublicæ et exercitus, vicem videretur
« sollicitus[5]. Unde hæc repente cura de me exorta?
« quum pater patruusque meus interfecti, quum duo
« exercitus eorum prope occidione occisi essent, quum
« amissæ Hispaniæ, quum quatuor exercitus Pœnorum
« quatuorque duces omnia metu armisque tenerent,
« quum quæsitus ad id bellum imperator nemo se
« ostenderet, præter me, nemo profiteri nomen ausus
« esset, quum mihi quatuor et viginti annos nato de-
« tulisset imperium populus romanus, quid ita tum
« nemo ætatem meam, vim hostium, difficultatem
« belli, patris patruique recentem cladem commemo-
« rabat? Utrum major aliqua nunc in Africa calamitas
« accepta est, quam tunc in Hispania erat? an majores
« nunc sunt exercitus in Africa, duces plures melio-
« resque, quam tunc in Hispania fuerunt? an ætas
« mea tunc maturior bello gerendo fuit, quam nunc
« est? an cum carthaginiensi hoste in Hispania, quam
« in Africa, bellum geri aptius est? Facile est, post

4. *Neu mihi in minoribus*, minores, *natu illud animi sit;* vide ad VI, 22, n. 1, et Drak. ad h. l. *Neu* vero pro *nec*, ut passim. Conf. II, 15, et Gron. ad Sen. Nat. Quæst. 4 præfat.

5. *Meam...vicem videretur sollicitus;* vide ad I, 25, n. 5. — *Quatuor exercitus Pœnorum quatuorque duces;* vide supra ad librum X, cap. 25, not. 9.

« fusos fugatosque quatuor exercitus punicos, post tot « urbes vi captas aut metu subactas in ditionem, post « perdomita omnia usque ad Oceanum, tot regulos, « tot sævas gentes, post receptam totam Hispaniam, « ita ut vestigium nullum belli reliquum sit, elevare « meas res gestas: tam, hercule, quam, si victor ex Africa « redierim, ea ipsa elevare, quæ nunc, retinendi mei « causa, ut terribilia eadem videantur, verbis extol- « luntur. Negat aditum esse in Africam, negat ullos « patere portus. M. Atilium captum in Africa comme- « morat; tanquam M. Atilius[6] primo accessu ad Afri- « cam offenderit: neque recordatur, illi ipsi tam infe- « lici imperatori patuisse tamen portus Africæ, et res « egregias primo anno gessisse, et, quantum ad car- « thaginienses duces attinet, invictum ad ultimum per- « mansisse. Nihil igitur me isto tu exemplo terrueris: « si hoc bello, non priore, si nuper, et non annis ante « quinquaginta[7], ista clades accepta foret, qui ego « minus in Africam, Regulo capto, quam, Scipionibus « occisis, in Hispaniam trajicerem? Nec felicius Xan- « thippum Lacedæmonium[8] Carthagini, quam me pa- « triæ meæ sinerem natum esse; cresceretque mihi « ex eo ipso fiducia, quod possit in hominis unius vir- « tute tantum momenti esse. At etiam Athenienses au-

6. *Tanquam M. Atilius* (vide ad cap. 42 pr.) *primo accessu ad Africam offenderit*, infeliciter rem gesserit, ut XXXV, 26. Cf. Ernesti clav. Cic. et Manut. ad Cic. Ep.V, 14. — *Illi ipsi tam i. imperatori patuisse tamen portus Africæ, et res egregias primo anno gessisse*, scil. eum. Cf. ad XXXV, 14, n. 4. — Hoc loquendi modo ita offensum esse Gronovium, monet Crev. ut relicta hac lectione, quæ Puteani aliorumque codd. est, languidiorem illam præoptasse visus sit, *res gestas ab eo egregias primo anno*, quam quidem Clericus etiam in contextum immiserat. Ed.

7. *Annis ante quinquaginta* pro *quadraginta* edidi auctore Perizon. qui recte jam monuit, M. Atilium Regulum cos. II fuisse a. U. 496, et anno seq. captum. — *Qui*, cur.

8. *Xanthippum Lacedæmonium*, etc. cf. Polyb. I, 32-36, et Sil. II, 305, 434; IV, 357 sq. VI, 301 sq. 680 sq.

« diendi[9] sunt, temere in Siciliam, omisso domi bello,
« transgressi. Cur ergo, quoniam græcas fabulas enar-
« rare vacat, non Agathoclem potius, syracusanum
« regem, quum diu Sicilia punico bello ureretur,
« transgressum in hanc eamdem Africam, avertisse eo
« bellum, unde venerat, refers?

XLIV. « Sed quid, ultro metum inferre hosti, et ab
« se remoto periculo alium in discrimen adducere,
« quale sit, veteribus externisque exemplis admonere
« opus est? Majus præsentiusve ullum exemplum esse,
« quam Hannibal, potest[1]? multum interest, alienos
« populere fines, an tuos uri, exscindi, videas: plus
« animi est inferenti periculum, quam propulsanti. Ad
« hoc major[2] ignotarum rerum est terror: bona ma-
« laque hostium ex propinquo ingressus fines adspi-
« cias. Non speraverat Hannibal fore, ut tot in Italia
« populi ad se deficerent, quot defecerunt post can-
« nensem cladem. Quanto minus quidquam in Africa
« Carthaginiensibus firmum ac stabile sit, infidis so-
« ciis, gravibus ac superbis dominis? Ad hoc nos[3], etiam
« deserti ab sociis, viribus nostris, milite romano, ste-
« timus: carthaginiensi nihil civilis roboris est. Mer-
« cede paratos milites habent, Afros Numidasque,
« levissima fidei mutandæ ingenia. Hic modo nihil

9. *At etiam Athen. audiendi*, etc. conf. ad cap. 41, n. 6. — *Græcas fabulas;* vide ad I, 11, n. 5; XXVI, 31, n. 1, et ad Juvenal. X, 174 sq. — *Agathoclem potius, syracusanum regem,* qui Pœnos expulit *Sicilia* et in *Africa* aliquoties devicit; vid. Diodor. XIX et XX; Polyb. VIII, 12; IX, 23; XII, 15; XV, 35; Justin. XXII, 1 sq. XXIII, 1 sq.

Cap. XLIV. 1. *Majus præsentiusve ullum exemplum e. q. H. potest:* verba hæc absunt ab optimis MSS. — In solo Victor. codice occurrunt, teste Crev. nostri quoque omnes ignorant, magno Liviani contextus damno. Ed.

2. *Ad hoc major,* etc. vide ad II, 23, n. 3.

3. *Ad hoc nos... stetimus;* vide ad II, 23, n. 3, et II, 29, n. 7. — *Carthaginiensi* (sc. populo) omnes MSS. *Carthagine* conj. Rhen. et *Carthagini* Gron. Sed vide ad III, 2, n. 3. — *Nihil civilis roboris,* ut gr. πολιτικὴ

« moræ sit, una et trajecisse me audietis, et ardere « bello Africam, et molientem hinc Hannibalem[4], et « obsideri Carthaginem. Lætiores et frequentiores ex « Africa exspectate nuntios, quam ex Hispania acci- « piebatis : has mihi spes subjicit fortuna populi ro- « mani, dii fœderis ab hoste violati testes, Syphax et « Masinissa reges; quorum ego fidei ita innitar, ut bene « tutus a perfidia sim. Multa, quæ nunc ex intervallo « non apparent, bellum aperiet : et id est viri et du- « cis, non deesse fortunæ[5] præbenti se, et oblata casu « flectere ad consilium. Habebo, Q. Fabi, parem, quem « das, Hannibalem; sed illum potius ego traham, quam « ille me retineat : in sua terra cogam pugnare eum; « et Carthago præmium victoriæ erit[6], quam semiruta « Bruttiorum castella. Ne quid interim, dum trajicio, « dum expono exercitum in Africa, dum castra ad « Carthaginem promoveo, respublica hic detrimenti « capiat, quod tu, Q. Fabi, quum victor tota Italia « volitaret Hannibal, potuisti præstare, hoc vide ne « contumeliosum sit, concusso jam et pæne fracto « Hannibale, negare, posse P. Licinium consulem vi- « rum fortissimum præstare; qui, ne a sacris absit « pontifex maximus, ideo in sortem tam longinquæ « provinciæ non venit. Si, hercule, nihilo maturius

δύναμις, πολιτικοὶ στρατιῶται, πολιτικὸν στρατόπεδον· Schæf.

4. *Molientem hinc Hann.* (forte *moliturum*); vide ad VI, 11, n. 5. — *Has mihi spes subjicit f. p. r.* vide ad I, 59, n. 7. — *Quorum ego fidei ita innitar*, tam caute ac prudenter.

5. *Non deesse fortunæ* (vide ad III, 46, n. 3) *præbenti se*, se ostendenti, offerenti, *oblatæ* occasioni; et, quæ *casu*, forte fortuna, *oblata* sunt, *flectere ad consilium*, vertere in rem suam. — *Parem;* vid. VII, 33, n. 1.

6. *Carthago præmium victoriæ erit, quam*, etc. optimi MSS, omisso τῷ *potius*, quod insertum in edd. antt. ante *præmium*, sed passim deest et intelligitur; vide ad I, 25, n. 11; Nep. Dat. 8 pr. Valer. Flac. VII, 428; Plaut. Rud. IV, 4, 70. — *Hoc vide ne c. sit*, etc. vide ad XXXV, 6, n. 3. — *Ne a sacris absit pontifex max., ideo in sortem*, etc. conf. cap. 38, et ibi n. 6.

« hoc, quo ego censeo, modo perficeretur bellum;
« tamen ad dignitatem populi romani famamque apud
« reges gentesque externas pertinebat, non ad defen-
« dendam modo Italiam, sed ad inferenda etiam Africæ
« arma, videri nobis animum esse; nec hoc credi vul-
« garique, quod Hannibal ausus sit, neminem ducem
« Romanorum audere; et priore punico bello, tum
« quum de Sicilia certaretur, toties Africam ab no-
« stris exercitibusque et classibus oppugnatam; nunc,
« quum de Italia certetur, Africam pacatam esse. Re-
« quiescat aliquando vexata tam diu Italia : uratur
« evasteturque in vicem Africa : castra romana potius
« Carthaginis portis immineant, quam nos iterum val-
« lum hostium ex mœnibus nostris videamus. Africa
« sit reliqui belli sedes : illuc terror fugaque, popu-
« latio agrorum, defectio sociorum, cæteræ belli cla-
« des, quæ in nos per quatuordecim annos ingrue-
« runt, vertantur. Quæ ad rempublicam pertinent et
« bellum, quod instat, et provincias, de quibus agitur,
« dixisse satis est. Illa longa oratio nec ad vos perti-
« nens sit[7], si, quemadmodum Q. Fabius meas res
« gestas in Hispania elevavit, sic et ego contra glo-
« riam ejus eludere, et meam verbis extollere velim.
« Neutrum faciam, Patres conscripti, et, si ulla alia
« re[8], modestia certe et temperando linguæ adolescens
« senem vicero. Ita et vixi et res gessi, ut tacitus ea
« opinione, quam vestra sponte conceptam animis
« haberetis, facile contentus essem. »

7. *Nec ad vos pertinens sit*, pertineret; vide ad V, 34, n. 4. — *Elevavit;* vide ad III, 21, n. 5. — *Eludere;* vide ad XXVI, 19, n. 7.

8. *Si ulla alia re;* al. *nulla :* sed hoc magis est desperantis aut desperationem præ se ferentis; Scipio autem, quod tota clamat oratio, sperabat, multis aliis quoque vel potius omnibus rebus sese superaturum gloriam Fabii, et tam mares gerebat spiritus non ex invidia aut vanitate, sed

XLV. Minus æquis animis auditus est Scipio, quia vulgatum erat, si apud senatum non obtinuisset, ut provincia Africa sibi decerneretur, ad populum extemplo laturum. Itaque Q. Fulvius, qui consul quater et censor fuerat, postulavit a consule, ut palam in senatu diceret, *permitteretne Patribus, ut de provinciis decernerent? staturusque eo esset*[1], *quod censuissent, an ad populum laturus?* Quum Scipio respondisset, se, quod e republica esset, facturum; tum Fulvius, «Non ego ignarus, quid responsurus factu-«rusve esses, quæsivi, quippe quum præ te feras, «tentare magis, quam consulere senatum, et, ni pro-«vinciam tibi, quam volueris, extemplo decernamus, «paratam rogationem habeas. Itaque a vobis, tribuni «plebis, postulo, inquit, ut sententiam mihi ideo non «dicenti, quod, etsi in meam sententiam[2] discedatur, «non sit ratum habiturus consul, auxilio sitis». Inde altercatio orta, quum consul negaret æquum esse, tribunos intercedere, quo minus suo quisque[3] loco [senator] rogatus sententiam diceret. Tribuni ita decreverunt, «Si consul senatui de provinciis permittit, «stari eo, quod senatus censuerit, placet; nec de ea «re ferri ad populum patiemur: si non permittit, qui «de ea re sententiam recusabit dicere, auxilio erimus».

ex vera conscientia verarum insitarum sibi virtutum et eorum, quæ jam gesserat, respectu; Gron. Vulgatum quoque *nulla* recte defendi potest, et necessario ita legi debet, si *certe*, ut videtur, pro *saltem* positum est; Doer.

Cap. XLV. 1. *Staturusque eo esset;* vide ad III, 36, n. 11. — *Quod e republica esset;* vide ad I, 27, n. 5. — *Tentare;* vide ad IX, cap. 35, n. 1.

2. *In meam sententiam discedatur;* vide ad I, 32, n. 13.

3. *Quo minus suo quisque loco*, vel ordine, *senator rogatus sententiam diceret;* vide ad XXII, 49, n. 13. Olim plerumque primus sententiam rogabatur princeps senatus, tum consul designatus, deinde consulares, prætorii, ædilitii et reliqui pro ordine dignitatis ætatisque: qui tamen mos neque primis neque postremis reipublicæ temporibus servatus est, sed pro libito ejus, qui senatum habuit, immutatus. Conf. ad V, 20, n. 2; Gell. IV,

Consul diem ad colloquendum cum collega petiit : postero die permissum senatui est. Provinciæ ita decretæ : alteri consuli Sicilia et triginta rostratæ naves, quas C. Servilius superiore anno habuisset ; permissumque, ut in Africam, si id e republica esse censeret, trajiceret : alteri Bruttii et bellum cum Hannibale, cum eo exercitu, quem L. Veturius[4], aut Q. Cæcilius. Hi et sortirentur inter se compararentve, uter in Bruttiis duabus legionibus, quas consul reliquisset, rem gereret ; imperiumque in annum prorogaretur, cui ea provincia evenisset : et cæteris, præter consules prætoresque, qui exercitibus provinciisque præfuturi erant, prorogata imperia. Q. Cæcilio sorte evenit[5], ut cum consule in Bruttiis adversus Hannibalem bellum gereret. Ludi deinde Scipionis magna frequentia et favore spectantium celebrati : legati, Delphos ad donum ex præda Hasdrubalis portandum missi, M. Pomponius Matho et Q. Catius, tulerunt coronam auream ducentum pondo, et simulacra spoliorum, ex mille pon-

10 ; XIV, 7 ; Dionys. Hal. VII, 21 ; Suet. Cæs. 21, et Aug. 35 ; Sall. Bell. Cat. 10, ibique Cort. Vox *senator* abest a plurimis MSS, et glossam redolet.

4. *Cum eo exercitu, quem L. Veturius, aut Q. Cæcilius*, sc. *habuisset*, quod verbum modo præmissum. Cf. Gron. ad h. l. et Obss. I, 10, p. 92. — *Sortirentur inter se compararentve ;* vide ad III, 2, n. 1. — *Duabus* cum *legionibus ;* vide ad I, 14, n. 4. — *Et cæteris* magistratibus antiquis, *præter consules prætoresque qui... erant*, adeoque hujus anni, *prorogata imperia ;* conf. ad cap. 38, n. 2. Dukeri nota est : « Q. Claudio tamen, qui Tarentum habebat, successor datus T. Quintius. Cf. cap. 10, et ad XXIX, 13, n. 2. Cæteri sunt C. Hostilius Tubulus Capuæ, cap. 10 ; M. Livius Salinator in Etruria, cap. 10, 46 ; Lentulus et Acidinus in Hispania, cap. 38, et forte P. Sempronius Tuditanus, quem hoc anno cum imperio in Græcia fuisse, scribit XXIX, 11, 12 ; etsi ex Livio ipso non satis certum est, hoc, an priore anno successor Sulpicio in Græciam missus fuerit. Nam hoc, ut alia de provinciarum permutatione, præteriit Livius. Qui superiore anno Galliæ, Siciliæ et Sardiniæ præfuerant, prætores hujus anni successores habuerunt c. 38 ». Cf. Periz. Anim. hist. c. 4.

5. *Cæcilio sorte evenit ;* Put. et Flor. *sorti ;* vide ad IV, 37, n. 5. — *Coronam auream ducentum pondo ;* vide ad XXX, 21, n. 1. — Selibræ sunt sive marcæ nostrates 312, cum unciis qua-

do argenti facta. Scipio, quum, ut delectum haberet, neque impetrasset[6], neque magnopere tetendisset, ut voluntarios ducere sibi milites liceret, tenuit, et, quia impensæ negaverat reipublicæ futuram classem, ut, quæ ab sociis darentur ad novas fabricandas naves, acciperet. Etruriæ primum populi, pro suis quisque facultatibus, consulem adjuturos polliciti; Cærites frumentum sociis navalibus[7] commeatumque omnis generis; Populonienses ferrum; Tarquinienses lintea in vela; Volaterrani interamenta navium et frumentum;

tuor. Ed. — *Ex mille pondo argenti facta;* cf. Gron. de Pec. vet. I, 7. — Secundum Creverii rationes, selibræ sunt nostrates 1562, cum unciis quatuor. Ed.

6. *Scipio quum...neque impetrasset.* Hic Creverius insimulat Fabium, qui invidens crescenti in dies gloriæ Scipionis, quum obtinere non potuisset ne permitteretur ei in Africam trajicere, vociferando et vanis terroribus animos implendo pervicerit ne aut delectum habere liceret consuli, aut pecunia decerneretur. Vid. Plut. in Fabio. — *Magnopere tetendisset;* vide ad IV, 7, n. 6. — *Tenuit* (vide ad II, 42, n. 2), *ut voluntarios ducere sibi milites liceret, et ut quæ ab sociis darentur, acciperet,* accipere liceret; Gronovius.

7. *Sociis navalibus;* vide supra ad IX, 38, n. 1. — *Lintea in vela, ut* ὀθονίων ἱστοὺς, velorum seu linteorum telas, apud Polyb. V, 89, n. 2. — *Interamenta navium* plurimi MSS, probb. Salmas. ad Solin. p. 166, 781, et Ulit. ad Gratii Cyneg. v. 47. Ille intell. τὸ μεσαίτατον νεὼς, hic stupam et quidquid infercitur sive vasis componendis, sive navium rimis: at Crev. ligna, quæ a carinis utrimque adscendentia efficiunt costas navium, quorum compages gr. ἐντερόνεια dicuntur. *Inceramenta* Pal. 3, Lov. 2, Harl. Ber. a m. sec. et unus Crev. *Armamenta* pleræque edd. ante Gron. cujus docta nota est hæc: « Potest videri *interamentum*, ut et *interamen*, ab *interare* deduci. Glossar. *interata* ἐξεντερισθέντα. Ejus compositum *exenterare*. Et *interior* ostendit fuisse aliquando *interus*, ut *superior*, *superus*, *superare:* unde *superamenta materiarum* Pandect. XXXII, 1, 55. Etiam Veteres dixisse *interatim* pro *interim*, testis est Festus. Sic *interamen* ἐντερόνεια, h. e. τὰ καλούμενα ἐγκοίλια τῶν νεῶν, vel τὰ ἐγκοίλια, τὰ ἀπὸ τρόπιδος ἀνερχόμενα ξύλα; vid. Pollux, II, 4, et Schol. Aristoph. Ἱππ. Vix tamen putem, *interare* Veteres usurpasse, quum et *externare* quam *exterare* maluerint, et *exenterare* a gr. ἔντερα quam *exinterare*. Forte leg. *inceramenta navium:* quas cera piceque oblini et oblitas olim fuisse notum est; unde Pollux inter τὰ τῶν ναυπηγῶν ponit κηρὸν et πίσσαν. Mixturam picis cum cera una voce κηρὸς dicitur Græcis et ζώπισσα (conf. Plin. XVI, 11), Latinis *cera* (vid. Veget. V, 7 et 14), h. l. *inceramentum*, quippe quo incerantur naves. Hinc et *ceratæ naves*, *cerare* et *cera-*

Arretini triginta millia scutorum [8], galeas totidem, pila, gæsa, hastas longas, millium quinquaginta summam pari cujusque generis numero expleturos, secures, rutra, falces, alveolos, molas, quantum in quadraginta longas naves opus esset, tritici centum et viginti millia modium, et in viaticum decurionibus remigibusque collaturos [9]: Perusini, Clusini, Rusellani abietem in fabricandas naves et frumenti magnum numerum : abiete ex publicis silvis est usus. Umbriæ populi et præter hos Nursini et Reatini et Amiternini sabinusque ager omnis milites polliciti. Marsi, Peligni Marrucinique, multi voluntarii nomina in [10] classem

tura apud Columellam, XII, 50 ».

8. *Arretini XXX millia scutorum*, Put. Reg. et al. *III millia*. — *Gæsa;* vide ad VIII, 8, n. 3. — Vid. Cluver. German. I, 44; Voss. de Vitiis sermonis, I, 2; et omnes qui gallicam et germanicam antiquitatem exploraverunt; item interpp. Virgilii ad Æn. lib. VIII, v. 662. Ed. — *Hastas longas*, quibus projectis cominus in stataria pugna utebantur : missiles enim, quas eminus jaculabantur, breviores fuisse probabile est; Duk. Cf. Strab. X, 448, et Lips. Poliorc. IV, 4. — *Millium L* (quidam MSS *XL*) *summam pari cujusque generis numero expleturos*, Crev. conj. *ad millium L*, etc. sensum autem hunc putat, Arretinos pollicitos esse, se *pila, gæsa, hastas longas* daturos esse eo numero, ut summa omnium simul collectorum esset L millium, pari cujusque generis numero, ita ut pila daturi essent circiter 16670, totidem gæsa totidemque hastas. Vox *expleturos* forte delenda, ut omnia pendeant a seq. *collaturos*, scil. se esse polliciti sunt. — *Rutra* et *alveolos;* cf. Marc. Donat. ad h. l. Veget. II, 25, ibique Stewich. — *Rutrum* a *ruendo*, sive *eruendo* dictum est, et instrumentum fuit ferreum ad eruendam terram, sive arenam quum opus esset; ad quod verbum testem Festum appellat Creverius. Ed. — *Molas* frumento frangendo; vid. ad Lips. de Militia Rom. V, 11 et 16.

9. *Et in viaticum decurionibus remigibusque collaturos*, scil. aliquid, vel pecuniam. Forte del. *et*, jungendaque *tritici CXX millia modiorum in viaticum*, Glar. « Incredibile est, hæc fuisse viaticum decurionum remigumque; et suppleri potest aptum aliquod nomen, ut apud Cic. Verr. II, 59, *imperasti, ut iidem pro parte in commune Siciliæ conferrent : etiam id contulerunt.* Cæterum *decuriones remigibus* præfuisse, ex eo colligi potest, quod his a Livio junguntur. Sed quænam speciatim partes eorum muneris in navibus fuerint, nemo tradidit. » Duker. — *Est usus*, scil. Scipio, qui abietem a Perusinis non accepit, sed ex silvis publicis populi romani excisam adhibuit. Ed.

10. *Nomina in classem dederunt;* vide ad I, 11, n. 3.

dederunt. Camertes, quum æquo fœdere cum Romanis essent[11], cohortem armatam sexcentorum hominum miserunt. Triginta navium carinæ, viginti quinqueremes, decem quadriremes, quum essent[12] positæ, ipse ita institit operi, ut die quadragesimo quinto, quam ex silvis detracta materia erat, naves instructæ armatæque in aquam deductæ sint.

XLVI. Profectus in Siciliam est triginta navibus longis, voluntariorum septem ferme millibus in naves impositis: et P. Licinius in Bruttios ad duos exercitus consulares venit. Ex eis eum sibi sumpsit, quem L. Veturius consul habuerat: Metello, ut, quibus præfuisset legionibus, iis præesset (facilius cum assuetis imperio rem gesturum ratus), permisit: et prætores diversi in provincias profecti[1]: et quia pecunia ad bellum deerat, agri campani regionem, a fossa græca ad mare versam, vendere quæstores jussi; indicio quoque permisso[2], qui ager civis campani fuisset, ut is publicus populi romani esset: indici præmium constitutum, quantæ pecuniæ ager indicatus esset, pars decima: et Cn. Servilio prætori Urbis negotium

11. *Camertes, quum æquo fœdere cum Romanis essent*, « amicitia forte inita a. U. 443, quod ex IX, 36 probabile est. Cæterum Sigon. de Ant. jur. Ital. I, 21, dicit, his verbis significari, cæteris populis exiguam, Camertibus, qui nihil debebant, maximam laudem fuisse tribuendam. Sed cæterorum quoque populorum non minus voluntariam fuisse collationem, nec eos illa, quæ Livius dicit, ex formula fœderis debuisse dare, ex tota hujus rei narratione patet ». Duk.

12. *Triginta navium carinæ, viginti quinqueremes, decem quadriremes, quum essent positæ;* vid. cap. 8, n. 8.

CAP. XLVI. 1. *Prætores diversi in provincias profecti;* vide ad III, 60, n. 1. — *Agri campani*, Capuæ; ubi *fossa græca*, nescio quæ et unde sic dicta. Ager ultra Vulturnum circa Liternum seu Clanium fl., Atellam versus et Trebulam; Doujat.

2. *Indicio quoque permisso*, etc. scil. quum omnis Campanorum ager populi rom. factus esset (vide ad XXVI, 16), mota de fraude, qua nondum omnis ager a Campanis concessus fuisset Romanis, suspicione, non solum *indicium permissum*, h. e. publica auctoritate propositum fuit, ut ager, qui nondum a cive aliquo

datum, ut campani cives, ubi cuique[3] ex senatusconsulto liceret habitare, ibi habitarent, animadverteretque in eos, qui alibi habitarent. Eadem æstate Mago, Hamilcaris filius, ex minore Baliarium insula, ubi hibernarat, juventute lecta in classem imposita, in Italiam triginta ferme rostratis navibus et multis onerariis, duodecim millia peditum, duo ferme equitum trajecit; Genuamque, nullis præsidiis maritimam oram tutantibus, repentino adventu cepit. Inde ad oram Ligurum Alpinorum, si quos ibi motus facere posset, classem appulit. Ingauni (Ligurum ea gens est[4]) bellum ea tempestate gerebant cum Epanteriis montanis: igitur Pœnus, Savone oppido Alpino præda deposita, et decem longis navibus in statione ad præsidium relictis, cæteris Carthaginem missis ad tuendam maritimam oram, quia fama erat Scipionem trajecturum esse, ipse, societate cum Ingaunis, quorum gratiam malebat, composita, montanos instituit

campano traditus esset populo rom., indicaretur, sed indici quoque præmium constitutum fuit; Doer.

3. *Ut campani cives, ubi cuique,* etc. conf. XXVI, 34. Verba *habitare, ibi* forte spuria, certe prius. Utrumque deest in aliquot MSS, illud in pluribus et in edd. ante Ald. — *Ex minore Baliarium insula;* vide supra ad XXI, 21, n. 7.

4. *Ingauni (Ligurum ea gens est),* etc. Albingaunum oppidum, auctore Strabone, lib. IV, p. 202, cujus incolæ *Ligures Ingauni* appellantur. Memoratur quoque a Ptolemæo et Plin. lib. III, cap. 5. De *Epanteriis* nihil apud idoneos auctores a se inventum testatur Glareanus; quod nomen suspicatur vel corruptum esse vel vetustate abolitum. Quum autem *Epanterii* præ Ingaunis *montani* vocentur, eos supra Albingaunum oppidum Alpina juga incoluisse existimat Cluver. Ital. Ant. I, 8. Contra Doujatius nomen corruptum existimat, ac scribendum esse *cum Intemeliis*. Quas opiniones postquam retulit Drakenborch. pronuntiat sibi videri ex Strabone colligendum, Intemelios æque atque Ingaunos fuisse maritimos; certe, loco cit. eorum urbes Albium Intemelium et Albingaunum maritimas, ἐπὶ τῇ θαλάττῃ, vocat. Præstat igitur nihil mutari, et Epanterios referri inter populos, quorum memoria lapsu sæculorum ubicumque depressa, apud solum Livium emergit. Ed. — *Savone,* vel *Savona* Ptolemæo, lib. III, cap. 1; *Vadum Sabbatium* Plinio, III, 5; *Sabatia* Pomponio, II, 4. Hodie *Savona,*

oppugnare : et crescebat exercitus in dies, ad famam nominis ejus Gallis undique confluentibus. Ea literis cognita Sp. Lucretii, ne frustra, Hasdrubale cum exercitu deleto biennio ante, forent lætati, si par aliud inde bellum, duce tantum mutato, oriretur, curam ingentem accenderunt Patribus. Itaque et M. Livium proconsulem ex Etruria volonum exercitum admovere Ariminum[5] jusserunt, et Cn. Servilio prætori negotium datum, ut, si e republica censeret esse, urbanas legiones, cui imperio videretur dato, ex Urbe duci juberet. M. Valerius Lævinus Arretium eas legiones duxit. Eisdem diebus naves onerarias Pœnorum[6] ad octoginta circa Sardiniam ab Cn. Octavio, qui provinciæ præerat, captas, Cœlius frumento misso ad Hannibalem commeatuque onustas, Valerius prædam etruscam Ligurumque montanorum captivos Carthaginem perportantes, tradit. In Bruttiis nihil ferme anno eo memorabile gestum. Pestilentia incesserat pari clade in Romanos Pœnosque; nisi quod punicum exercitum super morbum etiam fames affecit. Propter

in Genuensium ditione. Ed. — *Montanos instituit oppugnare ;* edd. antt. *institit.* Utrumque bene dicitur. Conf. Drak. et ad XXIV, 26, n. 7.

5. *Volonum exercitum admovere Ariminum;* vide ad XXII, 57, n. 12, et XXV, 24, n. 9. — *E republica esse;* vide ad I, 27, n. 5. — *Cui imperio videretur dato,* immo leg. ex Lov. 3, 4, *imperio, cui videretur, dato,* vel ex Lov. 5, *cui videretur, imperio dato,* sc. lege curiata. — Alterutrum verum esse censet Drakenb. neque opus ut cum Pighio legamus *cui populo videretur imperio dato.* Sponte enim patet, ut monuit Gronovius, ita intelligendum esse prætori hic potestatem factam legionibus urbanis ex Urbe ducendis præficiendi quem vellet, verum ita ut is ante lege curiata imperium acciperet. Ed.

6. *Eisdem diebus naves onerarias Pœnorum...captas* tradunt Cœlius et Valerius, sed *Cœlius tradit,* eas fuisse *frumento misso,* etc. Rotundissima et prorsus Liviana periodus, e MSS restituenda; Gron. *Naves onerariæ...captæ. Eas Cœlius,* etc. edd. antt. — *Carthaginem perportantes,* ut *perferentes, perpopulari, perpacata, percuratum;* Gron. — *Pestilentia incesserat in Romanos,* ut XXIX, 10 pr. Conf. supra ad librum I, cap. 31, n. 4, et lib. II, cap. 27, n. 10.

Junonis Laciniæ[7] templum æstatem Hannibal egit; ibique aram condidit dedicavitque, cum ingenti rerum ab se gestarum titulo, punicis græcisque literis insculpto.

7. *Propter Junonis Laciniæ templum æstatem Hannibal egit;* vide ad lib. XXI, cap. 27, n. 6, et lib. XXIV, cap. 3, not. 3. — *Juno Lacinia*, vel a Lacinio latrone dicta, qui extrema Italiæ infestaverat; quem boum raptorem suorum Hercules quum occidisset, ad expiationem loci placandamque Junonem, quæ sibi irata dicebatur, ei templum dedicavit, et a latrone Junonem Laciniam appellavit: vel a Lacinio promontorio in terra Locrensium. Val. Maxim. I, 1, 20, innuere videtur illud Junonis templum fuisse Locris; Livius autem noster Crotonæ exstitisse ait: alii ad Crotonam fuisse volunt. Vid. Strab. VI; Theocr. Id. IV, v. 33, ibique Schol. Strabo et Livius non consentiunt de distantia templi a Crotona, quum hic sex millibus tantum, XXIV, 3, ille VI, p. 262, novemdecim prope millibus abesse templum tradiderit. Quidquid hæc sint, hoc templum nobilissimum fuisse et mira frequentia celebratum ex verbis auctorum mox laud. colligere facile est; maxime si reputes quam magnifica fuerint in hoc delubro opera: quod sponte elucet ex Cicer. Divin. I, 24: « Annibalem Cœlius scribit, quum columnam auream, quæ esset in fano Junonis Laciniæ, auferre vellet, dubitaretque, utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebravisse; quumque solidam invenisset, statuisse tollere: ei secundum quietem visam esse Junonem prædicere, ne id faceret; minarique, si id fecisset, se curaturam ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret: idque ab homine acuto non esse neglectum. Itaque ex eo auro quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam, et eam in summa collocavisse ». Ed.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXIX.

BREVIARIUM.

Cap. I; Scipio in Sicilia volones suos centuriat; egregiam ccc equitum alam corporis sui custodes facit; novas Panormi naves curat ædificandas, et cum veteribus C. Lælium in Africam prædatum mittit: Syracusanis restituit res suas. In Hispania Indibilis ingens conciet bellum: — II; sed a L. Lentulo et L. Manlio Acidino vincitur, et cum multis suorum perit. — III; Romanis Mandonius cæterique principes ad supplicium traduntur, et obsides ab xxx Hispaniæ populis. Interea Lælius in Africa populatur Hipponensium agros, et ingentem Carthagini terrorem incutit. — IV; Multa ibi parantur agitanturque: et Masinissa ad Lælium venit, querens, quod nondum Scipio exercitum trajecisset in Africam. — V; Lælius cum ingenti præda revectus in Siciliam mandata Masinissæ exponit Scipioni: iisdemque diebus Mago, auctus novis navibus, copiis, elephantis et pecunia, ab Carthagine missis, in Liguribus multa auxilia mercede conducit. — VI; Fabri quidam locrenses capti spem faciunt Scipioni, Locros in Bruttiis recipiendi: eorumque ope Q. Pleminius proprætor alteram oppidi arcem capit. — VII; Scipio et Hannibal ipsi Locros accedunt; prospera vero Romanorum eruptione facta, et Pœnus et præsidium ejus urbem relinquunt. — VIII; De auctoribus defectionis sumitur supplicium, et Pleminius legatus Locris tuendis præficitur. Is et præsidiarii milites rom. Hamilcarem et Pœnos longe superant crudelitate atque avaritia; nec alia modo templa violant, sed sacros etiam Proserpinæ thesauros, a Pyrrho olim spoliatos et restitutos.

—IX; Pleminius in suos quoque sævit milites, et ab iis hostiliter laceratur. Noxa deinde ab Scipione liberatus ab ira in rabiem vertitur. — X; Q. Cæcilius Metellus dictator comitiorum causa dicitur: et in libris sibyllinis invenitur carmen, hostem alienigenam pelli Italia vincique posse, si Mater Idæa a Pessinunte Romam advecta foret. — XI; Legati idcirco in Asiam missi Delphis oraculum adeunt feruntque responsum, per Attalum regem se compotes ejus fore, quod petant, tumque curandum esse, ut Deam, qui vir optimus Romæ sit, hospitio excipiat. Inde Pergamum veniunt ad Attalum, qui eos Pessinuntem deducit in Phrygiam, sacrumque illis lapidem tradit, Deæ simulacrum. Interim consules creantur M. Cornelius Cethegus et P. Sempronius Tuditanus. Comitia prætoria. Ludi Romani et plebeii. Ædes Virtutis a M. Marcello dedicata. — XII; Philippus a P. Sempronio proc. pacem petit et impetrat. — XIII; Provinciæ decernuntur, et in Hispanias duo mittuntur proconsules. — XIV; Prodigia procurantur; et nuntius affertur, Matrem deum Tarracinæ jam esse. Hinc P. Scipio, Cn. filius, ejus qui in Hispania ceciderat, adolescens nondum quæstorius, a senatu judicatus vir bonorum optimus, cum omnibus matronis Ostiam ire jubetur obviam Deæ; eaque ab illo in terram elata traditur matronis, et ab his in ædem Victoriæ in Palatio perfertur. Quod religiosum ministerium dubiam antea pudicitiam Claudiæ Quintæ clariorem ad posteros facit. Dona Deæ allata, lectisternium et Megalesia. — XV; Duodecim coloniis latinis, qui ante sex ferme annos vacationem militiæ impetraverant, numerus militum duplo major stipendiumque imperatur. — XVI; Decernunt Patres, ut pecunia, a privatis olim in publicum collata, tribus pensionibus solvatur. Locrensium legati Romam veniunt, et senatu dato, — XVII - XVIII; de Q. Pleminii præsidiique rom. sceleribus queruntur. — XIX; Q. Fabius non modo in Pleminii inhumanitatem, sed etiam in mollitiem et negligentiam Scipionis acerrime invehitur, et orationi adjicit sententiam non minus trucem. —XX; Q. Metello auctore M. Pomponius prætor cum x legatis, duobus tribunis plebei et ædile rei cognoscendæ causa Locros et inde in Siciliam, provinciam suam, proficisci jubetur. —XXI; Hi Pleminium et XXXII seditionis principes damnatos in catenis Romam mittunt, sacramque pecuniam reponunt in thesauros. — XXII; Scipio rebus, non verbis, ad purgandum sese utitur, et legatis summam omnium rerum admirationem incutit. Ple-

minius mox moritur in vinculis : et Scipioni permittitur, ut cum delectis militibus in Africam trajiciat. — XXIII; Syphax ducta Hasdrubalis filia societatem init cum Carthaginiensibus, et Scipionem de ea re certiorem facit. — XXIV; Is lætum contra nuntium ementitur, et ex iis exercitibus, qui in Sicilia sunt, legit, quos secum in Africam quam primum trajiciat. — XXV; Hi, de quorum numero discrepat inter auctores, naves conscendunt. — XXVI; Ad spectaculum classis, e portu syracusano proficiscentis, ingens hominum turba concurrit. — XXVII; Scipio precibus ad deos fusis cruda victimæ exta in mare porricit; et vento mox secundo vehementique ad Africæ litora perlatus ad Pulcri promontorium copias omnes in terram exponit. — XXVIII; Agris urbibusque, præcipue Carthagini, magnum infert terrorem, et, classe Uticam missa, tumulos mari proximos capit. — XXIX; Alam equitum carthag. cum Hannone præfecto cædit, magnamque prædam mittit in Siciliam. Lætissimus tamen Romanis in principio rerum gerendarum est adventus Masinissæ cum cc vel adeo MM equitibus. — XXX-XXXIII; Enarratur, quam varia is fortuna usus sit in amittendo recuperandoque paterno regno. — XXXIV; Hanno, Hamilcaris filius, a Masinissa e Salera, urbe ab eo expugnata, elicitur, et circumventus perit cum multis equitibus. — XXXV; Scipio naves e Sicilia reversas novis spoliis onustas dimittit, omnesque belli vires convertit ad Uticam terra marique oppugnandam : sed, Hasdrubale et Syphace cum centum prope millibus armatorum advenientibus, obsidionem solvit, et in promontorio hiberna communit castra. — XXXVI; Ex Sicilia et Italia ingens vis frumenti vestimentorumque in Africam advehitur. In agro crotoniensi P. Sempronius cos. ab Hannibale fugatur, sed mox junctus P. Licinio proc. hostes fundit. Alter vero consul, M. Cornelius, in Etruria, ad Magonem versa, acerbas quæstiones habet. — XXXVII; Interim Romæ censores M. Livius et C. Claudius Nero severum senatus equitumque agunt recensum, et lustro condito censum quoque XII coloniarum accipiunt. Vectigal etiam novum ex salaria annona comminiscitur Livius : unde Salinatori ei inditum cognomen putatur. Pravum deinde inter ipsos censores oritur certamen notarum, quibus alter alteri equum adimit, et Claudius collegam, hic vero, præter Mæciam tribum, populum rom. omnem, XXXIV tribus, ærarios relinquit. Hinc Cn. Bæbius trib. pl. diem ad populum utrique

dicit : quæ res consensu Patrum discutitur. — XXXVIII; Cn. Servilius Cæpio et C. Servilius Geminus consules creantur. Comitia prætoria : sacerdotes mortui et suffecti : quadrigæ aureæ in Capitolio positæ. Ludi Romani plebeiique instaurati.

I. Scipio, postquam in Siciliam venit, voluntarios milites[1] ordinavit centuriavitque : ex iis trecentos juvenes, florentes ætate et virium robore, inermes circa se habebat, ignorantes, quem ad usum, neque centuriati, neque armati, servarentur. Tum ex totius Siciliæ juniorum numero principes genere et fortuna trecentos equites, qui secum in Africam trajicerent, legit; diemque iis, qua equis armisque instructi atque ornati adessent, edixit. Gravis ea militia, procul domo, terra marique multos labores, magna pericula allatura videbatur; neque ipsos modo, sed parentes cognatosque eorum ea cura angebat : ubi dies, quæ dicta erat, advenit, arma equosque ostenderunt. Tum Scipio, *renuntiari sibi*, dixit, *quosdam equites Siculorum, tanquam gravem et duram, horrere eam militiam. Si qui ita animati essent, malle eos sibi jam tum fateri, quam postmodo querentes, segnes atque inutiles milites reipublicæ esse. Expromerent, quid sentirent: cum bona venia se auditurum.* Ubi ex his unus ausus est dicere, *se prorsus, si sibi, utrum velit, liberum esset, nolle militare*, tum Scipio ei[2], « Quoniam igitur, « adolescens, quid sentires, non dissimulasti, vicarium « tibi expediam, cui tu arma equumque et cætera in- « strumenta militiæ tradas, et tecum hinc extemplo

Cap. I. 1. *Voluntarios milites* (cf. XXVIII, 45, n. 6) *ordinavit centuriavitque;* vide ad II, 23, n. 4, et VI, 2, n. 4. — *Ex iis*, scil. voluntariis elegit *trecentos*, quos non centuriavit; Gron. Idem jam monuit, hoc paulo aliter narrari a Valer. Max. VII, 3, 3, videri autem Scipionem cepisse id consilii ab Agesilao; vide ad Plutarch. Ages. p. 600, D. E.

2. *Tum Scipio ei*, τὸ *ei* del.; Crev. Abest a Lov. 3. — *Docendum equo*

« domum ducas, exerceas, docendum cures equo ar-« misque ». Læto conditionem accipienti unum ex trecentis, quos inermes habebat, tradit. Ubi hoc modo exauctoratum equitem [3] cum gratia imperatoris cæteri viderunt, se quisque excusare, et vicarium accipere. Ita trecentis Siculis romani equites substituti, sine publica impensa : docendorum atque exercendorum curam Siculi habuerunt : quia edictum imperatoris erat, ipsum militaturum, qui ita non fecisset. Egregiam hanc alam equitum [4] evasisse ferunt, multisque prœliis rempublicam adjuvisse. Legiones inde quum inspiceret, plurimorum stipendiorum ex iis milites [5] delegit, maxime qui sub duce Marcello militaverant ; quos quum optima disciplina institutos credebat, tum etiam ab longa Syracusarum obsidione peritissimos esse urbium oppugnandarum : nihil enim parvum, sed Carthaginis jam excidia agitabat animo. Inde exercitum per oppida dispertit : frumentum Siculorum civitatibus imperat; ex Italia advecto parcit : veteres naves reficit, et cum iis C. Lælium in Africam prædatum mittit; novas Panormi subducit [6], quia ex viridi materia raptim factæ erant, ut in sicco hibernarent. Præparatis omnibus ad bellum, Syracusas, nondum ex magnis belli motibus satis tranquillas, venit. Græci res a quibusdam italici generis, eadem vi, qua per bellum ceperant, retinentibus, concessas sibi ab senatu, repetebant. Omnium primum ratus tueri pu-

armisque, erudiendum in arte equitandi armorumque tractandorum; vide ad XXIV, 4, n. 5. — Et quæ Lipsius de hac locutione disseruit Epist. I, quæst. 3. Ed. — *Læto condit. accipienti*, læte; nisi ita leg.

3. *Exauctoratum equitem ;* vide ad VIII, 34, n. 8.

4. *Egregiam hanc alam equitum* romanorum. Cf. præc. et ad XXVI, 21, n. 4. — *Legiones inde quum inspiceret;* vide ad XXI, 6, n. 4.

5. *Plurimorum stipendiorum milites ;* vide ad III, 57, n. 5.

6. *Novas Panormi subducit ;* vide ad VIII, 26, n. 1.

blicam fidem, partim edicto, partim judiciis etiam in pertinaces ad obtinendam injuriam redditis[7], suas res Syracusanis restituit. Non ipsis tantum ea res, sed omnibus Siciliæ populis, grata fuit; eoque enisius ad bellum adjuverunt[8]. Eadem æstate in Hispania coortum ingens bellum, conciente Ilergete Indibili, nulla alia de causa, quam per admirationem Scipionis contemptu imperatorum aliorum orto. *Eum superesse unum ducem Romanis, cæteris ab Hannibale interfectis*, rebatur. *Eo nec in Hispania cæsis Scipionibus alium, quem mitterent, habuisse; et, postquam in Italia gravius bellum urgeret, adversus Hannibalem eum arcessitum. Præterquam quod nomina tantum ducum in Hispania Romani haberent, exercitum quoque inde veterem deductum. Trepida omnia*[9], *ut inconditam turbam tironum, esse : nunquam talem occasionem liberandæ Hispaniæ fore. Servitum ad eam diem aut Carthaginiensibus aut Romanis ; nec in vicem his aut illis, sed interdum utrisque simul. Pulsos ab Romanis Carthaginienses; ab Hispanis, si consentirent, pelli Romanos posse, ut ab omni externo imperio soluta in perpetuum Hispania in patrios rediret mores ritusque.* Hæc aliaque dicendo non

7. *Judiciis etiam redditis*, datis, concessis et habitis, *in pertinaces ad obtinendam injuriam*, adversus eos, qui pertinaciter *retinebant*, quæ per injuriam sibi vindicaverant. Cf. Gron. ad Tac. Hist. II, 84, et Ern. Clav. Cic. voc. *obtinere*.

8. *Ad bellum adjuverunt*, ut apud Plin. XXXI, 10; Cic. Quint. 23, et pro Arch. 7. Gron. — *Rebatur* non nego etiam de eo dici posse, qui animi sententiam verbis expromit: sed sæpe talia in orationibus inculcata sunt, et omnia pendere possunt a verbis seqq. *hæc aliaque dicendo;* Duker. — *Eo nec in Hispania;* vide ad I, 11, n. 6. — *Nomina tantum ducum in H. R. haberent;* vide ad III, 65, n. 6. — Hinc Dukerus citat Heinsium ad Vell. Paterc. II, 30; Græv. ad Ciceronis Parad. IV, et Epist. ad Attic. V, 15. Vide quoque doctos viros ad Sueton. Cæs. 77. Ed.

9. *Trepida omnia*, trepidos, timidos omnes *esse*, *ut inconditam turbam tironum*; vide ad VIII, 30, n. 7.

populares modo, sed Ausetanos quoque, vicinam gentem, concitat, et alios finitimos sibi atque illis populos. Itaque intra paucos dies triginta millia peditum, quatuor ferme equitum in sedetanum agrum, quo edictum erat, convenerunt.

II. Romani quoque imperatores, L. Lentulus et L. Manlius Acidinus, ne glisceret prima[1] negligendo bellum, junctis et ipsi exercitibus, per agrum ausetanum, hostico, tanquam pacato, clementer ductis militibus, ad sedem hostium pervenere. Trium millium spatio procul a castris eorum posuerunt castra. Primo per legatos nequidquam tentatum, ut discederetur ab armis: dein, quum in pabulatores romanos impetus repente ab equitibus hispanis factus esset, submisso ab statione romana equitatu, prælium equestre fuit, haud sane memorando in partem ullam eventu. Sole oriente, postero die armati instructique omnes mille ferme passus procul a castris romanis aciem ostendere. Medii Ausetani erant: cornua dextrum Ilergetes, lævum[2] ignobiles tenebant hispani populi. Inter cornua et mediam aciem intervalla patentia satis late fecerant, qua equitatum, ubi tempus esset, emitterent. Et Romani, more suo exercitum quum instruxissent, id modo hostium imitati sunt, ut inter

Cap. II. 1. *Prima negligendo.* Sic restituit Rhenanus pro *primo*, quod ante eum vulgabatur. Gronovius proponit *principio*, hoc est, dum negligitur principium, secundum illud Nasonis *principiis obsta*. Sed vetus lectio *primo* Creverium non offendit, qui intelligit, negligendo eo quod primum esset. Certe, si quid mutandum, malo *prima*, ut τὸ *primo* ex librariorum errore ortum sit. Ed. — *Hostico, tanquam pacato;* vide ad VI, 31, n. 3, et VIII, 12, n. 11. *In hostico* quædam edd. antt. — *Clementer*, sine damno et vi, quæ in bello agris infertur prædando et populando.

2. *Cornua* (et quidem) *dextrum Ilergetes, lævum*, etc. conf. Drakenb. *Cornu* vett. edd. — *Qua equitatum, ubi tempus esset, emitterent;* vide ad III, 70, n. 2, et X, 5, n. 4. — *Id modo hostium* institutum, id tantum ex iis, quæ hostes fecerant, *imitati sunt, ut*, etc.

legiones et ipsi patentes equiti relinquerent vias. Cæterum Lentulus, ei parti usum equitis fore ratus, quæ prior in dehiscentem intervallis hostium aciem equites emisisset, Ser. Cornelio tribuno militum imperat, equites per patentes in hostium acie vias permittere equos[3] jubeat : ipse, cœpta parum prospere pedestri pugna, tantum moratus, dum cedenti duodecimæ legioni, quæ in lævo cornu adversus Ilergetes locata erat, tertiam decimam legionem ex subsidiis in primam aciem firmamentum ducit; postquam æquata ibi pugna est, ad L. Manlium, inter prima signa hortantem, ac subsidia, quibus res postulabat locis, inducentem, venit. Indicat tuta ab lævo cornu esse[4] : jam missum ab se Cornelium Servium procella equestri hostes circumfusurum. Vix hæc dicta dederat, quum romani equites, in medios invecti hostes, simul pedestres acies turbarunt, simul equitibus Hispanorum viam immittendi equos clauserunt. Itaque, omissa pugna equestri, ad pedestrem Hispani descenderunt. Romani imperatores, ut turbatos hostium ordines et trepidationem pavoremque et fluctuantia viderunt signa[5], hortantur, orant milites, *ut perculsos invadant, neu restitui aciem patiantur.* Non sustinuissent tam infestum impetum Barbari, ni regulus ipse Indibilis cum equitibus ad pedes degressis ante prima signa peditum se objecisset. Ibi aliquandiu atrox pugna stetit. Tandem postquam ii, qui circa regem, seminecem restantem[6], deinde pilo terræ affixum,

3. *Permittere equos;* vide supra ad librum II, cap. 56, n. 1, et lib. X, cap. 5, n. 4.

4. *Tuta ab* (in) *lævo cornu esse* omnia. — *Cornelium Servium* MSS pro *Ser. Cornelium;* vide ad III, 1, n. 1. — *Ad pedestrem* pugnam *Hispani descenderunt;* aliquot MSS et edd. *ad pedes,* ut mox *ad pedes degressis.* Cf. ad III, 62, n. 9.

5. *Fluctuantia viderunt signa;* vide ad III, 60, n. 8.

6. *Seminecem restantem;* vide ad IV, 58, n. 5.

pugnabant, obruti telis occubuerunt, tum fuga passim cœpta, pluresque cæsi, quia equos conscendendi equitibus spatium non fuerat, et quia perculsis acriter institerunt Romani : nec ante abscessum est, quam castris quoque exsuerunt hostem. Tredecim millia Hispanorum cæsa eo die, octingenti ferme capti. Romanorum sociorumque paulo amplius ducenti, maxime in lævo cornu, ceciderunt. Pulsi castris Hispani, aut qui ex prælio effugerant, sparsi primo per agros, deinde in suas quisque civitates redierunt.

III. Tum a Mandonio evocati in concilium conquestique ibi clades suas, increpitis auctoribus belli, legatos mittendos ad arma tradenda deditionemque faciendam censuerunt. Quibus, culpam in auctorem belli Indibilem cæterosque principes, quorum plerique in acie cecidissent, conferentibus, tradentibusque arma et dedentibus sese, responsum est: *In deditionem ita accipi*[1] *eos, si Mandonium cæterosque belli concitores tradidissent vivos : sin minus, exercitus se in agrum Ilergetum Ausetanorumque et deinceps aliorum populorum ducturos*. Hæc dicta legatis, renuntiataque in concilium : ibi Mandonius cæterique principes comprehensi et traditi ad supplicium. Hispaniæ populis reddita pax : stipendium ejus anni duplex et frumentum sex mensium imperatum sagaque et togæ exercitui[2], et obsides ab triginta ferme populis accepti. Ita Hispaniæ rebellantis tumultu, haud magno motu, intra paucos dies concito et compresso, in Africam

Cap. III. 1. *In deditionem accipi;* vide ad VIII, 20, n. 7. — *Belli concitores*, ut XXIII, 4; XXXVII, 45; XLV, 10. — *Deinceps;* vide supra ad I, 21, n. 8.

2. *Sagaque et togæ* imperatæ *exercitui*, in ejus usum. Conf. XXIX, 36; XLIV, 16, et supra XXII, 54, ubi Crev. suspicatur, togarum usum vel militibus fuisse in hibernis et otio castrorum, vel concessum honestioribus, centurionibus, equitibus, etc.

omnis terror versus. C. Lælius nocte ad Hipponem Regium[3] quum accessisset, luce prima ad populandum agrum sub signis milites sociosque navales duxit. Omnibus, pacis modo incuriose agentibus, magna clades illata; nuntiique trepidi Carthaginem terrore ingenti complevere, classem romanam Scipionemque imperatorem (et fama fuerat jam in Siciliam transgressum) advenisse : nec quot naves vidissent, nec quanta manus agros popularetur, satis gnari, omnia in majus, metu augente, accipiebant[4]. Itaque primo terror pavorque, dein mœstitia animos incessit : *tantum fortunam mutasse, ut, qui modo ipsi exercitum ante mœnia romana habuissent victores, stratisque tot hostium exercitibus, omnes Italiæ populos aut vi aut voluntate in deditionem accepissent, ii, verso marte, Africæ populationes et obsidionem Carthaginis visuri forent*[5], *nequaquam pari ad patienda ea robore, ac Romani fuissent. Illis romanam plebem, illis Latium juventutem præbuisse, majorem semper frequentioremque pro tot cæsis exercitibus subolescentem*[6]*: suam plebem imbellem in urbe, imbellem in agris esse : mercede parari auxilia ex Afris, gente ad omnem auram spei mobili atque infida. Jam reges, Syphacem post colloquium cum Scipione alienatum; Masinissam aperta defectione infestissimum hostem. Nihil usquam spei, nihil auxilii esse : nec*

3. *Ad Hipponem Regium;* conf. ad Silium, III, 259. — *Ad populandum agrum sub signis milites sociosque navales* (vide ad IX, 38, n. 1) *duxit,* ex more militiæ romanæ; Duk. Cf. ad XXIII, 42, n. 5, et Schel. ad Polyb. cap. 9. — *Pacis modo;* vide supra ad XXI, 33, n. 7.

4. *Omnia in majus accipiebant;* vide ad IV, 1, n. 6. — *Tantum fortunam mutasse* se; vid. II, 3, n. 2.

5. *Obsidionem Carthag. visuri forent;* vide ad VI, 42, n. 7.

6. *Majorem semper frequentioremque subolescentem;* vide ad VI, 1, n. 3. — Conf. et ad Horat. Od. IV, 4, 57. Ed. — *Ad omnem auram spei;* vide ad III, 33, n. 2.

Magonem ex Gallia movere tumultus quidquam, nec conjungere sese Hannibali : et Hannibalem ipsum jam et fama senescere, et viribus[7].

IV. In hæc deflenda prolapsos ab recenti nuntio animos rursus terror instans revocavit[1] ad consultandum, quonam modo obviam præsentibus periculis iretur. Delectus raptim in urbe agrisque haberi placet, mittere ad conducenda Afrorum auxilia, munire urbem, frumentum convehere, tela, arma parare, instruere naves ac mittere ad Hipponem adversus romanam classem. Jam hæc agentibus nuntius tandem venit, Lælium, non Scipionem, copiasque, quantæ ad incursiones agrorum satis sint, transvectas; summæ belli molem[2] adhuc in Sicilia esse. Ita respiratum, mittique ad Syphacem legationes aliosque regulos, firmandæ societatis causa, cœptæ. Ad Philippum quoque missi, qui ducenta argenti talenta pollicerentur, ut in Siciliam, aut in Italiam trajiceret. Missi et ad duos imperatores in Italiam, ut omni terrore Scipionem retinerent : ad Magonem non legati modo, sed viginti quinque naves longæ, sex millia peditum, octingenti equites, septem elephanti, ad hoc magna pecunia ad conducenda auxilia, quibus fretus propius urbem romanam exercitum admoveret, conjungeretque se Hannibali. Hæc Carthagine parabant agitabantque. Ad Lælium, prædas ingentes ex agro inermi ac nudo præsidiis agentem, Masinissa, fama romanæ classis excitus, cum equitibus paucis venit. Is *segniter rem agi ab Scipione* questus, *quod tum non jam exer-*

7. *Et fama senescere, et viribus ;* vide ad I, 22, n. 3.

CAP. IV. 1. *Rursus terror revocavit ;* vide ad XLIII, 20, n. 2.

2. *Summæ belli molem ;* vide ad I, 38, n. 4, et III, 5, n. 6. — *Ad duos imperatores*, Hannibalem Magonemque. — *Sed XXV naves longæ ;* vide ad I, 40, n. 1, et XXI, 17, n. 5. — *Ad hoc ;* vid. II, 23, n. 3.

citum in Africam trajecisset, perculsis Carthaginiensibus, Syphace impedito finitimis bellis, quem incertum hærere[3]*; si spatium ad sua, ut velit, componenda detur, nihil sincera fide cum Romanis acturum. Hortaretur et stimularet Scipionem, ne cessaret. Se, quanquam regno pulsus esset, cum haud contemnendis copiis affuturum peditum equitumque: nec ipsi Lælio morandum in Africa esse; classem credere profectam a Carthagine, cum qua, absente Scipione, non satis tutum esse contrahi certamen.*

V. Ab hoc sermone dimisso Masinissa, Lælius postero die naves præda onustas ab Hippone solvit, revectusque in Siciliam mandata Masinissæ Scipioni exposuit. Eisdem ferme diebus naves, quæ ab Carthagine ad Magonem missæ erant, inter[1] Albingaunos Ligures Genuamque accesserunt. In iis locis tum forte Mago tenebat classem: qui, legatorum auditis verbis, jubentium exercitus quam maximos comparare, extemplo Gallorum et Ligurum (namque utriusque gentis ingens ibi multitudo erat) concilium habuit. *Et missum se ad eos vindicandos in libertatem*, ait, *et, ut ipsi cernant, mitti sibi ab domo præsidia; sed, quantis viribus, quanto exercitu id bellum geratur, in eorum potestate esse. Duos exercitus romanos, unum in Gallia, alterum in Etruria esse: satis*

3. *Quem incertum hærere*, nunc etiam ambiguum esse dicebat, et conceptas inimicitias dissimulare; Gron. *Quem certum haberet* (vid. XXXVI, 28, n. 3).....*acturum* tres MSS et edd. ante Gron. prob. Doer. — *Tutum esse*. Sic, pro *esset*, edidit Jac. Gron. assentientibus MSS pluribus. Ed.

Cap. V. 1. *Inter Albingaunos*, quorum opp. *Albingaunum*, seu Albigaunum, hod. *Albenga*, in Ingaunis, populo Liguriæ; vid. Strab. IV, 6, 1, 2, pag. 202. *Inter Albingaunos Ligures Genuamque* situm opp., Savonem, *accesserunt* (conf. XXVIII, 46, et Cluver. Ital. Ant. I, 9, p. 68): ita h. l. edidit Drak. ex emend. Rhen. et ejus MS. Sed appellari ille locus debuisset, et revocanda potius est vulgata lectio *inter A. Liguresque Genuam*, ut *que* sit nempe, scilicet; Doer. Recte, opinor. Conf. ad II, 42, n. 7.

scire, Sp. Lucretium se cum M. Livio juncturum: multa millia ipsis etiam armanda esse, ut duobus ducibus, duobus exercitibus[2] *romanis resistatur.* Galli, *summam ad id suam voluntatem esse,* dicere; *sed, quum una castra romana intra fines, altera in finitima terra Etruria prope in conspectu habeant, si palam fiat, auxiliis adjutum ab sese Pœnum, extemplo infestos utrimque exercitus in agrum suum incursuros. Ea ab Gallis desideraret, quibus occulte adjuvari posset. Liguribus, quod procul agro urbibusque eorum castra romana sint, libera consilia esse: illos armare juventutem et capessere pro parte bellum, æquum esse.* Ligures haud abnuere; tempus modo duorum mensium petere ad delectus habendos. Interim Mago milites, Gallis dimissis, clam per agros eorum mercede conducere. Commeatus quoque omnis generis occulte ad eum a gallis populis mittebantur. M. Livius exercitum volonum ex Etruria in Galliam traducit, junctusque Lucretio, si se Mago ex Liguribus propius Urbem moveat[3], obviam ire parat; si Pœnus sub angulo Alpium quietus se contineat, et ipse in eadem regione circa Ariminum Italiæ præsidio futurus.

VI. Post reditum ex Africa C. Lælii, et Scipione stimulato Masinissæ adhortationibus, et militibus, prædam ex hostium terra cernentibus tota classe efferri, accensis ad trajiciendum quam primum, intervenit majori minor cogitatio, Locros urbem recipiendi, quæ sub defectionem Italiæ[1] desciverat et

2. *Duobus ducibus, duobus exercit.* vide ad X, 25, n. 9.

3. *Si se Mago...moveat.* Sigonius ex veteri libro omittendum *se* putat, ut voc. *moveat* absolute ponatur, ut ad X, 4; sed nihil mutantibus MSS, uni testi credere non tutum judicat Drak. Ed.

Cap. VI. 1. *Sub defectionem Italiæ;* vide ad I, 35, n. 1.

ipsa ad Pœnos. Spes autem affectandæ ejus rei[2] ex minima re affulsit. Latrociniis magis, quam justo bello, in Bruttiis gerebantur res; principio ab Numidis facto, et Bruttiis, non societate magis punica, quam suopte ingenio[3], congruentibus in eum morem. Postremo Romani quoque, jam contagione quadam rapto gaudentes, quantum per duces licebat, excursiones in hostium agros facere. Ab iis egressi quidam urbem Locrenses[4] circumventi Rhegiumque abstracti fuerant. In eo captivorum numero fabri quidam fuere, assueti forte apud Pœnos mercede opus in arce Locrorum facere. Ii, cogniti ab Locrensium principibus, qui pulsi ab adversa factione, quæ Hannibali Locros tradiderat, Rhegium se contulerant, quum cætera percunctantibus (ut mos est, qui diu absunt[5]), quæ domi agerentur, exposuissent, spem fecerunt, si redempti ac remissi forent, arcem se iis tradituros. Ibi se habitare, fidemque sibi rerum omnium inter Carthaginienses esse. Itaque, ut qui simul desiderio patriæ angerentur, simul cupiditate inimicos ulciscendi arderent, redemptis extemplo iis remissisque, quum ordinem agendæ rei composuissent signaque, quæ procul edita observarent, ipsi ad Scipionem Syracusas profecti, apud quem pars exsulum erat, referentes ibi promissa captivorum, quum spem ab effectu haud abhorrentem consuli fecissent; tribuni militum cum iis M. Sergius et P. Matienus missi, jussique ab Rhegio tria millia militum Locros ducere: et Q. Pleminio pro-

2. *Spes autem affectandæ ejus rei*, etc. forte del. vox *rei*, quæ mox bis repetitur, et ad *ejus* suppl. *urbis;* Gron. *Ex minima* vel *minimo affulsit* malebat Ant. Periz. Conf. ad I, 3, n. 8.

3. *Quam suopte ingenio;* vide supra ad librum XXVIII, cap. 12, not. 4.

4. *Egressi quidam urbem Locrenses;* vide ad II, 37, n. 5.

5. *Ut mos est, qui diu absunt:* post *est* quædam edd. addunt *iis.* Sed illud multo tenerius; Gron.

prætori scriptum[6], ut rei agendæ adesset. Profecti ab Rhegio, scalas ad editam altitudinem arcis fabricatas portantes, media ferme nocte ex eo loco, unde convenerat, signum dedere proditoribus arcis. Qui parati intentique et ipsi scalas ad id ipsum factas quum dimisissent, pluribusque simul locis scandentes accepissent, prius quam clamor oriretur, in vigiles Pœnorum, ut in nullo tali metu[7], sopitos impetus est factus. Quorum gemitus primo morientium exauditus; deinde subita consternatio ex somno et tumultus, quum causa ignoraretur; postremo certior res, aliis excitantibus alios. Jamque *ad arma* pro se quisque vocabat: *hostes in arce esse, et cædi vigiles.* Oppressique forent Romani, nequaquam numero pares, ni clamor, ab iis, qui extra arcem erant, sublatus, incertum, unde accidisset (omnia vana augente nocturno tumultu), fecisset[8]. Itaque velut plena jam hostium arce territi Pœni, omisso certamine, in alteram arcem (duæ sunt haud multum inter se distantes) confugiunt. Oppidani urbem habe-

6. *Q. Pleminio proprætori scriptum*, etc. Dukeri nota est: « Pighius in Ann. ad an. Urb. 548, pag. 215, putabat, eum, quum privatus esset, nec unquam prætor fuisset, extraordinarium a populo accepisse imperium, et Rhegium *pro prætore* missum fuisse. Sed non habeo exempla aliorum, qui, extraordinario imperio a populo accepto, legati imperatorum fuerint: nam Pleminius, cap. 8, 9, 16, *legatus Scipionis* vocatur; quod autem XXXV, 8, de Ti. Sempronio legitur, neque omnino simile, neque ipsum explicatu facile est. Præterea non video, quomodo Pleminius, si imperium a populo accepisset, a Scipione in catenas conjici potuisset; vid. cap. 41. Mihi Pleminius hic ita *prætor* dici videtur, ut *C. Centenius* XXII, 8 (ubi vid. not. 1), et alii ap. Gruch. cap. 5, Refutat. ad post. Sigon. Disput. Nec est, quod quis dicat, Pleminio *fasces et lictores* tribui c. 9: nam legati, mandante vel absente imperatore, imperium et ejus insignia habebant. Cf. Cic. ad Div. XII, 30, et Verr. I, 26, 28; Manut., Hotom. et Lambin. ad Cic. Verr. I, 22; Lips. de Mil. Rom. II, 11. » Conf. infra ad XXXVII, 1, n. 6.

7. *Ut in nullo tali metu*, quippe qui nihil ejusmodi metuerant. Conf. ad VIII, 30, n. 7.

8. *Incertum, unde accidisset. s. fecisset:* varia h. l. tentat Gron. Sed nihil mutandum esse, locus XLI, 2, docet; Drakenb. — Sensum ita cum

bant, victoribus præmium[9] in medio positam. Ex arcibus duabus præliis quotidie levibus certabatur. Q. Pleminius romano, Hamilcar punico præsidio præerat: arcessentes ex propinquis locis subsidia copias augebant. Ipse postremo veniebat Hannibal: nec sustinuissent Romani[10], nisi Locrensium multitudo, exacerbata superbia atque avaritia Pœnorum, ad Romanos inclinasset.

VII. Scipioni ut nuntiatum est, in majore discrimine Locris rem verti[1], ipsumque Hannibalem adventare; ne præsidium etiam periclitaretur, haud facili inde receptu, et ipse a Messana, L. Scipione fratre in præsidio ibi relicto, quum primum æstu fretum inclinatum est[2], naves mari secundo misit. Et Hannibal, a Butroto amni[3] (haud procul is ab urbe Locris abest) nuntio præmisso, ut sui luce prima summa vi prælium cum Romanis ac Locrensibus consererent, dum ipse, aversis omnibus in eum tumultum, ab tergo urbem incautam aggrederetur, ubi luce cœptam invenit pu-

Crev. expono: Ni clamor ab iis sublatus qui extra arcem erant fecisset incertum Pœnis, unde accidisset sonus; et ita cohibuisset Pœnos incertos utrum ab arce an ab vicinis arci locis instaret periculum, nocturno tumultu augente omnia, etiam vana. Ed.

9. *Victoribus præmium* quæ futura erat, *in medio positam* duarum arcium? Sed vide ad VI, 6, n. 7.

10. *Nec sustinuissent Romani*, scil. rem vel iram hostium. Ita *sustinere* simpl. dixit Cæs. B. G. II, 2, et Cic. ad Div. XII, 6.

Cap. VII. 1. *In majore discrimine rem verti;* vide supra ad librum III, cap. 27, n. 6.

2. *Æstu fretum inclinatum est*, freti aquæ propelli æstu in eam partem cœptæ sunt, versus quam Scipioni navigandum fuit; Crev. Conf. ad XXVI, 45, n. 4. — *Naves mari secundo*, prono aquæ cursu, seu fluctuum lapsu navigationem adjuvante, *misit*, immisit, nisi ex MS Hav. leg. *commisit:* nam ipse Scipio, ut ex seqq. discimus, simul his navibus vectus est; Doer.

3. *A Butroto amni*, quem Doujat. ex Barrio docet exiguum esse fluvium, qui in sinum Locrensem defluat, et hodie in Calabria ulteriori *Novito* dicatur. Sed aliis non memoratur. *Abuloto amni* Flor. et Put., unde Gron. emend. *ab Alece amni;* de quo vid. Thucyd. III, 99, et Strab. VI, 1, 9, p. 260, τοῦ δὲ Ἅλικος ποταμοῦ τοῦ διορίζοντος τὴν Ῥηγίνην ἀπὸ τῆς Λοκρίδος, etc.

gnam, ipse nec in arcem se includere, turba locum arctum impediturus, voluit; neque scalas, quibus scanderet muros, attulerat. Sarcinis in acervum conjectis, quum haud procul muris ad terrorem hostium aciem ostendisset, cum equitibus numidis circumequitabat urbem, dum scalæ, quæque alia ad oppugnandum opus erant, parantur, ad visendum qua maxime parte aggrederetur. Progressus ad murum, scorpione icto [4], qui proximus eum forte steterat, territus inde tam periculoso casu, receptui canere quum jussisset, castra procul ab ictu teli communiit. Classis romana a Messana Locros, aliquot horis die superante, accessit; expositi omnes e navibus, et ante occasum solis urbem ingressi sunt. Postero die cœpta ex arce a Pœnis pugna; et Hannibal, jam scalis aliisque omnibus ad oppugnationem paratis, subibat muros; quum repente in eum, nihil minus quam tale quidquam timentem, patefacta porta erumpunt Romani. Ad ducentos improvidos, quum invasissent, occidunt. Cæteros Hannibal, ut consulem adesse sensit, in castra recipit; nuntioque misso ad eos, qui in arce erant, ut sibimet ipsi consulerent, nocte motis castris abiit. Et qui in arce erant, igni injecto tectis, quæ tenebant, ut is tumultus hostem moraretur, agmen suorum fugæ simili cursu ante noctem assequuti sunt.

VIII. Scipio, ut et arcem relictam ab hostibus et vacua vidit castra, vocatos ad concionem Locrenses graviter ob defectionem incusavit: de auctoribus supplicium sumpsit, bonaque eorum alterius factionis principibus, ob egregiam fidem adversus Romanos,

4. *Scorpione icto* eo, *qui...absterritus inde* conj. Gron. — *Aliquot horis*, casus tertius pro *in* seu *ad a. horas;* Doer. Quod ad aliquot horas, *die superante*, ut apud Sallust. Jug. 97, et Gell. IX, 14, *decima parte die reliqua;* Gronov. Conf. supra ad VIII, 10, n. 1.

concessit. *Publice nec dare, nec eripere se quidquam Locrensibus*, dixit; *Romam mitterent legatos : quam senatus æquum censuisset*[1], *eam fortunam habituros. Illud satis scire, etsi male de populo romano meriti essent, in meliore statu sub iratis Romanis futuros, quam sub amicis Carthaginiensibus fuerint.* Ipse, Q. Pleminio legato præsidioque, quod arcem ceperat, ad tuendam urbem relicto, cum quibus venerat copiis, Messanam trajecit. Ita superbe et crudeliter habiti Locrenses ab Carthaginiensibus post defectionem ab Romanis fuerant, ut modicas injurias non æquo modo animo pati, sed prope lubenti possent. Verum enimvero tantum Pleminius Hamilcarem præsidii præfectum, tantum præsidiarii milites romani Pœnos scelere atque avaritia superaverunt, ut non armis, sed vitiis videretur certari. Nihil omnium, quæ inopi invisas opes potentioris faciunt, prætermissum in oppidanos est ab duce, aut a militibus : in corpora ipsorum, in liberos, in conjuges infandæ contumeliæ editæ. Nam avaritia ne sacrorum[2] quidem spoliatione abstinuit : nec alia modo templa violata, sed Proserpinæ etiam, intacti omni ætate, thesauri[3]; præterquam quod a Pyrrho, qui cum magno piaculo sacrilegii sui manubias retulit, spoliati dicebantur. Ergo sicut ante regiæ naves, laceratæ naufragiis, nihil in

Cap. VIII. 1. *Quam senatus æquum censuisset* eos habere.

2. *Nam avaritia ne sacrorum*, etc. vide ad III, 39, n. 8. — Quidam habent *jam avaritia;* sed optimi dant *nam;* et sane *nam* et *jam* ejusdem potestatis esse, atque eleganter translationi vel connectendæ orationi inservire docuerunt Perizon. ad Valer. Max. I, 6, 10, et Duker. ad Flori præf. § 2, quos laudat Drak. Ed.

3. *Proserpinæ intacti omni ætate thesauri*, pecunia sacra, in ejus templo recondita (conf. seqq.), aut forte, ut gr. θησαυροὶ, magnorum templorum ædiculæ, in quibus singulæ civitates sua seorsum donaria reponebant; vid. Schweigh. ad Appian. de reb. Ital. Fragm. 8, et Valcken. ad Herodot. IV, 162. — *A Pyrrho, qui cum magno piaculo sacrilegii...spoliati;* vide ad cap. 18, n. 2, 3.

terram integri, præter sacram pecuniam Deæ, quam absportabant, extulerant; tum quoque alio genere cladis eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem objecit[4], atque inter se ducem in ducem, militem in militem rabie hostili vertit.

IX. Summæ rei Pleminius præerat : militum pars sub eo, quam ipse ab Rhegio abduxerat, pars sub tribunis erat. Rapto poculo argenteo ex oppidani domo Pleminii miles fugiens, sequentibus quorum erat, obvius forte Sergio et Matieno tribunis militum[1] fuit. Cui quum jussu tribunorum ademptum poculum esset, jurgium inde et clamor, pugna postremo orta inter Pleminii milites tribunorumque; ut suis quisque opportunus advenerat, multitudine simul ac tumultu crescente. Victi Pleminii milites quum ad Pleminium, cruorem ac vulnera ostentantes, non sine vociferatione atque indignatione concurrissent, probra in eum ipsum jactata in jurgiis referentes; accensus ira domo sese proripuit, vocatosque tribunos nudari, ac virgas expediri jubet. Dum spoliandis iis (repugnabant enim, militemque implorabant[2]) tempus teritur, repente milites, feroces recenti victoria, ex omnibus locis, velut adversus hostes ad arma conclamatum esset, concurrerunt; et quum violata jam virgis corpora tribunorum vidissent, tum vero in multo impotentiorem subito rabiem accensi, sine respectu, non majestatis modo, sed etiam humani-

4. *Contactis ea violatione templi furorem objecit;* vide ad II, 5, n. 3; V, 15, n. 6, et VI, 28, n. 2.

Cap. IX. 1. *Sergio et Matieno tribunis mil.*, etc. Causam irarum inter Pleminium et tribunos, a Diodoro in Exc. Peiresc. pag. 285, memoratam, præterit Livius; Duk. *Sub his tribunis pars* erat militum, tria millia; vide ad cap. 6.

2. *Militemque implorabant :* vulgo *militumque auxilium* vel *fidem*. — *In multo impotentiorem rabiem;* vide ad III, 36, n. 2. — *Lictoribus indignum in modum mulcatis;* vide supra ad III, 11, n. 3, et XXIX, 6, n. 6.

tatis, in legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum mulcatis, faciunt : tum ipsum, ab suis interceptum et seclusum, hostiliter lacerant, et prope exsanguem, naso auribusque mutilatis, relinquunt. His Messanam nuntiatis, Scipio, post paucos dies Locros hexeri advectus [3], quum causam Pleminii et tribunorum audisset, Pleminio noxa liberato relictoque in ejusdem loci præsidio, tribunis sontibus judicatis et in vincula conjectis, ut Romam ad senatum mitterentur [4], Messanam atque inde Syracusas rediit. Pleminius impotens iræ [5], neglectam ab Scipione et nimis leviter latam suam injuriam ratus, nec quemquam æstimare alium eam litem posse, nisi qui atrocitatem ejus patiendo sensisset, tribunos attrahi ad se jussit laceratosque omnibus, quæ pati corpus ullum potest, suppliciis interfecit; nec satiatus vivorum pœna, insepultos projecit [6]. Simili crudelitate et in Locrensium principes est usus, quos ad conquerendas injurias ad P. Scipionem profectos audivit; et, quæ antea per libidinem atque avaritiam fœda exempla in socios ediderat, tunc ab ira multiplicia edere [7] : infamiæ

3. *Scipio Locros hexeri advectus*, Syracusana fortassis: nam hoc genus navium magis in usu erat Græcis, quam Romanis; Duk. Conf. Scheffer. de Mil. nav. II, 2, et Periz. ad Ælian. V. H. VI, 12. *Hexeres* et *hepteres* sic dicebantur a numero ordinum, quibus remi structi erant; Ern. Conf. ad XXXIII, 30, n. 4, et XXXVII, 23, n. 5.

4. *Ut Romam ad senatum mitterentur :* « atqui ipse pro imperio in sontes animadvertere poterat. Credo, ei non tam militare delictum, quam crimen adversus rempublicam ab iis admissum visum fuisse ». Duk.

5. *Pleminius impotens iræ;* vide ad III, 36, n. 2. — *Æstimare eam litem;* vide ad XXXVIII, 55, n. 5. — *Æstimare litem*, ut notat Crev. est proprie decernere quænam pecuniæ summa a damnato exsolvenda sit, sive in piaculum noxæ, sive ad resarcienda incommoda quæ illata sibi ab eo esse quispiam queratur. Hic figurate sumitur pro, statuere æquum ultionis modum. Ed.

6. *Insepultos projecit;* conf. supra ad I, 49, n. 1.

7. *Ab ira multiplicia edere;* vide ad I, 1, n. 5. — *Invidiæ non sibi modo esse*, odium non sibi modo ipse

atque invidiæ non sibi modo, sed etiam imperatori, esse.

X. Jam comitiorum appetebat tempus, quum P. Licinii consulis literæ Romam allatæ, *se exercitumque suum gravi morbo affectari*[1]; *nec sisti potuisse, ni eadem vis mali, aut gravior etiam, in hostes ingruisset. Itaque, quoniam ipse venire ad comitia non posset, si ita Patribus videretur, se Q. Cæcilium Metellum dictatorem comitiorum causa dicturum : exercitum Q. Cæcilii dimitti, e republica esse. Nam neque usum ejus ullum in præsentia esse, quum Hannibal jam in hiberna suos receperit, et tanta incesserit in ea castra vis morbi*[2], *ut, nisi mature dimittantur, nemo omnium superfuturus videatur.* Ea consuli a Patribus facienda, ut e republica fideque sua duceret[3], permissa. Civitatem eo tempore repens[4] religio invaserat, invento carmine in libris Sibyllinis[5], propter crebrius eo anno de cælo lapidatum inspectis. *Quandoque ho-*

credebat, *sed etiam imperatori,* Scipioni, talia non inhibenti.

Cap. X. 1. *Literæ Romam allatæ, se... morbo affectari;* vide ad VIII, 19, n. 10. *Affectari* optimi MSS, forte pro *affici* dictum. *Afflictari* 6 MSS, et quædam edd. antt. prob. Duker. *Attentari* conj. Gron. Sic passim *tentari morbo* pro affligi m., et πειράζεσθαι παραλύσει apud Cic. ad Attic. XVI, 7. — Huc quoque afferunt exemplum e Plauto Bacchid. Act. III, sc. 1 : « Damna, quibus patrem teque affectas ». Ed. — *Nec sisti potuisse;* vide ad II, 29, n. 7.

2. *Incesserit in ea castra vis morbi;* vide ad XXVIII, 46, n. 7.

3. *Ut e rep. fideque sua duceret;* vid. XXII, 39, n. 1.

4. *Civitatem eo tempore repens,* repentina, repente, *religio invaserat;* vide supra ad II, 5, n. 4. *Recens* Put. *ingens* al.

5. *Invento carmine in libris Sibyllinis,* etc. hæc et ea, quæ cap. 11 et 14 memorantur, tradunt etiam Cic. Har. Resp. 13; Plin. VII, 35; Ovid. Fast. IV, 249-348; Appian. Bell. Han. cap. 56; Herodian. I, 11; Dio Cass. Fragm. 63, pag. 606, ed. Reim. Sil. XVII, 1-45, et Diod. in Exc. Peiresc. pag. 381, qui solus tradit, eosdem libros præcepisse, ut vir optimus virorum, femina optima mulierum agmen præiret, et a senatu P. Nasicam virum optimum, Valeriam feminam optimam judicatam fuisse. — *Propter crebrius eo anno de cælo lapidatum;* vide ad I, 31, n. 1; I, 53, n. 1; XXVII, 37, n. 1. — *Quandoque,* al. *quando-*

stis alienigena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia vincique posse, si Mater Idæa[6] *a Pessinunte Romam advecta foret.* Id carmen ab decemviris inventum eo magis Patres movit, quod et legati, qui donum Delphos portaverant, referebant : et sacrificantes ipsos Pythio Apollini litavisse, et responsum oraculo editum, majorem multo victoriam, quam cujus ex spoliis dona portarent, adesse populo romano. In ejusdem spei summam[7] conferebant P. Scipionis velut præsagientem animum de fine belli, quod depoposcisset provinciam Africam. Itaque quo maturius fatis, ominibus oraculisque portendentis sese victoriæ compotes fierent, id cogitare, quæ ratio transportandæ Romam Deæ esset.

XI. Nullas dum in Asia civitates[1] socias habebat populus romanus. Tamen memores, Æsculapium quoque[2] ex Græcia quondam, haud dum ullo fœdere sociata, valetudinis populi causa arcessitum, et jam cum Attalo rege, propter commune adversus Philippum bellum, cœptam amicitiam esse, facturum eum, quæ possit, populi romani causa, legatos ad eum decer-

cumque ; vide supra ad I, 24, n. 4.

6. *Mater Idæa*, Cybele, quæ in primis colebatur *Pessinunte*, capite Gallorum, seu Celtarum Tolistoboiorum in Galatia, parte majoris Phrygiæ, in qua montes sunt Ida, Berecyntus et Dindymus, seu Dindyma; unde Magna Mater deum etiam *Mater Idæa*, Berecyntia et Dindymene dicebatur. — *Ab decemviris;* vide ad III, 10, n. 6. — *Litavisse;* vide supra ad lib. V, cap. 38, n. 1.

7. *In ejusdem spei summam* (vide ad III, 5, n. 6, et III, 61, n. 4) ad eam augendam *conferebant*, addebant, vel eodem referebant. — Ex carminibus Sibyllinis et responso Apollinis exsistebat jam veluti quædam spei summa, cui aliquid momenti accedebat ex illa Scipionis magna animo præsagientis fiducia. Ed. — *Depoposcisset prov. Africam;* vid. XXVIII, 40 sq. — *Fatis*, crebris lapidum imbribus, *ominibus*, præsagiis Scipionis, *oraculis*, Sibyllino et Delphico.

Cap. XI. 1. *Nullas dum civitates;* vide ad V, 34, n. 4.

2. *Æsculapium quoque*, etc. vide ad X, 47, n. 8. — Rem fuse narrat Freinshemius in Supplem. lib. XI, capp. 12-15. Ed. — *Facturum eum*, scil. memores, i. e. secum reputantes.

nunt, M. Valerium Lævinum, qui bis consul[3] fuerat ac res in Græcia gesserat, M. Cæcilium Metellum prætorium, Ser. Sulpicium Galbam ædilitium, duos quæstorios, Cn. Tremellium Flaccum et M. Valerium Faltonem. His quinque naves quinqueremes, ut ex dignitate populi romani adirent eas terras, ad quas concilianda majestas nomini romano esset, decernunt. Legati Asiam petentes protenus Delphos quum escendissent, oraculum adierunt, consulentes, ad quod negotium domo missi essent, perficiendi ejus quam sibi spem populoque romano portenderet. Responsum esse ferunt, *Per Attalum regem compotes ejus fore, quod peterent. Quum Romam Deam devexissent, tum curarent, ut eam, qui vir optimus Romæ esset, hospitio exciperet.* Pergamum ad regem venerunt: is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit; sacrumque iis lapidem, quam Matrem deum esse incolæ dicebant[4], tradidit, ac deportare Romam jussit. Præmissus ab legatis M. Valerius Falto nuntiavit, Deam apportari: quærendum virum optimum in civitate esse, qui eam rite hospitio

3. *M. Valerium Lævinum, qui bis consul fuerat;* sed unius tantum consulatus mentio fit (vide ad XXVI, 22): unde patet, Livio h. l. et XXX, 23, ubi eadem repetuntur verba, alios annales ad manus fuisse. Conf. Periz. Anim. hist. cap. 8, p. 356. — *Delphos quum escendissent;* vide ad II, 7, n. 7, et XLII, 15, n. 3.

4. *Sacrumque lapidem, quam Matrem deum esse incolæ dicebant,* quadrangularem; de quo vid. Herodian. I, 11; Appian. B. Hann. 56; Ammian. Marcell. XXII, 22; Arnob. adv. gent. VI, p. 196; VII, p. 253, ed. Lugd. Nota vero res est, prima deorum simulacra rudes informesque fuisse vel truncos vel lapides, et lapides cælo delapsos, λίθους ἐμψύχους, βαιτύλια ξόανα, etc. Conf. Potteri Archæol. lib. II, c. 2; *Falconet, Diss. des Bétyles, Mém. de l'Académie des Belles-Lettres,* t. VI et XXIII; Fr. Münteri *Sammenligning mellem de Gamles Bætylier og de i nyere Tider fra Himlen nedfalane Stene,* Hafniæ 1804; cujus docti libelli epitome vid. in Leipz. *N. Lit. Zeit.* a. 1805, sc. 73, p. 1163 sq. Cuper. ad Script. de Mort. Persecut. cap. 11. *Quam* e MS Cant. pro vulg. *quem;* vide supra ad XXIV, 42, n. 6.

exciperet. Q. Cæcilius Metellus dictator ab consule [5] in Bruttiis comitiorum causa dictus, exercitusque ejus dimissus; magister equitum L. Veturius Philo: comitia per dictatorem habita. Consules facti M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus absens, quum provinciam Græciam haberet. Prætores inde creati, Ti. Claudius Nero, M. Marcius Ralla, L. Scribonius Libo, M. Pomponius Matho. Comitiis peractis, dictator sese magistratu abdicavit. Ludi Romani ter, plebeii septies instaurati. Curules erant ædiles Cn. et L. Cornelii Lentuli. Lucius Hispaniam provinciam habebat: absens creatus, absens eum honorem gessit. Ti. Claudius Asellus [6] et M. Junius Pennus plebeii ædiles fuerunt. Ædem Virtutis eo anno ad portam Capenam M. Marcellus dedicavit, septimodecimo anno postquam a patre ejus primo consulatu vota in Gallia ad Clastidium fuerat [7]. Et flamen martialis eo anno est mortuus M. Æmilius Regillus.

XII. Neglectæ eo biennio res in Græcia erant [1]. Itaque Philippus Ætolos, desertos ab Romanis, cui uni videbant auxilio, quibus voluit conditionibus, ad petendam et paciscendam subegit pacem. Quod nisi omni vi perficere maturasset, bellantem eum cum Ætolis P. Sempronius proconsul [2], successor imperii

5. *Q. Cæcilius Metellus dictator ab consule* P. Licinio, etc. conf. cap. 10. — *Ludi Romani ter, plebeii septies instaurati;* vide ad II, 36, n. 1.

6. *Ti. Claudius Asellus;* MSS *T. Claudius Asilus.*

7. *Ædem Virtutis... ad Clastidium fuerat;* vid. XXI, 48, n. 7; XXV, 40, n. 2, et XXVII, 25, n. 4-7. *Primo consulatu* a. U. 530. — *Flamen martialis*, etc. vid. XXIV, 8, n. 4. — Ibi enim appellatus est flamen quirinalis. Creverius fatetur se cogi in dubium relinquere, utrum hic flamen martialis alius ab illo sit, an idem duo habuerit sacerdotia, an memoria Livium fefellerit. Ed.

Cap. XII. 1. *Neglectæ eo biennio res in Græcia;* vide ad XXVIII, 8, n. 5. Mox *desertos ab Romano... auxilio* MSS fere omnes. Vulgata debetur Rhen. et doctior est, sed auctoritate impar.

2. *P. Sempronius proconsul*, qui

missus Sulpicio, cum decem millibus peditum et mille equitibus et triginta quinque rostratis navibus (haud parvum momentum ad opem ferendam sociis) oppressisset. Vixdum pace facta, nuntius regi venit, Romanos Dyrrhachium venisse, Parthinosque[3] et propinquas alias gentes motas esse ad spem novandi res, Dimallumque oppugnari. Eo se verterant Romani ab Ætolorum, quo missi erant, auxilio, irati, quod sine auctoritate sua adversus fœdus cum rege pacem fecissent. Ea quum audisset Philippus, ne qui motus major in finitimis gentibus populisque oriretur, magnis itineribus Apolloniam contendit; quo Sempronius se receperat, misso Lætorio legato cum parte copiarum et quindecim navibus in Ætoliam, et ad visendas res[4], pacemque, si posset, turbandam. Philippus agros Apolloniatium vastavit, et, ad urbem admotis copiis,

provinciam Græciam acceperat cum imperio proconsulari, etsi nondum consul fuerat. Conf. cap. 11, et ad XXVIII, 38, n. 4. — *Haud parvum momentum ad*, etc. vid. I, 47, n. 7.

3. *Parthinos*, seu Parthenos (græce Παρθινοὶ, Παρθεινοὶ et Παρθηνοὶ), populum Illyrici, cujus caput Parthus non longe a Dyrrhachio aberat. Conf. Intpp. Strab. VII, 7, 8, pag. 326; Schweigh. ad Polyb. II, 11, § 11; VII, 9, § 13; XVIII, 30, § 12; Fabric. ad Dion. XLI, 49. — *Novandi res;* vide ad I, 52, n. 1. — *Dimallumque;* vide ad not. 6. — *Ab Ætolorum, quo missi erant, auxilio,* ab itinere, quo ad auxilium Ætolis ferendum missi fuerant; Doer. Verba *Romani ab Ætolorum, quo missi erant* ab optimis MSS absunt, et abesse possunt, judice Gron., modo legeris *auxilia*, h. e. Romani imperatore Sulpicio in auxilium Ætolis missi; unde *irati,* voce ad sensum relata, ut passim similia; vide supra ad I, 41, n. 1; XXIX, 31, n. 3; XXXVIII, 46, n. 3; ad Sil. V, 495, et X, 306. Sed durum sic est, omitti h. l. subjectum, *Ætolos,* quo verbum *fecissent* referendum. — Solum Victor. vulgatam tueri auctor est Creverius, qui, quum ea lectio nihil Livio indignum sapiat, non arbitratur tam sanctam debere esse aliquot egregiorum quidem codicum, sed multis in locis manifeste mutilorum auctoritas, ut truncam abruptamque, et parum claram loquendi figuram pro Liviana agnoscamus. Ei tantum non assentitur Drak., additque facillime hæc verba negligentia scribarum excidere potuisse ob similitudinem inter ultimas literas τοῦ *verterant* et vocem *erant*. Ed. — *Adversus fœdus;* conf. XXVI, 24.

4. *Et ad visendas res* (vide supra ad lib. XXI, cap. 6, n. 4), *pacemque,*

potestatem pugnæ Romano fecit. Quem postquam quietum muros tantummodo tueri vidit, nec satis fidens viribus, ut urbem oppugnaret, et cum Romanis quoque, sicut cum Ætolis, cupiens pacem, si posset, sin minus, inducias facere, nihil ultra irritatis novo certamine odiis, in regnum se recepit. Per idem tempus, tædio diutini belli, Epirotæ, tentata prius Romanorum voluntate, legatos de pace communi ad Philippum misere; satis confidere, conventuram eam, affirmantes, si ad colloquium cum P. Sempronio imperatore romano venisset: facile impetratum (neque enim ne ipsius quidem regis abhorrebat animus), ut in Epirum transiret. Phœnice urbs est Epiri[5]: ibi prius colloquutus rex cum Æropo et Darda et Philippo, Epirotarum prætoribus; postea cum P. Sempronio congreditur: affuit colloquio et Amynander Athamanum rex, et magistratus alii Epirotarum et Acarnanum. Primus Philippus prætor verba fecit, et petiit simul ab rege et ab imperatore romano, ut finem belli facerent, darentque eam Epirotis veniam. P. Sempronius conditiones pacis dixit, ut Parthini et Dimallum et Bargulum et Eugenium[6] Romanorum essent: Atintania, si, missis Romam legatis, ab senatu impetrasset, Macedoni accederet. In eas conditiones quum

et ad pacem, etc. Conf. Drak. Sed τὸ *et* abest ab optimis MSS, et recte forsan deletum est a Crev. et Doer.

5. *Phœnice urbs est Epiri* munitissima opulentissimaque (vid. Polyb. II, 5; II, 8; XVI, 27; XXXII, 22, 24), in Chaonia aut Thesprotia. Illud docet Ptolem., hoc Strabo, VII, 7, 4, p. 324, nisi Buthrotum ibi pro Paxormo irrepsisse recte monuit Cellar. — *Athamanum rex*, qui accensetur *magistratibus Epirotarum*, quod Athamania subjecta fuit imperio epirotico; Doer.

6. *Dimallum*, *Bargulum et Eugenium* loca Illyrici Macedonici. *Dimallum*, seu *Dimallus*, ἡ Δίμαλος; et Διμάλη vel Διμάλλη, *Parthinorum* opp. aut iis certe vicinum apud Polyb. III, 18, § 1, et VII, 9, § 13. *Bargulum* forte id. qd. Βάργαλα in Hieroclis Synecdemo, p. 621, et Constantini de Themat. lib. II, p. 87. — *Atintania*; vide ad XXVII, 30, n. 10. —

pax conveniret, ab rege fœderi adscripti Prusia Bithyniæ rex, Achæi, Bœoti, Thessali, Acarnanes, Epirotæ: ab Romanis Ilienses, Attalus rex, Pleuratus, Nabis Lacedæmoniorum tyrannus, Elei, Messenii, Athenienses. Hæc conscripta consignataque sunt, et in duos menses inducíæ factæ, donec Romam mitterentur legati, ut populus in has conditiones pacem juberet: jusseruntque omnes tribus, quia, verso in Africam bello, omnibus aliis in præsentia levari volebant bellis. P. Sempronius, pace facta, ad consulatum Romam decessit.

XIII. P. Sempronio, M. Cornelio consulibus (quintus decimus is annus punici belli erat) provinciæ, Cornelio Etruria cum vetere exercitu[1], Sempronio Bruttii, ut novas scriberet legiones, decretæ. Prætoribus, M. Marcio urbana, L. Scribonio Liboni peregrina, et eidem Gallia, M. Pomponio Mathoni Sicilia, Ti. Claudio Neroni Sardinia evenit. P. Scipioni cum eo exercitu, cum ea classe, quam habebat, prorogatum in annum imperium est: item P. Licinio, ut Bruttios cum duabus legionibus obtineret, quoad eum in provincia cum imperio morari consuli e republica visum esset. Et M. Livio et Sp. Lucretio, cum binis legionibus, quibus adversus Magonem Galliæ præsidio fuissent, prorogatum imperium est. Et Cn. Octavio, ut, quum Sardiniam legionemque Ti. Claudio tradidisset,

Macedoni accederet ex emend. Gron. *Macedoniæ cederet* optimi MSS. Forte leg. *Macedoniæ accederet.*

Cap. XIII. 1. *Cornelio Etruria cum vetere exercitu*, scilicet, duarum urbanarum legionum, quas M. Valerius Lævinus superiore anno Arretium duxerat, quum M. Livius, exercitu volonum in Galliam ducto, se ibi cum Sp. Lucretio conjunxisset; Duk. coll. XXVIII, 46; XXIX, 5. Idem et Drak. mox conj. *et ut novas*, etc. — *M. Marcio urbana evenit;* vide ad II, 40, n. 9. — *Quoad morari consuli e republica visum esset;* vid. XXII, 39, n. 1. — *Et M. Livio ... prorogatum imperium est* in Gallia (vid. cap. 5, et XXVIII, 10, 46): sed ex cap. 37,

ipse navibus longis quadraginta maritimam oram, quibus finibus senatus censuisset, tutaretur. M. Pomponio prætori in Sicilia cannensis exercitus duæ legiones decretæ. T. Quintius Tarentum, C. Hostilius Tubulus Capuam, proprætores, sicut priore anno [2], cum vetere uterque præsidio, obtinerent. De Hispaniæ imperio, quos in eam provinciam duos proconsules mitti placeret, latum ad populum est. Omnes tribus eosdem, L. Cornelium Lentulum et L. Manlium Acidinum, proconsules [3], sicut priore anno tenuissent, obtinere eas provincias jusserunt. Consules delectum habere instituerunt, et ad novas scribendas in Bruttios legiones, et in cæterorum (ita enim jussi ab senatu erant) exercituum supplementum.

XIV. Quanquam nondum aperte Africa provincia decreta erat (occultantibus id, credo, Patribus, ne præsciscerent Carthaginienses [1]), tamen in eam spem erecta civitas erat, in Africa eo anno debellatum iri, finemque bello punico adesse. Impleverat ea res superstitionum animos, pronique et ad nuntianda, et ad credenda prodigia erant. Eo plura vulgabantur. *Duos soles visos* [2], *et nocte interluxisse; et facem Se-*

et XXX, 1, probabile est, cum non ita multo post, provincia C. Scribonio tradita, Romam ad censuram petendam rediisse: et potuit ei provincia prorogari, quoad successor venisset; Duker.

2. *T. Quintius Tarentum.....sicut priore anno*, quod tamen Livius, XXVIII, 10 et 45, annotare oblitus est, et nunc memorat, quasi suo loco tradidisset. Id frequenter ei, multitudine rerum, quæ exponendæ erant, quasi obruto, evenisse, observat Periz. Anim. hist. cap. 4, p. 168, 169. An legendum *Q. Claudius?* Certe non est T. Quintius Flamininus; vid. XXXII, 7. — Hunc tamen intelligit Creverius: nam fieri potuit ut Claudius postquam ei prorogatum imperium fuerat, vel moreretur, vel aliquo casu aut negotio impeditus e provincia decesserit, eique successor Quintius missus fuerit. Ed.

3. *In eam provinciam* Hispaniam *duos proconsules mitti...proconsules*, etc. vide ad XXVIII, 38, n. 4.

Cap. XIV. 1. *Ne præsciscerent Carthaginienses;* v. XXVII, 35, n. 4. *Præscriberent, præscirent* et *rescirent* al.

2. *Duos soles visos*, etc. vide ad

tiæ ab ortu solis ad occidentem porrigi visam: Tarracinæ portam, Anagniæ et portam et multis locis murum de cælo tactum: in æde Junonis Sospitæ Lanuvii cum horrendo fragore strepitum editum. Eorum procurandorum causa diem unum supplicatio fuit; et novemdiale sacrum, quod de cælo lapidatum esset, factum[3]. Eo accessit consultatio de Matre Idæa accipienda, quam, præterquam quod M. Valerius, unus ex legatis prægressus, actutum in Italia fore nuntiaverat, recens nuntius aderat, Tarracinæ jam esse. Haud parvæ rei judicium senatum tenebat, qui vir optimus in civitate esset: veram certe victoriam[4] ejus rei sibi quisque mallet, quam ulla imperia honoresve, suffragio seu Patrum, seu plebis delatos. P. Scipionem, Cn. filium, ejus qui in Hispania ceciderat, adolescentem nondum quæstorium, judicaverunt in tota civitate virum bonorum optimum esse. Id quibus virtutibus inducti ita judicarint, sicut proditum a proxi-

I, 31, n. 1. — *Interluxisse*, inter tenebras luxisse: quod indicat, non diu durasse lucem illam, sed mox rediisse noctis habitum consuetum, fulgore illo interruptum; Gronov. qui recte damnat emendat. Lipsii: *et internoctu* (ut *interdiu*) *luxisse*, monetque, Veteres quidem dixisse *noctu* et *nocte*, ut *diu* et *die*, non vero *internoctu* (quod Lips. etiam Livio, XXXII, 29, et Gellio, III, 2, obtrudit pro *inter noctem*), ut *interdius* et resecto uno elemento *interdiu* pro *interim* vel *interea dum diust* vel *dies est*, ut *nudiustertius* et *nudiusquartus* pro *nunc diust* vel *dies est tertius* et *quartus*. — *Facem Setiæ* ex emend. Rhen. In optimis MSS *steliæ*, *stelliæ* et *stellæ*. Posterius probandum putabat Jac. Gron. nec requirendum oppidi nomen. Cf. tamen XXX, 2; XLI, 16, 21; XLIII, 13; XLV, 16; Jul. Obseq. cap. 70, 71, 83, 105. His locis et nostro *faces* in cælo forte sunt stellæ cadentes; de quarum trajectionibus, ἀποῤῥοίαις, vid. Heyn. ad Virg. Georg. I, 365, et Æn. II, 694. Conf. tamen *die Prodigien, von Steger*, p. 34-44.

3. *Novemdiale sacrum ... factum*; vide ad I, 31, n. 3, et XXVII, 37, n. 1. — *Qui vir optimus in civitate esset*, a quo Dea hospitio exciperetur. Conf. cap. 11.

4. *Veram certe victoriam ejus rei sibi quisque mallet*; in MS Gud. *malle*, ut non sit judicium auctoris, sed expositio habitus animorum inter proceres; Gron. — *Adolescentem nondum quæstorium*, nondum ea ætate, qua quæstura peti poterat; Duk. Cf.

mis memoriæ temporum illorum scriptoribus[5] libens posteris traderem; ita meas opiniones, conjectando rem vetustate obrutam, non interponam. P. Cornelius cum omnibus matronis Ostiam ire jussus obviam Deæ, isque eam de nave accipere, et in terram elatam tradere ferendam matronis. Postquam navis ad ostium amnis Tiberini accessit, sicut erat jussus, in salum nave evectus, ab sacerdotibus Deam accepit, extulitque in terram. Matronæ primores civitatis[6], inter quas unius Claudiæ Quintæ insigne est nomen, accepere: cui dubia, ut traditur, antea fama clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit. Eæ per manus[7], succedentes deinceps aliæ aliis, omni effusa civitate obviam[8], thuribulis ante januas positis, qua præferebatur, atque accenso thure, precantibus, ut volens propitiaque urbem romanam iniret, in ædem Victoriæ, quæ est in Palatio, pertulere Deam pridie

supra ad librum XXV, cap. 2, n. 4.

5. *Proditum a proximis...scriptoribus* (conf. ad XXV, 11 extr.), h. e. si proditum, traditum esset vel fuisset, etc. vide ad III, 47, n. 8, et V, 2, n. 7. Non dubito, quin hæc sit sententia; sed *proditum* ita recte dici, non satis liquet ex iis, quæ Gron. hic annotavit et ad IX, 18, ubi omnia ad tempus futurum, non, ut hic, ad præteritum, respiciunt; Duk.

6. *Matronæ primores civitatis*, etc. a quibus navem quoque tractam fuisse alii tradunt, plurimi vero a *Claudia Quinta*, Appii Cæci nepte, quæ aliis, sed non nisi recentioribus et poetis (forte quia non raro pudicitia Vestalium suspecta fuit, vel alius *Claudiæ Vestalis* celebre nomen et facinus ex Cic. pro Cœl. 14, et Sueton. Tib. 2, notum, errorem peperit; quod Duk. suspicatur), *virgo Vestalis* aut *virgo* certe dicitur, navemque vadis hærentem sola fune vel adeo crine, aut zona, seu cingulo traxisse divina ope adjuta et ita *pudicitiam* probasse perhibetur. De varia hac fabulæ exornatione, vide ad Sil. XVII, 16, 33 sq. et auctores supra ad cap. 10, n. 5, laudatos; et de agnominibus feminarum, ab ordine nascendi peritis, *Secunda*, *Tertia*, *Quarta*, *Quinta*, ad Tac. Ann. IV, 64, n. 4; Sigon. de Nom. Rom. cap. 3, et Emendat. I, 17.

7. *Eæ per manus*, etc. vide ad I, 3, n. 7; I, 21, n. 8, et XXVII, 37, n. 8.

8. *Omni effusa civitate obviam* et *precantibus;* vide ad I, 14, n. 7; I, 41, n. 1, et III, 47, n. 1. — *Thuribulis ante januas positis;* vid. Casaub. ad Suet. Calig. 13. — *Volens propitiaque;* vide ad I, 16, n. 4. — *Pertulere Deam*, etc. quod tamen Scipio fecisse dicitur XXXVI, 36, n. 2.

idus aprilis; isque dies festus fuit. Populus frequens dona Deæ in Palatium tulit, lectisterniumque et ludi fuere, Megalesia [9] appellata.

XV. Quum de supplemento legionum, quæ in provinciis erant, ageretur; *tempus esse*, a quibusdam senatoribus subjectum est [1], *quæ dubiis in rebus utcumque tolerata essent, ea, dempto jam tandem deum benignitate metu, non ultra pati.* Erectis exspectatione Patribus, subjecerunt: *colonias latinas* [2] *duodecim, quæ Q. Fabio et Q. Fulvio consulibus abnuissent milites dare, eas annum jam ferme sextum vacationem militiæ, quasi honoris et beneficii causa, habere; quum interim boni obedientesque socii, pro fide atque obsequio in populum romanum, continuis omnium annorum delectibus exhausti essent.* Sub hanc [3] vocem non memoria magis Patribus renovata rei prope jam

9. *Ludi fuere, Megalesia appellata* (vide ad II, 21, n. 1; XXXIV, 54, n. 2; XXXVI, 36, n. 3; ad Juven. VI, 69, et Tac. Ann. III, 6, n. 9), *pridie idus aprilis*, forte *apriles;* Drak. Nostro loco non repugnat alius XXXIV, 54, ubi vid. not. 2. Sed hos ludos per sex dies, a pridie nonas aprilis ad V idus fuisse, fasti veteres demonstrant: unde ludos postea rejectos fuisse in pridie nonas, aut h. l. leg. esse *pridie nonas aprilis*, suspicabatur Manut. ad Cic. ad Div. II, 11. Hanc emendationem probant Pigh. in Ann. ad a. 549, p. 216; Neapolis ad Ovid. Fast. IV, 179 sq. et Casaub. ad Spart. Caracall. 7. Sed diem forte mutatum fuisse, quod in pridie id. apr. inciderint Cerealia, et omnes MSS in vocem *idus* conspirare, neque Livium dixisse *isque dies festus est*, sed *fuit*, monet Drak.

Cap. XV. 1. *A quibusdam senatoribus subjectum est*, deinde dictum, additum, monitum, aliorum sententiis adjectum, ut XXXV, 14, n. 3, vel potius *subjicere* dicitur, ut ὑποβάλλειν, pro suggerere et suppeditare alicui consilia salubria, quorum non recordatur, horum illum commonefacere. Conf. ad I, 59, n. 7.

2. *Colonias latinas duodecim*, etc. vide ad XXVII, 9, n. 10. Cur autem *latinæ* appellantur? « In latinarum certe coloniarum numero eas fuisse, aliunde non constat; *latinas* vero dici posse, quia in Latio sitæ erant, valde dubitare licet. » Heyn. Opusc. Acad. t. III, p. 90. — *Obsequio in populum rom.* Hanc lectionem, quæ procul dubio Livii est, recepit Creverius ex Puteano codice, qui habet *in p. r.* non *imperii*, quomodo Salmasius, teste Gron., notaverat. Quin contendit vulgatam *obsequio imperii rom.* a proba latinitate alienam esse, consentiente Drak. Ed.

3. *Sub hanc vocem;* vid. II, 55, n. 1.

obliteratæ, quam ira irritata est. Itaque, nihil prius referre consules passi, decreverunt, *ut consules magistratus denosque principes*[4] *Nepete, Sutrio, Ardea, Calibus, Alba, Carseolis, Sora, Suessa, Setia, Circeiis, Narnia, Interamna* (eæ namque coloniæ in ea causa erant), *Romam excirent; iis imperarent, quantum quæque earum coloniarum militum plurimum dedisset populo romano, ex quo hostes in Italia essent, duplicatum ejus summæ numerum peditum daret et equites centenos vicenos. Si qua eum numerum equitum explere non posset, pro equite uno tres pedites liceret dare: pedites equitesque quam locupletissimi legerentur mitterenturque, ubicumque extra Italiam supplemento opus esset. Si qui ex iis recusarent, retineri ejus coloniæ magistratus legatosque placere; neque, si postularent, senatum dari prius quam imperata fecissent. Stipendium præterea iis coloniis in millia æris asses singulos imperari*[5] *exigique quotannis; censumque in iis coloniis agi ex formula ab romanis censoribus data. Dari autem placere eamdem, quam populo romano; deferrique Romam ab juratis censoribus coloniarum, prius quam magistratu*

4. *Magistratus denosque principes*, ut mox *m. primoresque coloniarum*, ac *magistratus et decem primi* apud Cic. Verr. II, 67. Hi sunt decem seniores et principes senatores in coloniis, municipiis aliisque civitatibus liberis, qui magistratus proxime sequuntur; Ern. Clav. Cic. Conf. Noris. ad Cenot. Pis. Diss. I, c. 3, et Græv. ad Cic. pro Rosc. Am. 9. — *Nepete, Sutrio, Ardea*, etc. conf. XXVII, 9, et ibi not. 4.

5. *Stipendium præterea iis coloniis in* singula *millia æris asses singulos imperari*; conf. ad lib. XXII, cap. 36, n. 3; XXX, 17 extr. XXXVII, 45; XXXIX, 7, 44. Gron. « Stipendii seu tributi summa cæteris non respondet; esset in annum $\frac{1}{10}$ in centena : sed laborant verba. » Heyn. Opusc. Acad. t. III, p. 91. *Tria millia* pro *in millia* multi MSS et edd. ante Gron. unde Hotom. de Re num. p. 88, conj. *tria millia æris : asses in singulos* (in capita) *imperari*. — *Ex formula... data*; vide ad IV, 8, n. 4. — *Formula* est hic lex consueta, ex qua certus numerus militum cuique civitati, pro ratione ejus virium, imperabatur. Ed. — *Deferrique Romam*, etc. et census habiti tabulas

abirent. Ex hoc senatusconsulto, accitis Romam magistratibus primoribusque earum coloniarum, consules quum militem stipendiumque imperassent, alii aliis magis recusare ac reclamare. Negare *tantum militum effici posse : vix, si simplum ex formula imperetur, enisuros.* Orare atque obsecrare, *ut sibi senatum adire ac deprecari liceret. Nihil se, quare perire merito deberent, admisisse : sed, si pereundum etiam foret, neque suum delictum, neque iram populi romani, ut plus militum darent, quam haberent, posse efficere.* Consules obstinati manere legatos Romæ jubent; magistratus ire domos ad delectus habendos. Nisi summa militum, quæ imperata esset, Romam adducta, neminem iis senatum daturum[6]. Ita præcisa spe senatum adeundi deprecandique, delectus in iis duodecim coloniis, per longam vacationem numero juniorum aucto, haud difficulter est perfectus.

XVI. Altera item res, prope æque longo neglecta silentio[1], relata a M. Valerio Lævino est; qui, *privatis collatas pecunias, se ac M. Claudio consulibus, reddi tandem, æquum esse* dixit; *nec mirari quemquam debere, in publica obligata fide suam præcipuam curam esse*[2] *: nam, præterquam quod aliquid proprie ad consulem ejus anni, quo collatæ pecuniæ essent, pertineret, etiam se auctorem ita conferendi fuisse, inopi ærario, nec plebe ad tributum sufficiente.* Grata

formulasque Romam mitti. Conf. ad cap. 37, n. 5. — *Enisuros*, omni opera se id effecturos.

6. *Neminem iis senatum daturum*; vide supra ad VIII, 5, not. 1.

Cap. XVI. 1. *Altera item* (al. *itidem*) *res, prope æque longo neglecta silentio*; immo longiori : nam de *pecuniis collatis a privatis* jam agitur XXVI, 36; de coloniis XXVII, 9. Forte leg. *Altera item res proxime, eaque longiore neglecta silentio, relata ... est.*

2. *In publica* (forsan *publice*) *obligata fide suam præcipuam curam esse*, eam a se potissimum curari, curam hujus rei a se suscipi. — *Inopi ærario*, quum inops fuisset ærarium et exhaustum. *In inopia ærarii* quidam MSS. — *Nec plebe ad tributum*

ea Patribus admonitio fuit; jussisque referre consulibus, decreverunt, *ut tribus pensionibus ea pecunia solveretur: primam præsentem ii, qui tum essent, duas tertii et quinti consules numerarent.* Omnes deinde alias curas una occupavit[3], postquam Locrensium clades, quæ ignoratæ ad eam diem fuerant, legatorum adventu vulgatæ sunt: nec tam Q. Pleminii scelus, quam Scipionis in eo aut ambitio aut negligentia iras hominum irritavit. Decem legati Locrensium, obsiti squalore et sordibus[4], in comitio sedentibus consulibus velamenta supplicum, ramos oleæ (ut Græcis mos est), porrigentes, ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt. Quærentibus consulibus[5] *Locrenses se* dixerunt *esse, ea passos a Q. Pleminio legato romanisque militibus, quæ pati ne Carthaginienses quidem velit populus romanus. Rogare, uti sibi Patres adeundi deplorandique ærumnas suas potestatem facerent.*

XVII. Senatu dato[1], maximus natu ex iis: « Scio, « quantum æstimentur nostræ apud vos querelæ, Pa- « tres conscripti, plurimum in eo momenti esse, si « probe sciatis, et quomodo proditi Locri Hannibali « sint, et quomodo, pulso Hannibalis præsidio, resti- « tuti in ditionem vestram. Quippe si et culpa de- « fectionis procul a publico consilio absit, et reditum

sufficiente; vide supra ad librum X, cap. 18, n. 9. — *Tribus pensionibus;* vide ad XXX, 37, n. 2.

3. *Omnes... occupavit*, quasi absorpsit, in earum locum successit. — *Locrensium clades*, etc. vid. cap. 8, 9. — *Ambitio;* vide supra ad librum II, cap. 27, n. 5.

4. *Obsiti squalore et sordibus;* vide ad II, 54, n. 5. — *In comitio;* vide ad I, 36, n. 6. — *Velamenta supplicum* et *ramos oleæ, ut Græcis*, etc. vide ad II, 54, n. 6.

5. *Quærentibus consulibus*, scilic. qui essent.

Cap. XVII. 1. *Senatu dato;* vide ad VIII, 5, n. 1. — *Scio* ad judicium a vobis ferendum de querelis nostris plurimum valere, facere, *si probe sciatis*, etc. — Ea quoque sic exponi posse notat Creverius: « Scio, id veluti pretium quod dicturi estis querelis

« in vestram ditionem appareat, non voluntate so-
« lum, sed ope etiam ac virtute nostra, magis indigne-
« mini, bonis ac fidelibus sociis tam atroces atque
« indignas injurias ab legato vestro militibusque fieri.
« Sed ego causam utriusque defectionis nostræ in
« aliud tempus differendam arbitror esse, duarum re-
« rum gratia, unius, ut coram P. Scipione, qui Locros
« recepit, omnium nobis recte perperamque factorum
« testis, agatur; alterius, quod, qualescumque sumus,
« tamen hæc, quæ passi sumus, pati non debuimus.
« Non possumus dissimulare, Patres conscripti, nos,
« quum præsidium punicum in arce nostra habere-
« mus, multa fœda et indigna et a præfecto præsidii
« Hamilcare, et ab Numidis Afrisque passos esse. Sed
« quid illa sunt, collata cum iis, quæ hodie patimur?
« Cum bona venia, quæso, audiatis, Patres conscripti,
« id, quod invitus dicam. In discrimine est nunc[2] hu-
« manum omne genus, utrum vos, an Carthaginienses
« principes terrarum videat. Si ex iis, quæ Locrenses
« aut ab illis passi sumus, aut a vestro præsidio nunc
« quum maxime patimur, æstimandum romanum ac
« punicum imperium sit, nemo non illos sibi, quam
« vos, dominos præoptet. Et tamen videte, quem-
« admodum Locrenses in vos animati sint : quum a
« Carthaginiensibus injurias tanto minores accipere-
« mus, ad vestrum imperatorem confugimus : quum
« a vestro præsidio plus quam hostilia patiamur, nus-
« quam alio, quam ad vos, querelas detulimus. Aut vos
« respicietis perditas res nostras, Patres conscripti,
« aut ne ab diis quidem immortalibus quod precemur,

nostris plurimum pendere ex eo si probe sciatis, etc. » Ed.

2. *In discrimine est nunc*, etc. vide ad VI, 17, n. 1. — *Principes terrarum* optimi MSS, ut in Præf. et XLII, 39. *Principes orbis t.* edd. ante Drak., ut XXXIV, 58. — *Nunc quum maxime patimur*; vid. not. 6.

« quidquam superest. Q. Pleminius legatus missus est « cum præsidio ad recipiendos a Carthaginiensibus Lo- « cros, et cum eodem ibi relictus est præsidio. In hoc « legato vestro (dant enim animum ad loquendum « libere ultimæ miseriæ) nec hominis quidquam est, « Patres conscripti, præter figuram et speciem; neque « romani civis, præter habitum vestitumque[3] et sonum « latinæ linguæ. Pestis ac bellua immanis[4], quales fre- « tum quondam, quo ab Sicilia dividimur, ad perni- « ciem navigantium circumsedisse fabulæ ferunt. At si « scelus libidinemque et avaritiam solus ipse exercere « in socios vestros satis haberet; unam profundam qui- « dem voraginem tamen patientia nostra expleremus. « Nunc omnes centuriones militesque vestros (adeo « in promiscuo licentiam atque improbitatem esse vo- « luit) Pleminios fecit : omnes rapiunt, spoliant, ver- « berant, vulnerant, occidunt; constuprant matronas, « virgines, ingenuos, raptos ex complexu parentum. « Quotidie capitur urbs nostra, quotidie diripitur; « dies noctesque omnia passim mulierum puerorum- « que, qui rapiuntur atque absportantur, ploratibus « sonant. Miretur, qui sciat, quomodo aut nos ad pa- « tiendum sufficiamus[5], aut illos, qui faciunt, nondum « tantarum injuriarum satietas ceperit : neque ego ex- « sequi possum, nec vobis operæ est audire singula, « quæ passi sumus. Communiter omnia amplectar :

3. *Habitum vestitumque* sæpe jungunt Livius (v. c. XXVIII, 12, 27; XXX, 33; XXXVII, 54) et alii, ut Cic. Verr. IV, 3, et Suet. Oct. 40. Gron. Habitus est species forma externa, aut cura corporis. Conf. Burm. ad Suet. Cæs. 44.

4. *Pestis ac bellua immanis, quales* (al. *qualem*) *fretum*, etc. intell. Scylla et Charybdis.—*Pleminios fecit;* cf. ad Sil. I, 345, et Gron. de Pec. Vet. III, 17.

5. *Nos ad patiendum sufficiamus;* vide ad librum X, cap. 18, n. 9. — *Nec vobis operæ est audire;* vide supra ad librum I, cap. 24, n. 10. — *Communiter omnia amplectar;* Frob. et alii edidere *complectar*, probante Doer.

« nego domum ullam Locris, nego quemquam homi-
« nem expertem injuriæ esse; nego ullum genus sce-
« leris, libidinis, avaritiæ superesse, quod in ullo, qui
« pati potuerit, prætermissum sit. Vix ratio iniri potest,
« uter casus civitatis sit detestabilior, quum hostes
« bello urbem cepere, an quum exitiabilis tyrannus
« vi atque armis oppressit. Omnia, quæ captæ urbes
« patiuntur, passi sumus, et quum maxime[6] patimur,
« Patres conscripti; omnia, quæ crudelissimi atque
« importunissimi tyranni scelera in oppressos cives
« edunt, Pleminius in nos liberosque nostros et con-
« juges edidit.

XVIII. « Unum est, de quo nominatim et nos queri
« religio infixa animis cogat, et vos audire, et exsolvere
« rempublicam vestram religione[1], si ita vobis vide-
« bitur, velimus, Patres conscripti. Vidimus enim, cum
« quanta ceremonia non vestros solum colatis deos,
« sed etiam externos accipiatis. Fanum est apud nos
« Proserpinæ, de cujus sanctitate templi credo ali-
« quam famam ad vos pervenisse Pyrrhi bello; qui
« quum, ex Sicilia rediens, Locros classe prætervehe-
« retur, inter alia fœda, quæ propter fidem erga vos
« in civitatem nostram facinora edidit[2], thesauros quo-
« que Proserpinæ, intactos ad eam diem, spoliavit,
« atque ita, pecunia in naves imposita, ipse terra est
« profectus. Quid ergo evenit, Patres conscripti? Clas-

6. *Et quum maxime patimur*, quam maxime, vel potius ut quum maxime. Conf. Duker. et Drakenb. ad h. l. ad XXVII, 4 pr. et XL, 13 inpr. Ernesti Clav. Cic. voc. *cummaxime*. — *Importunissimi tyranni;* vide supra ad V, 2, n. 5.

Cap. XVIII. 1. *Exsolvere remp. religione;* vide ad V, 23, n. 8.

2. *Inter alia fœda, quæ propter fidem* nostram *erga vos... edidit* Pyrrhus, propter iram in Locrenses, qui præsidium ejus cum præfecto, a quibus multas passi fuerant injurias, obtruncaverant; vid. Appian. Samnit. Exc. XII, 1, 2, et Heyn. Opusc. Acad. t. II, pag. 58. — *Thesauros quoque Proserpinæ spoliavit;* vid. Appian. et Heyn. ll. ll. — *Ipse terra est profectus:* immo leg. *Tarentum*

« sis postero die fœdissima tempestate lacerata, om-
« nesque naves, quæ sacram pecuniam habuerunt, in
« litora nostra ejectæ sunt. Qua tanta clade edoctus
« tandem deos esse superbissimus rex pecuniam om-
« nem conquisitam in thesauros Proserpinæ referri
« jussit. Nec tamen illi unquam postea prosperi quid-
« quam evenit; pulsusque Italia, ignobili atque inho-
« nesta morte, temere nocte ingressus Argos[3], occu-
« buit. Hæc quum audisset legatus vester tribunique
« militum, et mille alia, quæ non augendæ religionis
« causa, sed præsentis Deæ numine sæpe comperta
« nobis majoribusque nostris, referebantur; ausi sunt
« nihilominus sacrilegas admovere manus intactis illis
« thesauris, et nefanda præda se ipsos ac domos con-
« taminare suas et milites vestros. Quibus, per, vos,
« fidem vestram[4], Patres conscripti, prius quam eorum
« scelus expietis, neque in Italia, neque in Africa quid-
« quam rei gesseritis; ne, quod piaculum commiserunt,
« non suo solum sanguine, sed etiam publica clade
« luant. Quanquam ne nunc quidem, Patres conscripti,

pro *terra;* Jac. Gron. coll. Dionys. Hal. in Exc. Peiresc. p. 542; Appian. Samn. Exc. 8, et Plut. in Pyrrho, pag. 399. « Id refellere conatus est Jasith. in Apolog. p. 35. Cui tantum non assentior; nihil enim codd. mutant; et, si Pyrrhus iisdem navibus, in quas pecuniam sacram imposuit, profectus esset, ut Gron. credidisse videtur, vacaret h. l. pronom. *ipse*, quod nunc innuit, alio eum itinere profectum esse. » Drak.

3. *Temere nocte ingressus Argos*, nulla receptus ratione habita; v. XXXI, 7, n. 3, et Polyb. Fragm. Gramm. 14. A muliere, cujus filium necaverat, interfectus est, tegula e tecto missa; vid. Justin. XXV, 5, et Plut. Pyrrh.

4. *Per, vos, fidem vestram* (pro: *vos per fidem vestram*, scil. precor, seu obtestor; vid. XXIII, 9, n. 1) ex emend. Gron. recepit Drak. Sed omnes MSS et edd. antt. exhibent *per vos fidemque vestram*, prob. Duk. et Doer. Mox omnes MSS, præter Victorinum, *Patres conscripti, prius quam eo*, vel *cogo*, vel *eo go*, vel *pro*, vel *rei gesseritis*, omissis omnibus verbis mediis: unde Gron. conj. *quibus* (cum quibus, quorum opera) *per, vos, fidem vestram, P. C., ne quam rem gesseritis*, non male suspicans, primam syll. vocis *prius* ex repetitione ultimæ verbi præc. *conscripti* ortam. Ei non assentitur Crev. et judicium suspendit Drak.

« aut in ducibus, aut in militibus vestris cessat ira Deæ:
« aliquoties jam inter se signis collatis concucurrerunt.
« Dux alterius partis Pleminius, alterius duo tribuni
« militum erant. Non acrius cum Carthaginiensibus,
« quam inter se ipsi, ferro dimicaverunt; præbuissent-
« que occasionem furore suo Locros recipiendi Han-
« nibali, ni accitus ab nobis Scipio intervenisset. At,
« hercule, milites contactos sacrilegio [5] furor agitat:
« in ducibus ipsis puniendis nullum Deæ numen appa-
« ruit? Immo ibi præsens maxime fuit [6]: virgis cæsi tri-
« buni ab legato sunt; legatus deinde insidiis tribuno-
« rum interceptus, præterquam quod toto corpore
« laceratus, naso quoque auribusque decisis, exsan-
« guis est relictus: recreatus deinde legatus [7] ex vulne-
« ribus tribunos militum in vincula conjectos, dein
« verberatos, servilibusque omnibus suppliciis cru-
« ciatos trucidando occidit [8]; mortuos deinde prohibuit
« sepeliri. Has Dea pœnas a templi sui spoliatoribus
« habet; nec ante desinet omnibus eos agitare furiis,
« quam reposita sacra pecunia in thesauris fuerit. Ma-
« jores quondam nostri, gravi Crotoniensium [9] bello,
« quia extra urbem templum est, transferre in urbem
« eam pecuniam voluerunt. Noctu audita ex delubro

5. *Milites contactos sacrilegio;* vide ad II, 5, n. 3.

6. *Immo ibi præsens maxime fuit;* vide ad I, 12, n. 6.

7. *Recreatus deinde legatus;* del. vox ultima; Gron. Abest a C. Victor. sed simplicitatis et perspicuitatis gratia easdem voces passim repeti, monet Drak.

8. *Cruciatos trucidando occidit,* non tortos solum, sed omni sævitiæ genere, quod pati corpus humanum potest, truncatis artubus discerptos tandem occidit; Gron. Cf. ad XXI, 13, n. 5; Cic. Manil. 3; Horat. A. P. 185; Val. Max. IX, 2, 2; Sen. Suas. 6. Vulgatam vero omnium fere MSS et vett. edd. lectionem, *trucidatos cruciando occidit,* recte forsan probant Crev. et Doer. Conf. ad Sil. IX, 99, et Cort. ad Sall. Jug. XXVI, 3.

9. *Gravi Crotoniensium bello;* vid. Justin. XX, 2 sq. Strab. VI, p. 400; Cic. N. D. II, 2, et inpr. Heyn. Opusc. Acad. t. II, p. 55, 56, 184 sq. — *Extra urbem templum est,* ἐν τῇ πόλει Dionys. Hal. in Exc. Peiresc. p. 542. Hoc non potest conciliari cum Livio,

« vox est, *abstinerent manus : Deam sua templa de-*
« *fensuram.* Quia movendi inde thesauros incussa erat
« religio, muro circumdare templum voluerunt : ad
« aliquantum jam altitudinis excitata erant mœnia,
« quum subito collapsa ruina sunt. Sed et nunc et sæpe
« alias Dea suam sedem suumque templum aut tutata
« est, aut a violatoribus gravia piacula exegit. Nostras
« injurias nec potest, nec possit alius ulcisci, quam vos,
« Patres conscripti. Ad vos vestramque fidem supplices
« confugimus : nihil nostra interest, utrum sub illo
« legato, sub illo præsidio Locros esse sinatis, an irato
« Hannibali et Pœnis ad supplicium dedatis. Non postu-
« lamus, ut extemplo nobis, ut de absente, ut indicta
« causa credatis : veniat, coram ipse audiat, ipse diluat.
« Si quidquam sceleris, quod homo in homines edere
« potest, in nos prætermisit, non recusamus, quin et
« nos omnia eadem iterum, si pati possumus, patiamur;
« et ille omni divino humanoque liberetur scelere. »

XIX. Hæc quum ab legatis dicta essent, quæsissetque ab iis Q. Fabius, detulissentne eas querelas ad P. Scipionem, responderunt, *missos legatos esse, sed eum belli apparatu occupatum esse, et in Africam aut jam trajecisse, aut intra paucos dies trajecturum : et, legati gratia quanta esset apud imperatorem, expertos esse, quum, inter eum et tribunos cognita causa, tribunos in vincula conjecerit; legatum æque sontem, aut magis etiam, in ea potestate*[1] *reliquerit.* Jussis excedere e templo[2] legatis, non Pleminius modo, sed etiam Scipio, principum orationibus lacerari. Ante omnes Q. Fabius, natum eum ad corrumpendam disci-

nisi iv de loco propinquo, ut sæpe solet, dictum credamus : quod mihi non probabile videtur; Duk.

Cap. XIX. 1. *In ea potestate*, id est, legati.

2. *Excedere e templo;* vide ad 1,

plinam militarem, arguere. *Sic et in Hispania plus prope per seditionem militum, quam bello, amissum. Externo et regio more et indulgere licentiæ militum, et sævire in eos.* Sententiam deinde æque trucem orationi adjecit. *Pleminium legatum vinctum Romam deportari placere, et ex vinculis causam dicere; ac, si vera forent, quæ Locrenses quererentur, in carcere necari, bonaque ejus publicari. P. Scipionem, quod de provincia decessisset*[3] *injussu senatus, revocari; agique cum tribunis plebis, ut de imperio ejus abrogando ferrent ad populum. Locrensibus coram senatum respondere: Quas injurias sibi factas quererentur, eas neque senatum, neque populum romanum factas velle. Viros bonos sociosque et amicos eos appellari: liberos, conjuges, quæque alia erepta essent, restitui: pecuniam, quanta ex thesauris Proserpinæ sublata esset, conquiri, duplamque pecuniam in thesauros reponi: et sacrum piaculare fieri, ita ut prius ad collegium pontificum referretur, quod sacri thesauri moti, violati essent, quæ piacula, quibus diis, quibus hostiis, fieri placeret. Milites, qui Locris essent, omnes in Siciliam transportari: quatuor cohortes sociorum latini nominis in præsidium Locros adduci.* Perrogari eo die sententiæ[4], accensis studiis pro Scipione et adversus Scipionem, non potuere. Præter Pleminii facinus Locrensiumque cladem, ipsius etiam imperatoris non romanus modo, sed ne militaris quidem cultus jacta-

6, n. 6. — *Natum eum ad corrumpendam disciplinam militarem*, ut lib. XXXIX, 1 pr. Conf. supra ad librum V, cap. 37, n. 6.

3. *P. Scipionem, quod de provincia sua*, Sicilia, *decessisset*, ob spem ipsi factam, Locros recipiendi; vid. cap. 6. — *De imperio ejus abrogando;* vide supra ad lib. XXII, cap. 25, n. 10.

4. *Perrogari eo die sententiæ*, etc, vid. XXXII, 23, n. 1. — *Non romanus modo, sed ne militaris quidem cultus*, habitus, vestitus, ne milite quidem, nedum romano dignus, *jactabatur;* vide supra ad I, 40, n. 1, et II, 12, n. 7.

batur : *cum pallio crepidisque*[5] *inambulare in gymnasio, libellis eum palæstræque operam dare : æque segniter molliterque cohortem totam Syracusarum amœnitate frui : Carthaginem atque Hannibalem excidisse de memoria : exercitum omnem licentia corruptum, qualis Sucrone*[6] *in Hispania fuerit, qualis nunc Locris, sociis magis, quam hosti, metuendum.*

XX. Hæc quanquam partim vera, partim mixta, eoque similia veris[1] jactabantur, vicit tamen Q. Metelli sententia, qui, de cæteris Maximo assensus, de Scipionis causa dissensit. *Qui enim convenire, quem modo civitas juvenem admodum recuperandæ Hispaniæ delegerit ducem, quem, recepta ab hostibus Hispania, ad imponendum punico bello finem creaverit consulem, spe destinaverit*[2] *Hannibalem ex Italia detracturum, Africam subacturum, eum repente, tanquam Q. Pleminium, indicta causa prope damnatum, ex provincia revocari? quum ea, quæ in se nefarie facta Locrenses quererentur, ne præsente quidem Scipione*

5. *Cum pallio crepidisque*, Græcorum more, non cum toga calceisque, *inambulare* eum (forte *inambulantem*) *in gymnasio;* vide ad Tac. Annal. II, 59, n. 6 et 7; Gronov. Obss. IV, 25; Casaub. ad Annal. eccl. Baron. Exerc. IX, 2. — Vid. Gell. XIII, 20, et diserte Persius *crepidas Graiorum* appellat sat. I, v. 127. Ed. — *Libellis*, contemptim de Græcorum libris et doctrina, quæ etiam in castris a Scipione tractabatur; Ern. *Libellos* accipio commentarios philosophicos, quales secum portare solitos philosophos in Luciano legimus, vel ad alia studia liberalia pertinentes : nam neutrum genus studiorum ea tempestate apud Romanos in magno honore erat; Duk. Eo etiam *pallium*, scil. philosophorum, spectare putabat Doer. — *Cohortem totam* prætoriam, comitatum magistratuum provincialium, *Gefolge, Suite*. Cf. ad Tac. Ann. I, 29, n. 3.

6. *Qualis Sucrone*, etc. vide supra ad XXVIII, 24 sq.

Cap. XX. 1. *Partim mixta veris eoque*, ideoque, *similia veris*. — *Qui enim convenire*, quomodo consentaneum justumque esse, sc. dicebat. — *Delegerit ducem*. Nostri scripti ut plurimi e Gronovianis *delegarit :* quod non adspernabatur Crev.; ei tamen vulgata lectio potior videbatur. Ed.

2. *Spe destinaverit*, quem eum fore speraverit, qui Hannibalem ex Italia detrahat; Doer. Cf. ad XXVIII, 14, n. 3. — *Detracturum;* quidam MSS *retracturum*. Conf. Drak. — *Pudor*,

facta dicerent, neque aliud, quam patientia aut pudor, quod legato pepercisset, insimulari possit? Sibi placere, M. Pomponium prætorem, cui Sicilia provincia sorte evenisset[3], *triduo proximo in provinciam proficisci: consules decem legatos, quos iis videretur*[4], *ex senatu legere, quos cum prætore mitterent, et duos tribunos plebei atque ædilem: cum eo consilio prætorem cognoscere. Si ea, quæ Locrenses facta quererentur, jussu aut voluntate P. Scipionis facta essent, ut eum de provincia decedere juberent. Si P. Scipio jam in Africam trajecisset, tribuni plebis atque ædilis cum duobus legatis, quos maxime prætor idoneos censuisset, in Africam proficiscerentur: tribuni atque ædilis, qui reducerent inde Scipionem; legati, qui exercitui præessent, donec novus imperator ad eum exercitum venisset. Sin M. Pomponius et decem legati comperissent, neque jussu, neque voluntate P. Scipionis ea facta esse, ut ad exercitum Scipio maneret*[5], *bellumque, ut proposuisset, gereret.* Hoc facto senatusconsulto, cum tribunis plebis actum est, ut compararent inter se, aut sorte legerent, qui domo cum prætore ac legatis irent. Ad collegium pontificum relatum de expiandis, quæ Locris in templo Proserpinæ tacta, violata elataque inde essent. Tribuni plebis cum prætore et decem legatis profecti M. Claudius Marcellus et

verecundia adversus legatum; *quod*, an *quo?*

3. *Cui Sicilia provincia sorte evenisset:* forte leg. cum Put. Flor. Voss. et Lov. 1, 2, 3, *sorti venisset;* vel cum Ber. et Gaertn. *sorti evenisset;* vide ad IV, 37, n. 5, et IX, 12, n. 1.

4. *Quos* (legendos esse) *iis videretur;* vide ad I, 29, n. 4. — *Tribunis plebei* non licebat egredi mœnia Urbis, aut saltem extra eam pernoctare, nisi aliquo reip. causa proficisci juberentur. Cf. ad III, 20, n. 9; Appian. B. C. II, 31, et Gell. XIII, 12.

5. *Ut ad exercitum*, imperator, *Scipio maneret.* — *Ad collegium.* Plures MSS dant *concilium:* quod utrum pro vero haberi debeat, se non decernere fatetur Crev.; Drak. vero ex librariorum aberratione natum suspicatur. Ed.

M. Cincius Alimentus: iis ædilis plebis datus[6], quem, si aut in Sicilia prætori dicto audiens non esset Scipio, aut jam in Africam trajecisset, prendere tribuni juberent, ac jure sacrosanctæ potestatis reducerent. Prius Locros ire, quam Messanam, consilium erat.

XXI. Cæterum duplex fama est, quod ad Pleminium attinet. Alii, auditis, quæ Romæ acta essent, in exsilium Neapolim euntem[1] forte in Q. Metellum, unum ex legatis, incidisse, et ab eo Rhegium vi retractum tradunt: alii, ab ipso Scipione legatum cum triginta nobilissimis equitum missum, qui Q. Pleminium in catenas et cum eo seditionis principes conjicerent. Ii omnes, seu ante Scipionis, seu tum prætoris jussu, traditi in custodiam Rheginis. Prætor legatique Locros profecti primam, sicuti mandatum erat, religionis curam habuere. Omnem enim sacram pecuniam, quæque apud Pleminium, quæque apud milites erat, conquisitam, cum ea quam ipsi secum attulerant, in thesauris reposuerunt, ac piaculare sacrum fecerunt. Tum vocatos ad concionem milites prætor signa extra urbem efferre jubet, castraque in campo locat, cum gravi edicto, *si quis miles aut in urbe restitisset*[2], *aut secum extulisset, quod suum non esset, Locrensibus se permittere, ut,*

6. *Iis ædilis plebis datus* (forte leg. *additus*, et del. τὸ *iis*, quod ab optimis MSS abest; Gron.), *quem tribuni juberent prendere* (seu prehendere, jure tribunitio; de quo vid. Gell. XIII, 12), scil. Scipionem, *ac jure... reducerent.* Scabra oratio, et, ni fallor, corrupta. *Prendere* optimi plurimique MSS; *comprehendere* edd. ante Drak. — *Consilium erat,* constitutum erat.

Cap. XXI. 1. *In exsilium Neapolim euntem*, etc. « Cur Metellus non concedendum putaverit Pleminio, quod licebat civibus romanis, ut exsilii causa solum vertendo pœnam subterfugerent, exponit Herald. de Rer. judicat. Auctorit. I, 13, n. 4. Neapolim inter urbes fuisse, in quibus exsulibus romanis esse licebat, e Polyb. VI, 12, docet Sigon. de Ant. jur. Ital. II, 14. » Duker.

2. *Si quis miles aut in urbe restitisset*, scil. qui, quod suum non esset, haberet; Doer. qui etiam distinct. majorem post *esset* tollendam monet. — *Quod suum non esset:* nihil horum

quod sui quisque cognosset, prehenderet; si quid non compareret, repeteret. Ante omnia, libera corpora placere sine mora Locrensibus restitui: non levi defuncturum[3] *pœna, qui non restituisset.* Locrensium deinde concionem habuit, atque, *iis libertatem legesque suas populum romanum senatumque restituere*, dixit. *Si qui Pleminium*[4] *aliumve quem accusare vellet, Rhegium se sequeretur. Si de P. Scipione publice queri vellent, ea, quæ Locris nefarie in deos hominesque facta essent, jussu aut voluntate P. Scipionis facta esse, legatos mitterent Messanam; ibi se cum consilio cogniturum.* Locrenses prætori legatisque et senatui ac populo romano gratias egere : *se ad Pleminium accusandum ituros. Scipionem, quanquam parum injuriis civitatis suæ doluerit*[5]*, eum esse virum, quem amicum sibi, quam inimicum, malint esse. Pro certo se habere, neque jussu, neque voluntate P. Scipionis tot tam nefanda commissa : aut Pleminio nimium, aut sibi parum creditum. Natura insitum quibusdam esse, ut magis peccari nolint, quam satis animi ad vindicanda peccata habeant.* Et prætori et consilio haud mediocre onus demptum erat de Scipione cognoscendi. Plemi-nium et ad duo et triginta homines cum eo damnaverunt, atque in catenis Romam miserunt : ipsi ad Scipionem profecti sunt, ut ea quoque, quæ vulgata sermonibus erant de cultu ac desidia imperatoris solutaque militiæ disciplina, comperta oculis perferrent Romam.

in optimis MSS, unde Gron. conj. *aut non suum extulisset.* — *Quod sui*, ut apud Cic. Offic. I, 31, et al. *quod muri, præsidii, supplementi*, etc. Drak. — *Cognosset*; vide ad III, 10, n. 1. — *Prehenderet*, sibi vindicaret. — *Si quid non compareret*; vide supra ad librum VI, cap. 1, not. 6.

3. *Non levi defuncturum pœna;* vide ad II, 35, n. 2.

4. *Si qui Pleminium*, etc. vid. VI, 32, n. 3. — *Publice queri*, nomine civitatis. Conf. ad II, 41, n. 13.

5. *Parum injuriis civitatis suæ do-*

XXII. Venientibus eis Syracusas, Scipio res, non verba, ad purgandum sese paravit. Exercitum omnem eo convenire, classem expediri jussit, tanquam dimicandum eo die terra marique cum Carthaginiensibus esset. Quo die venerunt, hospitio comiter acceptis postero die terrestrem navalemque exercitus, non instructos modo, sed hos decurrentes [1], classem in portu, simulacrum et ipsam edentem navalis pugnæ, ostendit: tum circa armamentaria et horrea aliumque belli apparatum visendum prætor legatique ducti, tantaque admiratio singularum universarumque rerum incussa, ut satis crederent, aut illo duce atque exercitu vinci carthaginiensem populum, aut nullo alio posse; juberentque, quod dii bene verterent, trajicere, et spei conceptæ, quo die illum omnes centuriæ priorem consulem dixissent [2], primo quoque tempore compotem populum romanum facere: adeoque lætis inde animis profecti sunt, tanquam victoriam, non belli magnificum apparatum, nuntiaturi Romam essent. Pleminius quique in eadem causa erant, postquam Romam est ventum, extemplo in carcerem conditi; ac primo producti ad populum ab tribunis, apud præoccupatos Locrensium clade animos, nullum misericordiæ locum habuerunt. Postea, quum sæpius

luerit, eas curaverit, et ægre tulisse videatur.

Cap. XXII. 1. *Sed hos* (propr. *illos* aut *illum*, terrestrem exercitum) *decurrentes;* vide ad III, 72, n. 3, et XXIII, 35, n. 3. — *Singularum universarumque.* Hanc lectionem rejicit Gron. legendumque censet, *singularum quoque rerum;* contra quem vulgatam defendit Creverius, consentiente Drak. Ed.

2. *Quo die illum omnes centuriæ priorem consulem dixissent:* « ex Cic. Pis. 1, pro lege Manil. 1, et Fragm. orat. in toga cand. certum est, *priorem consulem* et *ædilem* esse, qui ex duobus priore loco declaratus ac renuntiatus sit; *primum prætorem*, qui e pluribus, quam duobus, primo loco; non prætorem urbanum: nam Cicero, qui se non uno loco primum prætorem factum gloriatur, non fuit prætor urbanus. Nec verum esse credo, quod Marcil. ad Sueton. Vesp. 2,

producerentur, jam senescente invidia[3], molliebantur iræ; et ipsa deformitas Pleminii memoriaque absentis Scipionis favorem ad vulgum conciliabat. Mortuus tamen prius in vinculis est[4], quam judicium de eo populi perficeretur. Hunc Pleminium Clodius Licinius in libro tertio Rerum romanarum refert, ludis votivis, quos Romæ Africanus iterum consul faciebat, conatum per quosdam, quos pretio corruperat, aliquot locis Urbem incendere, ut frangendi carceris fugiendique haberet occasionem; patefacto dein scelere, delegatum in Tullianum[5] ex senatusconsulto. De Scipione nusquam, nisi in senatu, actum: ubi omnes legatique et tribuni, classem eam, exercitum, ducemque verbis extollentes, effecerunt, ut senatus censeret, primo quoque tempore in Africam trajiciendum; Scipionique permitteretur, ut ex iis exercitibus, qui in Sicilia essent, ipse legeret, quos in Africam secum trajiceret, quos provinciæ relinqueret præsidio.

putat, *in primis* factos dici omnes inter primum et postremum.» Duk.

3. *Jam senescente invidia;* vide ad I, 22, n. 3. — *Deformitas Pleminii;* vid. cap. 9. — *Memoriaque* et favor *absentis Scipionis*, cujus fuerat legatus, et a quo noxa erat liberatus. — *Favorem ad vulgum c.* vide supra ad XXIII, 4, n. 1.

4. *Mortuus tam. prius in v. est*, etc. κατὰ φυλακὴν τελευτῆσαι dicit Diod. Exc. Peiresc. pag. 286; et *teterrimo genere morbi consumptus est*, Val. Max. I, 1, 21, ubi quidam codd. pro *morbi* habent *mortis*, quod tamen verbo *consumptus est* minus convenire, quam narrationi Clodii Licinii, monet Duk. ad XXXIV, 44. — *Clodius Licinius* (forte *Licinus* leg. cum Periz. Anim. hist. cap. 8, p. 349), historicus (cf. ad VI, 42, n. 4; Cic. Leg. I, 2; Voss. de Hist. lat. I, 8; Wasse ad Fragm. Hist. post. Sallust. pag. 235; Anton. Augustin. ad Fragm. vet. Hist.), *refert*, Pleminium *ludis votivis, quos Romæ* Scipio *Africanus iterum consul faciebat ... senatusconsulto;* cf. XXXIV, 44 extr. ubi Livium eadem, tanquam oblitum eorum, quæ h. l. dixerit, absque auctore prodere, jam animadvertit Glar. Conf. Periz. Anim. hist. c. 8, p. 348.

5. *Delegatum in Tullianum*, ut XXXIV, 44 extr. et Sallust. Cat. 59, de eadem re: *in inferiorem demissum carcerem;* vide ad I, 33, n. 11. Verbo *delegatum* forte usus fuit Clodius; Duker. — In eum carcerem demittebantur sontes, quibus guttur laqueo frangendum esset. *Tullianum* vocabant

XXIII. Dum hæc apud Romanos geruntur, Carthaginienses quoque, quum, speculis per promontoria omnia positis, percunctantes paventesque ad singulos nuntios sollicitam hiemem egissent, haud parvum et ipsi tuendæ Africæ momentum[1] adjecerunt societatem Syphacis regis, cujus maxime fiducia trajecturum in Africam Romanum crediderunt. Erat Hasdrubali Gisgonis filio non hospitium modo cum rege, de quo ante dictum est[2], quum ex Hispania forte in idem tempus Scipio atque Hasdrubal convenerunt; sed mentio quoque inchoata affinitatis, ut rex duceret filiam Hasdrubalis[3]. Ad eam rem consummandam[4] tempusque nuptiis statuendum (jam enim et nubilis erat virgo) profectus Hasdrubal, ut accensum cupiditate (et sunt ante omnes Numidæ Barbaros effusi in venerem[5]) sensit, virginem ab Carthagine arcessit, maturatque nuptias : et inter aliam gratulationem[6], ut publicum quoque fœdus privato adjiceretur, societas inter po-

a Ser. Tullio rege, qui eam carceris partem ædificaverat. Cæterum notat Creverius, quod hic Livius dubitanter et adjecto auctoris nomine memorat, eum id tanquam certum, nec sibi ullo modo suspectum rursus narrare ad XXXIV, 44. Ed.

Cap. XXIII. 1. *Tuendæ Africæ momentum;* vide ad I, 47, n. 7. — *Adjecerunt.....crediderunt.* Melius quam *adjecerant, crediderant*, quod frustra malebat Dukerus, contra quem stetit Walchius, Emend. pag. 73. Ed.

2. *De quo ante dictum est*, etc. vide tamen ad librum XXVIII, cap. 17 et 18.

3. *Ut rex duceret filiam Hasdrubalis*, Sophonisbam seu Sophonibam. Conf. XXX, 12, 15; Polyb. XIV, 7, et Schweigh. ad Appian. Pun. 27, ubi docet, eam græcis auctoribus constanter Σοφονίβαν dici. Eamdem inscio patre a Pœnis Syphaci, et antea a patre Masinissæ desponsam, eamque causam fuisse præcipuam, quare hic a Pœnis desciverit, refert Appian. Hisp. 37, et Pun. 10.

4. *Ad eam rem consummandam;* vide ad XXVIII, 17, n. 2.

5. *Et sunt* (vide ad XXIII, 44, n. 4).....*Numidæ effusi in venerem*, ut *in Romanos* XLII, 30, n. 2; *in amorem* apud Tac. Annal. I, 54; et inf. XXX, 12, n. 4, *est genus Numidarum in venerem præceps.* Quæ omnia spectant ad nimium temerariumque affectum, cui indulgetur, et, quod XLII, 30 additur, ad *immodicum favorem.* Cf. ad I, 14, n. 7.

6. *Inter aliam gratulationem*, læti-

pulum carthaginiensem regemque, data ultro citroque fide, eosdem amicos inimicosque habituros, jurejurando affirmatur. Cæterum Hasdrubal, memor et cum Scipione initæ regi societatis, et quam vana et mutabilia Barbarorum ingenia essent, veritus, ne, si trajiceret in Africam Scipio, parvum vinculum eæ nuptiæ essent, dum accensum recenti amore Numidam habet, perpellit, blanditiis quoque puellæ adhibitis, ut legatos in Siciliam ad Scipionem mittat, per quos moneat eum, *ne prioribus suis promissis fretus in Africam trajiciat. Se et nuptiis civis carthaginiensis, filiæ Hasdrubalis, quem viderit apud se in hospitio, et publico etiam fœdere cum populo carthaginiensi junctum. Optare primum*[7], *ut procul ab Africa, sicut adhuc fecerint, bellum Romani cum Carthaginiensibus gerant, ne sibi interesse certaminibus eorum, armaque aut hæc, aut illa, abnuentem alteram societatem, sequi necesse sit. Si non abstineat Africa Scipio, et Carthagini exercitum admoveat, sibi necessarium fore, et pro terra africa, in qua et ipse sit genitus, et pro patria conjugis suæ, proque parente*[8] *ac penatibus dimicare.*

XXIV. Cum his mandatis ab rege legati ad Scipionem missi Syracusis eum convenerunt. Scipio, quanquam magno momento rerum[1] in Africa gerendarum magnaque spe destitutus erat, legatis propere, prius quam res vulgaretur, remissis in Africam, literas dat ad regem, quibus etiam atque etiam monet eum, *ne*

tiam, læta auspicia. — *Eosdem amicos inimicosque habituros*, scilic. se, Hasdrubalem et Syphacem.

7. *Optare primum*, alii *hortari p.* Illud in hac re modestius; Crev. Sed et verba præc. *per quos eum moneat* favere huic lectioni, et seqq. ei non repugnare, putat Doer.

8. *Proque parente*, scilic. conjugis suæ.

Cap. XXIV. 1. *Magno momento rerum*, etc. vide ad I, 47, n. 7.

jura hospitii secum, neu cum populo romano initæ societatis, neu fas, fidem, dextras, deos testes atque arbitros conventorum, fallat. Cæterum, quando neque celari adventus Numidarum poterat (vagati enim in urbe obversatique prætorio erant), et, si sileretur, quid petentes venissent, periculum erat, ne vera eo ipso, quod celarentur, sua sponte magis emanarent, timorque in exercitum incederet[2], ne simul cum rege et Carthaginiensibus foret bellandum, avertit a vero falsis præoccupando mentes hominum: et, vocatis ad concionem militibus, *Non ultra esse cunctandum*, ait. *Instare, ut in Africam quam primum trajiciat, socios reges. Masinissam prius ipsum ad Lælium venisse, querentem, quod cunctando tempus tereretur: nunc Syphacem mittere legatos, idem admirantem, quæ tam diuturnæ moræ sit causa, postulantemque, ut aut trajiciatur tandem in Africam exercitus, aut, si mutata consilia sint, certior fiat, ut et ipse sibi ac regno suo possit consulere. Itaque, paratis jam omnibus instructisque, et re jam non ultra recipiente cunctationem, in animo sibi esse, Lilybæum classe traducta, eodemque omnibus peditum equitumque copiis contractis, quæ prima dies cursum navibus daret, deis bene juvantibus, in Africam trajicere.* Literas ad M. Pomponium mittit, ut, si ei videretur, Lilybæum veniret, ut communiter consulerent, quas potissimum legiones et quantum militum numerum in Africam trajiceret. Item circum oram omnem maritimam mi-

2. *Timorque in exercitum incederet;* edd. Drak. et antt. ante Gron. *in exercitum incideret.* Optimi MSS *in exercitu incederet;* quod recepit Gron. Nos edidimus, quod linguæ usuique loquendi convenientius videbatur. Conf. ad II, 27, n. 10; attamen et Cæs. Bel. civ. II, 29; III, 13. — *Masinissam prius ipsum ad Lælium venisse,* etc. vid. cap. 4. — *Idem admirantem,* immo *item:* quod jam Doer. monuisse video. Mox *paratis jam omnibus instructisque* edidit Jac. Gron. pro vulg. *jam satis omnibus*

sit, ut naves onerariæ comprehensæ [3] Lilybæum omnes contraherentur. Quidquid militum naviumque in Sicilia erat, quum Lilybæum convenissent, et nec urbs multitudinem hominum, nec portus naves caperet, tantus omnibus ardor erat in Africam trajiciendi, ut non ad bellum duci viderentur, sed ad certa victoriæ præmia. Præcipue, qui superabant ex cannensi exercitu [4], milites illo, non alio duce, credebant, navata reipublicæ opera, finire se militiam ignominiosam posse. Et Scipio minime id genus militum adspernabatur, ut qui neque ad Cannas ignavia eorum cladem acceptam sciret, neque ullos æque veteres milites in exercitu romano esse expertosque non variis præliis modo, sed urbibus etiam oppugnandis. Quinta et sexta cannenses erant legiones. Eas se trajecturum in Africam quum dixisset, singulos milites inspexit [5], relictisque, quos non idoneos credebat, in locum eorum subjecit, quos secum ex Italia adduxerat; supplevitque ita eas legiones, ut singulæ sena millia et ducenos pedites, trecenos haberent equites: sociorum item latini nominis pedites equitesque de exercitu cannensi legit.

XXV. Quantum militum in Africam transportatum sit, non parvo numero inter auctores discrepat [1]. Alibi

instructis apparatisque. In C. Cantabr. *ratis jam o.*, et vox *apparatisque* in nullo fere MS legitur.

3. *Naves onerariæ comprehensæ;* vide ad XXVI, 7, n. 4.

4. *Qui superabant* (vide ad VIII, 10, n. 1) *ex cannensi exercitu, milites...posse;* vide ad XXIII, 25, n. 5. — *Neque ullos æque veteres milites in exercitu rom. esse.* « In quo exercitu? nam multi tum erant exercitus romani; nec de Scipionis exercitu intelligi potest, qui cur solus *exercitus romanus* dici debeat, causa non est. Forte leg. *ullo.* » Duker. Non dubitat Doer., quin Scipio omnem, cui nunc ipse præfuerit, exercitum intellexerit.

5. *Singulos milites inspexit*, nos dicimus: *er musterte sie Mann für Mann;* Doer. — *Trecenos haberent*, id est, trecentenos; ita legendum, non *tricenos*, quod a *triginta* derivatur, monet Glareanus, qui hoc imperitis se notare ait, quia librariorum erratum hoc est in omnibus fere codicibus. Hoc jam viderat L. Valla, Elegant. lib. III, cap. 5. Ed.

Cap. XXV. 1. *Inter auctores dis-*

decem millia peditum, duo millia et ducentos equites; alibi sedecim millia peditum, mille et sexcentos equites[2]; alibi parte plus dimidia rem auctam, quinque et triginta millia peditum equitumque in naves imposita invenio. Quidam non adjecere numerum; inter quos me ipse in re dubia poni malim. Cœlius, ut abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget. Volucres ad terram delapsas clamore militum ait, tantamque multitudinem conscendisse naves, ut nemo mortalium, aut in Italia, aut in Sicilia, relinqui videretur. Milites ut in naves ordine ac sine tumultu conscenderent, ipse eam sibi curam[3] sumpsit. Nauticos C. Lælius, qui classis præfectus erat, in navibus, ante conscendere coactos, continuit. Commeatus imponendi M. Pomponio prætori cura data: quinque et quadraginta dierum cibaria, e quibus quindecim dierum cocta, imposita. Ut omnes jam in navibus erant, scaphas circummisit[4], ut ex navibus gubernatoresque et magistri navium et bini milites in forum convenirent ad imperia accipienda. Postquam convenerunt, primum ab iis quæsivit, si aquam hominibus jumentisque in totidem dies, quot[5] frumentum, imposuissent. Ubi responderunt, aquam dierum quinque et quadraginta in navibus esse; tum edixit militibus, ut silentium quieti nautis sine certamine ad ministeria exsequenda bene obedientes præstarent. Cum viginti rostratis[6] se ac L. Scipionem ab dextro

crepat; vide tamen ad lib. I, 3, n. 4.

2. *XVI millia peditum, MDC equites* multi MSS, et Appian. Pun. 13; *XV millia p. MD e.* edd. ante Gron.

3. *Ipse eam sibi curam sumpsit*, scil. Scipio (conf. ad Juvenal. I, 62, et V, 30): nisi pro *sibi* leg. *Scipio*. — *Continuit* in officio, coercuit; cf. supra ad librum XXII, cap. 22, n. 9.

4. *Scaphas circummisit* Scipio, *ut*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10. — *Magistri navium*, navarchi, aut præfecti sociorum navalium; Crev.

5. *In totidem dies, quot*, etc. forte leg. *in quot.*

6. *Cum XX rostratis* navibus *se*...

cornu, lævum, totidem rostratas, et C. Lælium præfectum classis cum M. Porcio Catone (quæstor is tum erat) onerariis futurum præsidio. Lumina in navibus singula rostratæ, bina onerariæ haberent : in prætoria nave insigne nocturnum trium luminum fore. Emporia ut peterent[7], gubernatoribus edixit. Fertilissimus ager, eoque abundans omnium copia rerum est regio et imbelles (quod plerumque in uberi agro evenit) Barbari sunt; priusque, quam Carthagine subveniretur, opprimi videbantur posse. Iis editis imperiis, redire ad naves jussi; et postero die, deis bene juvantibus, signo dato solvere naves.

XXVI. Multæ classes romanæ e Sicilia atque ipso illo portu profectæ erant. Cæterum non eo bello solum (nec id mirum, prædatum enim tantummodo pleræque classes ierant), sed ne priore quidem, ulla profectio tanti spectaculi fuit. Quanquam, si magnitudine classis æstimaretur, et bini consules cum binis exercitibus ante trajecerant[1]; et prope totidem rostratæ in illis classibus fuerant, quot onerariis Scipio tum trajiciebat. Nam, præter quadraginta longas naves, quadringentis ferme onerariis exercitum[2] transvexit. Sed et bellum bello, secundum priore, ut atrocius

ab dextro cornu, lævum cornu, scil. *totidem rostratas*, etc. Multi codd. *ab lævo*. Sed illa orationis varietas longe elegantior; Gron.

7. *Emporia ut peterent;* vide ad XXI, 60, n. 1. — Hoc loco *Emporia* vocari litorales mercatorum sedes putat Glareanus, non de Emporiis ad Syrtim mentionem fieri; neque enim in eum locum Scipio divertit; nisi quis dicat voluisse illuc Scipionem divertere, sed non potuisse. Ed. — *Quod plerumque in uberi agro evenit;* vide ad IX, 13, n. 2.

Cap. XXVI. 1. *Si magnitudine classis* hæc Scipionis *æstimaretur, et bini consules cum binis exercitibus ante trajecerant*, sc. a. U. 466, L. Manlius Vulso et M. Atilius Regulus cum classe CCCXXX navium longarum tectarumque, et CXL millibus militum; a. U. 497, M. Æmilius et Ser. Fulvius cum CCCLXIV vel adeo CDLXIV navibus. Conf. Polyb. I, 25, 26, 36, 37 (ad quæ loca vid. Schweigh.); Eutrop. II, 22; Oros. IV, 9.

2. *Præter XL longas naves, CCCC ferme onerariis exercitum transvexit;*

Romanis videretur, quum quod in Italia bellabatur, tum ingentes strages tot exercituum, simul cæsis ducibus, effecerant; et Scipio dux, partim factis fortibus, partim suapte fortuna quadam ingentis ad incrementa gloriæ celebratus[3], converterat animos: simul et mens ipsa trajiciendi, nulli ante eo bello duci tentata, quod ad Hannibalem detrahendum ex Italia, transferendumque et finiendum in Africa bellum, se transire vulgaverat. Concurrerat ad spectaculum in portum omnis turba, non habitantium modo Lilybæi, sed legationum omnium[4] ex Sicilia; quæ et ad prosequendum Scipionem officii causa convenerant, et

conf. ad XXI, 17, n. 5. In lib. Sigon. *L longas naves*, ut XXX, 41. In plerisque MSS et edd. ante Drak. ut et apud Appian. Pun. 13, ἐς Λιβύην ἀνήγετο ἐπὶ νεῶν μακρῶν μὲν δύο καὶ πεντήκοντα, φορτίδων δὲ τετρακοσίων· κέλητές τε καὶ λέμβοι πολλοὶ συνείποντο αὐτῷ. Hinc id receptum a Gron. et Crev. Sed conf. cap. 25.

3. *Ingentis ad incrementa gloriæ celebratus*, forte *elatus;* Doer. An *elevatus?* Vocem *celebratus* delendam putabat Drak. aut ita transponendam: *fortuna quadam celebratus, ingentis ad i. g. c. a.* — Hoc loco hæserunt docti. Creverius exponit: « tanquam imperator cujus ingens gloria novis semper incrementis augesceret »; vel etiam, « felicitate quadam, qua ad gloriam ingentem Fortunæ ipsius manu deduci videretur ». Walchius vero Emend. p. 205, ait Gronovium patrem surdis auribus verum accinisse: « partim quod sua quadam felicitate statim sub initia (initio) increscentis gloriæ studiis hominum celebratus sit ». Nunc si mihi post doct. viros sententiam afferre licet, locum sic exponere maluerim: « animos converterat Scipio jam clarus fortibus factis, sed præterea propria et peculiari quadam felicitate ita apud vulgum celebratus, fama valens, ut hæc fortia facta primi tantummodo gradus viderentur ad ingentem et amplissimam gloriam, in quam mox increscceret ». Judicent periti. Ed. — *Converterat animos;* vide ad XXII, 51, n. 3. — *Simul et mens*, consilium, cogitatio *ipsa trajiciendi*, etc. Verborum seqq. *tentata quod ad Hannibalem de* nulla litera in optimis MSS, sed tantum *duci trahendum ex Sicilia;* et deinde in Put. *vulgaterat*, in aliis *vulgatum erat.* Hinc Gronov. conj. *simul et mens ipsa trajiciendi nulli ante eo bello duci, trahendus Hannibal ex Italia...vulgata erant*, ut significet Livius, nullum antea ducem edidisse ac præ se tulisse eam mentem; hic, quod præ se tulerit, tanto conspectiorem suam profectionem reddidisse. Sed optimas Livii membranas in libris XXIX et XXX multis laborare lacunis, et h. l. et passim monuit Drak.

4. *Sed* etiam *legationum omnium* (vid. I, 40, n. 1)...*ad prosequendum S. officii causa;* vid. VI, 34, n. 6.

prætorem provinciæ M. Pomponium sequutæ fuerant. Ad hoc legiones, quæ in Sicilia relinquebantur, ad prosequendos commilitones processerant; ne classis modo prospectantibus e terra, sed terra etiam omnis circa referta turba spectaculo navigantibus erat.

XXVII. Ubi illuxit, Scipio e prætoria nave, silentio per præconem facto, « Divi divæque[1], inquit, maria « terrasque qui colitis, vos precor quæsoque, uti, quæ « in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque ge- « rentur, ea mihi, populo plebique romanæ, sociis « nominique latino, qui populi romani, quique meam « sectam[2], imperium auspiciumque terra, mari amni- « busque sequuntur, bene verruncent: eaque vos om- « nia bene juvetis; bonis auctibus auxitis; salvos in- « columesque, victis perduellibus victores, spoliis de- « coratos, præda onustos triumphantesque, mecum « domos reduces sistatis: inimicorum hostiumque ul- « ciscendorum copiam faxitis: quæque populus car- « thaginiensis in civitatem nostram facere molitus est, « ea ut mihi populoque romano in civitatem Cartha-

Cap. XXVII. 1. *Divi divæque;* al. *dii deæque:* sed illud olet magis antiquitatem, cui in hac precatione studuit Livius; Sigon. — *Maria terrasque qui colitis;* vide ad XXXI, 30, n. 4. Jovi Neptunoque sacra a Scipione facta tradit Appian. Pun. 13. Cf. ad Sil. XVII, 50, 51, et supra ad XXVI, 41, n. 8.

2. *Meam sectam,* factionem, partes in bello (cf. XXXV, 49; XXXVI, 1; XLII, 31), h. l. id. qd. *imperium.* — *Bene verruncent* Put. (quo et alludit *vertuntent* in Pal. uno et *verrunque* in Flor.) id. qd. vulg. *vertant,* ut apud Cic. Divin. I, 22, et Acc. ac Pacuv. ap. Non. c. 2, n. 895. Nota Gron. est hæc: « *Verruncо* est ab ἐρύκο præposito υ, ut in ἔαρ, ἦρ, *ver;* Ἑστία, *Vesta;* ἑσπέρα, *vespera;* εἴδω, *video,* emollito digammate æolico, interjectoque *n,* ut in θησαυρὸς, *thensaurus;* σκαπτησύλη, *scaptensula;* γλυκὺς, *lucuns.* Ἐρύκω interdum est contineo et cohibeo, ne id, quod continetur, mali quid faciat vel patiatur. Quæ vero continentur hoc modo et servantur, salva manent et bonos habent eventus. Itaque *se bene verruncant:* nam hoc pronomen intelligitur, perinde ut quum *vertere* οὐδετέρως ponitur. Ut ab ἐρύκω ἀπερύκω, et a *verto averto,* sic a *verruncо averruncо,* et ab hoc *Averruncus,* ut a *promo promus, condo condus, carpo carpus.* »

« giniensium exempla edendi[3] facultatem detis. » Secundum eas preces[4] cruda exta victimæ, uti mos est, in mare porricit, tubaque signum dedit proficiscendi. Vento secundo vehementi satis profecti, celeriter e conspectu terræ ablati sunt : et a meridie nebula occepit, ita ut vix concursus navium inter se vitarent. Lenior ventus in alto factus : noctem insequentem eadem caligo obtinuit : sole orto est discussa, et addita vis vento. Jam terram cernebant : haud ita multo post gubernator Scipioni ait, *non plus quinque millia passuum Africam abesse : Mercurii promontorium*[5] *se cernere ; si jubeat eo dirigi, jam in portu fore omnem classem.* Scipio, ut in conspectu terra fuit, precatus, uti bono reipublicæ suoque Africam viderit, dare vela, et alium infra navibus accessum petere jubet. Vento eodem ferebantur : cæterum nebula, sub idem ferme

3. *In civitatem C. exempla edendi* pœnarum, παραδείγματα ; vel, ut XXXVIII, 43, *omnia exempla belli*, genera malorum, *edita in se, cædibus, incendiis*, etc.

4. *Secundum eas preces* (vide ad I, 4, n. 1) *cruda exta victimæ* (*cruda exta, cæsa victima* edd. ante Drak.), *uti mos est, in mare porricit ;* vox propria sacrorum. Conf. de ea et de *more* illo Macrob. Sat. III, 2, et Intpp. Virg. Æn. V, 238, 776. *Projecit* omnes MSS et edd. vett. ante Ascens. prob. Rhen. propter auctoritatem librorum, et quia sequitur verbum præteriti temporis : quod tamen perpetuum non esse monuit Gron. *Cruda exta* sunt non cocta : nam in aliis sacris coquebantur in olla, quam *aulam extarem* vocat Plautus ; Duk. Conf. ad XXV, 16, n. 2, et Casaub. ad Suet. Aug. 1. — *Tubaque signum dedit proficiscendi ;* vid. Schel. ad Polyb. cap. 9. Mox *Haud ita multo post T. Posthumius gubernator* quidam libri vett.

5. *Mercurii promontorium*, seu Hermæum, ἡ Ἑρμαία ἄκρα (hod. *Cap Bon* et *Ras Adder*), procurrens ab oriente Carthaginis in septemtrionem : cujus pars aliqua (forte interius illud promontorium Herculis ; de quo vid. Shawii *Travels* in Tab. ad pag. 148) τὸ Καλὸν ἀκρωτήριον (vid. Polyb. III, 22, 23), quod mox Livio non *Pulchrum* sed *Pulchri* promontorium dicitur ; unde suspicari licet, nomen ab Appio Pulchro ductum esse, qui forte ibi cum classe fuerat. Ita Heyu. Opusc. Acad. tom. III, p. 47 sq. qui etiam monet, eo in litore loca esse appulsui navium idonea sub Aquilariam ; vid. Shaw. p. 158, et inf. ad XXX, 24, n. 3. — *Jam*, statim, mox, ut II, 19 al. — *Dare vela*, sc. ventis. — *Alium infra navibus acces-*

tempus, quo pridie, exorta conspectum terræ ademit, et ventus premente nebula[6] cecidit. Nox deinde incertiora omnia fecit : itaque ancoras, ne aut inter se concurrerent naves, aut terræ inferrentur, jecere. Ubi illuxit, ventus idem coortus, nebula disjecta, aperuit omnia Africæ litora[7]. Scipio, quod esset proximum promontorium, percunctatus, quum Pulchri promontorium id vocari audisset, « Placet omen, inquit; huc dirigite naves ». Eo classis decurrit; copiæ omnes in terram expositæ sunt. Prosperam navigationem sine terrore ac tumultu fuisse, permultis græcis latinisque auctoribus credidi. Cœlius unus, præterquam quod non mersas fluctibus naves, cæteros omnes cælestes maritimosque terrores, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Ægimurum[8], inde ægre correctum cursum, exponit; et, prope obrutis navibus, injussu imperatoris, scaphis, haud secus quam naufragos, milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse.

XXVIII. Expositis copiis, Romani castra in proximis tumulis metantur. Jam non in maritimos modo agros, conspectu primum classis, dein tumultu egredientium in terram, pavor terrorque pervenerat, sed

sum petere, propius ad Carthaginem.

6. *Ventus premente nebula*, coeunte et constanti, *cecidit;* unde mox *ventus idem coortus, nebula disjecta;* Gron. « Idem tribus accidit diebus : primo profecti fuerant vento satis vehementi, et a meridie nebula orta ventus lenior factus fuit : secundo nebula sole orto discussa et vento vis addita est, sed a meridie rursus nebula exorta ventus cecidit : tertio, eodem modo nebula disjecta ventus coortus est. *Nebula premit ventum* sic dicitur, ut X, 32, n. 3, *vix dum satis certa luce et eam ipsam premente caligine* ex nebula. » Duker. *Vento* quidam MSS. Verum *nebula* non *cadit*, sed discutitur flatu venti.

7. *Aperuit omnia Africæ litora :* eumdem adeo cursum per noctem tenuerant, versus interiorem sinum, in cujus recessu Carthago sita; Heyn. l. l. — *Pulchri prom.* conf. not. 5.

8. *Ad insulam Ægimurum;* vide tamen ad librum XXX, cap. 24, not. 4.

in ipsas urbes: neque enim hominum modo turba, mulierum puerorumque agminibus immixta[1], omnes passim compleverat vias, sed pecora quoque præ se agrestes agebant; ut relinqui subito Africam diceres. Urbibus vero ipsis majorem, quam quem secum attulerant, terrorem inferebant. Præcipue Carthaginis prope ut captæ tumultus fuit[2]: nam post M. Atilium Regulum et L. Manlium consules, annis prope quinquaginta, nullum romanum exercitum viderant, præter prædatorias classes, quibus exscensiones in[3] agros maritimos factæ erant; raptisque, quæ obvia fors fecerat, prius recursum semper ad naves, quam clamor agrestes conciret, fuerat. Eo major tum fuga pavorque in urbe fuit: et, hercule, neque exercitus domi vali-

Cap. XXVIII. 1. *Neque enim hominum... agminibus immixta.* « Hic *homines* a *mulieribus*, *pueris* et *agrestibus* distingui videntur. Sed puto, *homines* opponi *pecoribus*, et *mulierum puerorumque* per epexegesin dici, hac sententia: *non hominum modo turba, mulierum* scilic. *puerorumque, immixta*, id est, mixta (ut XXVI, 36, et XXXV, 34), nec uno, sed multis diversis itineribus fugiens, *omnes passim compleverat vias.* » Duk. — Cum hoc loco conferenda est similis tumultus descriptio, adumbrata a scriptore inter nostrates præstantissimo, *Fénélon*, *Télémaque*, lib. I, fere in princ. « On ne voyait de tous côtés que des femmes tremblantes, des vieillards courbés, de petits enfants les larmes aux yeux, qui se retiraient dans la ville. Les bœufs mugissants et les brebis bêlantes venaient en foule, quittant les gras pâturages... C'étaient de toutes parts des bruits confus de gens qui se poussaient les uns les autres, qui ne pouvaient s'entendre, etc. » Ed.

2. *Præcipue... tumultus fuit*, ut I, 29 pr. *tumultus urbis* pro *in urbe;* Doer. Quidam MSS et edd. antt. *Carthagini.* Dukeri nota est: « In utraque scriptura est, quod offendere possit. Si in vulgata *Carthagini* tertius casus est, mirum est dicendi genus *urbi tumultus est;* sin sextus (vid. XXVIII, 26, n. 1), dicendum fuerat *prope ut capta*, vel suppl. *urbis*, hoc modo: *Carthagini tumultus fuit, prope ut captæ urbis*, id est, prope qualis captæ urbis esse solet, ut I, 29. Sed hoc quoque supplementum hic durum et insolens est. Quod si verius est *Carthaginis*, non apparet, cur Livius maluerit dicere *præcipue* quam *præcipuus.* » — *Annis prope quinquaginta*, immo annis LIII. Forte leg. *a. prope LX*, aut *annis plus quam L:* nam displicet etiam repetitum *prope.* Anni tamen passim haud accurate numerantur.

3. *Exscensiones in agros;* vide ad VIII, 17, n. 5. — *Major tum fuga pavorque in urbe fuit:* in his verbis

dus, neque dux, quem opponerent, erat. Hasdrubal, Gisgonis filius, genere, fama, divitiis, regia tum etiam affinitate[4], longe primus civitatis erat : sed eum ab illo ipso Scipione aliquot prœliis fusum pulsumque in Hispania meminerat; nec magis ducem duci parem, quam tumultuarium exercitum suum romano exercitui esse. Itaque, velut si urbem extemplo aggressurus Scipio foret, ita ad arma est conclamatum; portæque raptim clausæ, et armati in muris, vigiliæque et stationes dispositæ, ac nocte insequenti vigilatum est. Postero die quingenti equites[5], speculatum ad mare turbandosque egredientes ex navibus missi, in stationes Romanorum inciderunt. Jam enim Scipio, classe Uticam missa, ipse haud ita multum progressus a mari, tumulos proximos ceperat; equites et in stationibus locis idoneis posuerat, et per agros miserat prædatum.

XXIX. Ii cum carthaginiensi equitatu prælium quum commisissent, paucos in ipso certamine, plerosque fugientes persequuti (in quibus præfectum quoque Hannonem, nobilem juvenem), occiderunt. Scipio non agros modo circa vastavit, sed urbem etiam proximam Afrorum satis opulentam cepit[1]; ubi præter cætera, quæ extemplo in naves onerarias imposita mis-

fugam accipio trepidationem in tota urbe cum pavore discurrentium, non multo aliter ac *fuga* et *fugere* de celeri cursu et profectione dicuntur : neque enim, qui in urbe erant, quum hostem prope ad portas esse sibi persuaderent, ex ea fugere volebant; Duk.

4. *Regia tum etiam affinitate;* vid. cap. 23.

5. *Postero die D equites*, etc. mille eq. apud Appian. Punic. 14.

Cap. XXIX. 1. *Scipio non agros modo circa vastavit* (vide ad I, 4, n. 11), *sed urbem...cepit,* « forte Aquilariam, aut Carpos, aut Misuam, quæ in eodem tractu fuere : non Locham, Uticæ vicinam (vid. Appian. Pun. 15), quæ serius capta »; Heyn. l. l. ubi etiam docet, Livium, c. 29-34, omisisse monere, Scipionem exercitum duxisse terrestri itinere per mediam terram, ita ut Carthaginem a terra circumiret, classe interea præter eamdem urbem vecta; Appianum autem

sáque in Siciliam erant, octo millia liberorum servorumque capitum sunt capta. Lætissimus tamen Romanis in principio rerum gerendarum adventus fuit Masinissæ: quem quidam cum ducentis haud amplius equitibus, plerique cum duum millium[2] equitatu tradunt venisse. Cæterum quum longe maximus omnium ætatis suæ regum hic fuerit, plurimumque rem romanam juverit, operæ pretium videtur, excedere paululum ad enarrandum, quam varia fortuna usus sit in amittendo recuperandoque paterno regno. Militanti pro Carthaginiensibus in Hispania pater ei moritur: Galæ nomen erat. Regnum ad fratrem regis OEsalcem[3], pergrandem natu (mos ita apud Numidas est), pervenit. Haud multo post, OEsalce quoque mortuo, major ex duobus filiis ejus Capusa, puero admodum altero, paternum imperium accepit. Cæterum quum magis jure gentis, quam auctoritate inter suos aut viribus, obtineret regnum; exstitit quidam, Mezetulus nomine[4], non alienus sanguine regibus, familiæ semper inimicæ, ac de imperio varia fortuna cum iis, qui tum obtinebant, certantis. Is, concitatis popularibus, apud quos, invidia regum, magnæ auctoritatis erat,

Pun. 14 sq. multo minus subtiliter in his versatum esse.

2. *Quem quidam cum CC equitibus, plerique cum MM*, etc. cf. ad c. 33, n. 6. — *Excedere*, digredi a justo rerum narrandarum ordine, digressionem facere. Ad seqq. conf. Appian. Pun. 11 sq. — *Militanti pro C. in H. pater ei moritur* bene dedit Gron. pro vulg. *militante eo pro C. in H. pater ejus m.* Sed potius del. τὸ *ei*, vel post *militanti* ponendum; Doer.

3. *Regnum ad fratrem regis OEsalcem pervenit:* plerique MSS et edd. *Desalcem:* sed Flor. Voss. a m. sec. et omnes Gall. *OEsalcem*, et idem nomen est *Isalces* XXIII, 18 pr. et Sil. V, 289. Gron. — *Mos ita apud Numidas est;* vid. Grot. de Jure belli et pacis, II, 7, 24. — *Magis jure gentis, quam*, etc. Creverius sic distinguit horum vocab. sensum: Jus gentis regem legitimum, auctoritas venerabilem, vires potentem faciunt. Ed.

4. *Mezetulus nomine;* Μεσσύτουλος apud Appian. Pun. 33. — *Non alienus* quidem a *sanguine regibus*, regum, sed *familiæ*, ex familia, etc. Sic *aliena sanguine vestro* (non propinqua, cognata, e genere vestro) apud

castris palam positis, descendere regem in aciem, ac dimicare de regno coegit. In eo prælio Capusa cum multis principum cecidit, gens Massylorum omnis[5] in ditionem imperiumque Mezetuli concessit. Regio tamen nomine abstinuit; contentusque nomine modico tutoris, puerum Lacumacen, qui stirpis regiæ superat, regem appellat. Carthaginiensem nobilem feminam, sororis filiam Hannibalis, quæ proxime OEsalci regi nupta fuerat, matrimonio sibi jungit, spe Carthaginiensium societatis[6]; et cum Syphace hospitium vetustum legatis missis renovat, omnia ea auxilia præparans adversus Masinissam.

XXX. Et Masinissa, audita morte patrui, dein nece fratris patruelis, ex Hispania in Mauritaniam (Bocchar ea tempestate rex Maurorum erat) trajicit. Ab eo supplex infimis precibus auxilium itineri, quoniam bello non poterat, quatuor millia Maurorum impetravit. Cum iis, præmisso nuntio ad paternos suosque amicos, quum ad fines regni pervenisset, quingenti ferme Numidæ ad eum convenerunt. Igitur Mauris inde, sicut convenerat, retro ad regem remissis, quanquam aliquanto minor sæpe multitudo, nec cum qua tantam rem aggredi satis auderet, conveniret; ratus agendo ac moliendo vires quoque ad agendum aliquid collecturum, proficiscenti ad Syphacem Lacumaci[1] re-

Ovid. Met. IX, 326. Sic et simpl. *alieuus* opponitur *propinquo* a Cic. Dom. 27, et Ovid. Met. X, 340. Mox cum Duk. forte leg. *qui id tum obtinebant.*

5. *Gens Massylorum omnis;* vide ad XXIV, 48, n. 1.

6. *Spe Carthaginiensium societatis:* ex h. l. et cap. seq. patet, Carthaginienses Lacumacis et Mezetuli causam contra Masinissam egisse; Crev. Fortasse ob hanc ipsam causam a Pœnis ad Romanos descivit Masinissa; Doer. — Congruunt enim tempora: quippe Masinissa etiam tum in Hispania erat, quum ejus regnum Mezetulus invadit. Postea novas odio ejus in Pœnos vires addidit profecto tradita Syphaci contra fidem ipsi datam in matrimonium Sophonisba; vide ad XXVIII, 16. Ed.

Cap. XXX. 1. *Lacumaci regulo*, regis filio, aut regiæ stirpis; vide ad

gulo ad Thapsum occurrit. Trepidum agmen quum in urbem refugisset, urbem Masinissa primo impetu capit : ex regiis alios tradentes se recipit, alios vim parantes occidit. Pars maxima cum ipso puero inter tumultum ad Syphacem, quo primum intenderant iter, pervenerunt. Fama hujus modicæ rei, in principio rerum prospere actæ, convertit ad Masinissam Numidas; affluebantque undique ex agris vicisque veteres milites Galæ, et invitabant juvenem ad recuperandum paternum regnum. Numero militum aliquantum Mezetulus superabat : nam et ipse eum exercitum, quo Capusam vicerat, et ex receptis[2] post cædem regis aliquot habebat; et puer Lacumaces ab Syphace auxilia ingentia adduxerat. Quindecim millia peditum Mezetulo, decem millia equitum erant ; quibuscum Masinissa, nequaquam tantum peditum equitumve habens, acie conflixit. Vicit tamen et veterum militum virtus, et prudentia inter romana et punica arma exercitati ducis. Regulus cum tutore et exigua Masæsylorum manu in Carthaginiensium agrum perfugit. Ita recuperato regno paterno, Masinissa, quia sibi adversus Syphacem haud paulo majorem restare dimicationem cernebat, optimum ratus cum fratre patruele[3] gratiam reconciliare, missis, qui et puero spem facerent, si in fidem Masinissæ sese permisisset, futu-

I, 39, n. 2. *Demaci* quidam MSS. Idem forte Δαχάμας dicitur Appiano, Pun. 41. — *Ad Thapsum*, oppid. marit. Byzacii, non longe a Syrti minore et Lepti parva, hod. *Demsas*. Sed situm erat ultra Carthaginem versus orientem, et Syphax Masæsylique versus occidentem habitabant. Hinc *Thebestam* conj. Doujat. et *Tubusuptum*; at Drak. *Thalam* vel *Capsam*. Mox forte leg. *eam Masinissa* pro *urbem M.* Conf. supra ad I, 3, n. 8.

2. *Et ex receptis*, ex iis, quos in eum exercitum receperat. — *Regis* Capusæ. — *Peditum equitumve*; quidam MSS *equitumque*, prob. Doer. — *Vicit tamen*, h. e. quamvis nequaquam tantum peditum equitumve habebat, tamen vicit. Cf. ad I, 12, n. 1.

3. *Cum fratre patruele* Lacumace. — *Missis, qui et...et* (missis aliis) *qui Mezetulo*, etc. Vel prius *et* vel alte-

rum in eodem honore, quo apud Galam OEsalces quondam fuisset; et qui Mezetulo, præter impunitatem, sua omnia cum fide restitui sponderent; ambo præoptantes exsilio modicam domi fortunam (omnia, ne id fieret, Carthaginiensibus de industria agentibus) ad sese perduxit.

XXXI. Hasdrubal tum forte, quum hæc gerebantur, apud Syphacem erat: qui Numidæ, haud sane multum ad se pertinere credenti, utrum penes Lacumacen, an Masinissam, regnum Massylorum esset, *falli eum magnopere*, ait, *si Masinissam eisdem contentum fore, quibus patrem Galam, aut patruum ejus OEsalcem, credat: multo majorem indolem in eo animi ingeniique esse, quam in ullo gentis ejus unquam fuisset: sæpe eum in Hispania raræ inter homines virtutis specimen dedisse sociis pariter hostibusque; et Syphacem, et Carthaginienses, nisi orientem illum ignem oppressissent*[1], *ingenti mox incendio, quum jam nullam opem ferre possent, arsuros: adhuc teneras et fragiles ejus vires esse, vixdum coalescens foventis regnum*[2]. Instando stimulandoque pervincit, ut exercitum ad fines Massylorum admoveat, atque in agro, de quo sæpe cum Gala non verbis modo disceptatum, sed etiam armis certatum fuerat, tanquam haud dubie juris sui, castra locat. *Si quis arceat, id quod maxime opus sit, acie dimicaturum: sin per metum agro ce-*

rum *qui* delendum videtur aut pro *qui et* legendum *et qui*. — Si alios ad Lacumacem, alios ad Mezetulum legavit Masinissa, tunc nihil mutandum judicat Creverius contra Gron. qui τὸ *qui* recidit. Ed.

Cap. XXXI. 1. *Nisi orientem illum ignem oppressissent*, Masinissam juvenem, qui viribus auctis perniciem ipsis minaretur, *ingenti mox incendio arsuros;* conf. ad X, 24, not. 9, et XXI, 10.

2. *Vixdum coalescens foventis regnum*, regnum, firmari demum et corroborari incipiens, vix adhuc moderari et tueri valentis; Doer. Cf. ad I, 11, n. 2. — *Si quis arceat*, Syphacem arcere conetur ab agro illo.

datur, in medium regnum eundum: aut sine certamine concessuros in ditionem ejus Massylos, aut nequaquam pares futuros armis. His vocibus incitatus Syphax Masinissæ bellum infert, et primo certamine Massylos fundit fugatque. Masinissa cum paucis equitibus ex acie in montem (Balbum incolæ vocant) perfugit: familiæ aliquot cum mapalibus[3] pecoribusque suis (ea pecunia illis est) persequuti sunt regem; cætera Massylorum multitudo in ditionem Syphacis concessit. Quem ceperant exsules montem, herbidus aquosusque est; et, quia pecori bonus alendo erat, hominum quoque, carne ac lacte vescentium, abunde sufficiebat alimentis. Inde nocturnis primo ac furtivis incursionibus, deinde aperto latrocinio, infesta omnia circa esse[4]: maxime uri carthaginiensis ager, quia et plus prædæ, quam inter Numidas, et latrocinium tutius erat. Jamque adeo licenter eludebant[5], ut ad mare devectam prædam venderent mercatoribus, appellentibus naves ad id ipsum, pluresque, quam justo sæpe in bello, Carthaginiensium caderent caperenturque. Deplorabant ea apud Syphacem Carthaginienses, infensumque et ipsum ad reliquias belli persequendas

3. *Cum mapalibus;* vide ad Sil. II, 85; XIV, 7; XVII, 88 sq. — Inde patet Numidas in illorum populorum numero fuisse qui vagas secum circumferebant domos; vid. Virg. Georg. III, 339, et Plin. V, 3. Iis quidem ædificia fuisse arbitratur Crev. sed ea nimirum ex junctis inter se lignis coagmentata facile dissolvebant, plaustrisque imposita in eo deinde loco, ubi commorari vellent, rursum aptabant. Ed. — *Ea pecunia illis est,* opes et loco pecuniæ. Conf. Ovid. Fast. V, 279 sq. — *Persequuti,* propr. *persequutæ,* sc. familiæ. Conf. ad cap. 12, n. 3. *Prosequuti* quidam MSS, et ex his Doer. Conf. ad XLV, 6, n. 4.

4. *Infesta omnia circa esse* (vide ad I, 7, n. 7): *maxime juris Carthaginiensium ager:* ita quidam libri prob. Gron. — Nostri omnes quos inspexi vulgatam servant; Crev. nihilominus Gronov. emendationem probat, et sic optime formatam esse orationem censet. Ed.

5. *Adeo licenter eludebant,* ludibrio quasi habebant homines. — *Ut ad mare devectam.* Hic locus in MSS non constat; unus e nostris dat *delectam;* alter *ut et* (a sec. manu) *de-*

instigabant : sed vix regium videbatur, latronem vagum in montibus consectari.

XXXII. Bocchar, ex præfectis regiis vir acer et impiger, ad id delectus. Ei data quatuor millia peditum, duo equitum : præmiorumque ingentium spe oneratus, si caput Masinissæ retulisset, aut vivum (id vero inæstimabile gaudium[1] fore) cepisset, palatos incurioseque agentes improviso adortus, pecorum hominumque ingenti multitudine a præsidio armatorum exclusa, Masinissam ipsum cum paucis in verticem montis compellit. Inde, prope ut jam debellato[2], nec præda modo pecorum hominumque captorum missa ad regem, sed copiis etiam, ut aliquanto majoribus, quam pro reliquiis belli, remissis, cum haud amplius peditibus mille ducentisque equitibus, degressum jugis Masinissam persequutus, in valle arcta, faucibus utrimque obsessis, inclusit : ibi ingens cædes Massylorum facta. Masinissa cum quinquaginta haud amplius equitibus per anfractus montis ignotos sequentibus se eripuit. Tenuit tamen vestigia Bocchar adeptusque eum patentibus prope Clupeam urbem campis, ita circumvenit, ut, præter quatuor equites, omnes ad unum interficeret : cum iis ipsum quoque Masinissam saucium prope e manibus inter tumultum amisit. In conspectu[3] erant fugientes; ala equitum, dispersa

latam, etc. Ed. — *Reliquias belli;* vide ad IV, 27, n. 1.

Cap. XXXII. 1. *Inæstimabile gaudium;* vide ad XXXI, 34, n. 2.

2. *Ut jam debellato;* vide ad I, 41, n. 10. — *Ut aliquanto majoribus, quam pro rel. b.* vide ad VII, 33, n. 2, et VIII, 30, n. 7. Mox *cum haud amplius peditibus mille d. e.* ex optimis plurimisque MSS recepi pro vulg. *cum quingentis h. a. p. d. e.*

3. *In conspectu* Boccharis et cæterorum *erant fugientes* Masinissa et IV equites; *ala equitum* CC, *dispersa toto campo, quibusdam* persequentium equitum, *ut* diversa fuga petentibus *occurrerent, per obliqua tendentibus* (vid. IV, 19, n. 1), *quinque hostes sequebatur,* Masinissam et IV comites : qui quum amnem directo nisu tranare cuperent, *amnis fugientes excepit, raptique gurgite,* violen-

toto campo, quibusdam, ut occurrerent, per obliqua tendentibus, quinque hostes sequebatur. Amnis ingens fugientes excepit (neque enim cunctanter, ut quos major metus urgeret, immiserant equos), raptique gurgite, et in obliquum prælati. Duobus in conspectu hostium in prærapidum gurgitem haustis, ipse periisse creditus : at duo reliqui equites cum eo inter virgulta ulterioris ripæ emerserunt. Is finis Bocchari sequendi fuit, nec ingredi flumen auso, nec habere credenti se jam, quem sequeretur: inde vanus auctor absumpti Masinissæ ad regem rediit; missique, qui Carthaginem gaudium ingens nuntiarent : totaque Africa fama mortis Masinissæ repleta[4] varie animos affecit. Masinissa in spelunca occulta, quum herbis curaret vulnus, duorum equitum latrocinio per dies aliquot vixit. Ubi primum ducta cicatrix, patique posse visa jactationem, audacia ingenti pergit ire ad regnum repetendum; atque, in ipso itinere haud plus quadraginta equitibus collectis, quum in Massylos, palam jam quis esset ferens, venisset, tantum motum quum favore pristino, tum gaudio insperato, quod, quem perisse crediderant, incolumem cerne-

tia ejus abrepti (cf. ad II, 56, n. 1), *et in obliquum prælati* (al. *relati* et *perlati*, sed optimi MSS *prælati;* vide ad I, 45, n. 7), aliquantum præter litus dati; Gron. Idem monet, admodum notabilem esse casum magni postea virtute ac fortuna regis, eoque accuratius Livium narrando illum exsequi.

4. *Tota Africa repleta fama mortis Masinissæ* poetice aut docte dictum pro : fama mortis Masin. qua tota Africa fuit repleta. — Hanc tamen locutionem impugnant Crev. et Drak. qui fatentur se non intelligere quid sibi velit, *Africa repleta fama affecit animos:* multo itaque concinnius fore et clarius, si resecta voce *repleta* legatur, *totaque Africa*, per totam Africam, *fama mortis*, etc. Cui conjecturæ accedere videtur unus e nostris MSS qui exhibet, *totaque in Africa*, servans tamen voc. *repleta*. Ed. — *Ubi primum ducta cicatrix*, obducta: sed proprie dicitur vulnus seu ulcus *cicatricem ducere* vel *inducere*, et *ad cicatricem perducere;* Schæf. Conf. Rhodii Lex. Scribon. p. 361, et Matthiæ Lex. Celsian. p. 76. — *Patique posse visa jactat.;* vid. XXI, 48, n. 5.

bant, fecit, ut intra paucos dies sex millia peditum armatorum, quatuor equitum, ad eum convenirent; jamque non in possessione modo paterni regni esset, sed etiam socios Carthaginiensium populos Masæsylorumque fines (id Syphacis regnum erat) vastaret: inde, irritato ad bellum Syphace, inter Cirtam Hipponemque in jugis opportunorum ad omnia montium consedit.

XXXIII. Majorem igitur eam rem Syphax ratus, quam ut per præfectum ageret, cum filio juvene (nomen Verminæ erat) parte exercitus missa, imperat, ut, circumducto agmine, in se intentum hostem ab tergo invadat. Nocte profectus Vermina, qui ex occulto aggressurus erat: Syphax autem interdiu aperto itinere [1], ut qui, signis collatis, acie dimicaturus esset, movit castra. Ubi tempus visum est, quo pervenisse jam circummissi videri poterant, et ipse leni clivo ferente ad hostem, quum multitudine fretus, tum præparatis ab tergo insidiis, per adversum montem erectam aciem ducit. Masinissa fiducia maxime loci, quo multo æquiore pugnaturus erat, et ipse dirigit suos. Atrox prælium et diu anceps fuit; loco et virtute militum Masinissam, multitudine, quæ nimio major erat, Syphacem juvante: ea multitudo divisa, quum pars a fronte urgeret, pars a tergo se circumfudisset, victoriam haud dubiam Syphaci dedit; et ne effugium quidem patebat hinc a fronte, hinc ab tergo inclusis: itaque cæteri pedites equitesque cæsi, aut capti. Ducentos ferme equites Masinissa circa se conglobatos, divisosque turmatim in tres partes, erum-

Cap. XXXIII. 1. *Aperto itinere; æquiore* loco, commodiore, opportuniore. Conf. extrema verba cap. 32, et supra ad librum XXII, cap. 16, not. 1. vide ad X, 14, n. 6. — *Quo pervenisse*, scil. ad hostes. — *Leni clivo;* vide ad II, 50, n. 9. — *Quo multo*

pere jubet; loco prædicto, in quem ex dissipata convenirent fuga. Ipse, qua intenderat[2], inter media tela hostium evasit: duæ turmæ hæsere: altera metu dedita hosti; pertinacior in repugnando telis obruta et confixa est. Verminam prope vestigiis instantem, in alia atque alia[3] flectendo itinera eludens, tædio et desperatione tandem fessum, absistere sequendo coegit. Ipse cum sexaginta equitibus[4] ad minorem Syrtim pervenit: ibi cum conscientia egregia sæpe repetiti regni paterni, inter punica Emporia[5] gentemque Garamantum omne tempus, usque ad C. Lælii classisque romanæ adventum in Africam, consumpsit. Hæc animum inclinant, ut cum modico potius[6], quam cum magno præsidio equitum, ad Scipionem quoque postea venisse Masinissam credam: quippe illa regnantis multitudo, hæc paucitas exsulis fortunæ conveniens est.

XXXIV. Carthaginienses, ala equitum cum præfecto amissa[1], alio equitatu per novum delectum com-

2. *Qua intenderat;* vide ad III, 70, n. 2, et IV, 19, n. 1. — *Duæ turmæ hæsere,* se non expediverunt e periculo; Ern. — *Pertinacior;* quædam edd. *altera pertinacior:* quod clarius. Sed vide ad III, 37, n. 6. Ed.

3. *In alia atque alia* loca, partes, *flectendo itinera* Verminam *eludens;* vide ad XXVII, 18, n. 7. *Itinere el.* Cantabr. probb. Jac. Gron. et Crev. Conf. ad I, 53, n. 3. — In quibusdam nostris codd. invenio, *in aliena atque alia flectendo itinere ludens.* Vulgatam tuetur Drak. Ed.

4. *Ipse cum LX equitibus,* alii LXXX, et LXX et X. Mox *egregie sæpe repetiti* (ut XXI, 40, *egregie vincere,* h. e. fortissime) conj. Doer. cui cur dictio *conscientia egregia* valde displiceat, vix assequor.

5. *Inter punica Emporia;* vide ad XXI, 60, n. 1. Mox verba *Garamantum omne tempus usque* absunt ab optimis MSS, unde Gron. conj. *inter p. Emporia Syrtimque* vel *Leptimque ad C. Lælii ... consenuit.* Cf. XXXIV, 62, et ad I, 22, n. 3; sed et ad XXI, 60, n. 1, et XXIX, 26, n. 3. Quum gens Garamantum non vicina fuerit Emporiis punicis, Masinissam non in uno loco delituisse, sed modo huc, modo illuc, se conferendo remotiora quoque loca adiisse, cogitandum est; Doer. Mox pro *consumpsit* Gron. conj. *consenuit,* et Drak. *concessit.* Sed aptius dicitur *omne tempus consumpsit.*

6. *Cum modico potius,* etc. conf. ad cap. 29, n. 2.

Cap. XXXIV. 1. *Ala equitum cum*

parato, Hannonem Hamilcaris filium præficiunt. Hasdrubalem subinde ac Syphacem per literas nuntiosque, postremo etiam per legatos, arcessunt : Hasdrubalem opem ferre prope circumsessæ patriæ jubent : Syphacem orant, ut Carthagini, ut universæ Africæ subveniat. Ad Uticam tum castra[2] Scipio, ferme mille passus ab urbe, habebat, translata a mari, ubi paucos dies stativa conjuncta classi fuerant. Hanno, nequaquam satis valido, non modo ad lacessendum hostem, sed ne ad tuendos quidem a populationibus agros, equitatu accepto, id omnium primum egit, ut per conquisitionem[3] numerum equitum augeret : nec aliarum gentium adspernatus, maxime tamen Numidas (id longe primum equitum in Africa est genus) conducit. Jam ad quatuor millia equitum habebat, quum Salecam nomine urbem[4] occupavit, quindecim ferme millia ab romanis castris. Quod ubi Scipioni relatum est, « Æstiva sub tectis equitatus[5] ! inquit : sint vel plures, « dum talem ducem habeant ». Eoque minus sibi cessandum ratus, quo illi segnius rem agerent, Masinissam cum equitatu præmissum portis obequitare atque hostem ad pugnam elicere jubet : ubi omnis multitudo se effudisset, graviorque jam in certamine esset, quam ut facile sustineri posset, cederet paulatim[6]; se in

præfecto amissa; conf. ad cap. 29 pr.

2. *Ad Uticam tum castra*, etc. cf. ad cap. 29, n. 1.

3. *Per conquisitionem ;* vide ad XXI, 11, n. 10. — *Nec aliarum gentium adspernatus*, sc. equites. At vide ad XXII, 13, n. 6.

4. *Salecam nomine urbem*, non aliis scriptoribus memoratam, quam vel Λάχαν vel Θολοῦντα Appiani Pun. 15 et 18 esse putant. In Put. Flor. et Gall. *Salæca*, et cap. 35, *Salacæ;* in plerisque MSS *Salecam*, unde recepi pro vulg. *Saleram*, quod substituit ed. Ven. an. 1495 errore forsan operarum. In paucis codd. *Saleta*, *Saletam*, *Saletham*, *Salegam*.

5. *Æstiva sub tectis equitatus* scil. agit ! Interrogationem malebat Gron. « *Equitatus* scil. agit ? Quid audio ? itane equites æstiva sub tectis ? Præclarum ducem et unicum auctorem disciplinæ, qui hoc indulget ! »

6. *Cederet paulatim* e plurimis

tempore pugnæ obventurum. Tantum moratus, quantum satis temporis prægresso visum ad eliciendos hostes, cum romano equitatu sequutus, tegentibus tumulis, qui peropportune circa viæ flexus oppositi erant, occultus processit. Masinissa, ex composito, nunc terrentis, nunc timentis modo, aut ipsis obequitabat portis, aut cedendo, quum timoris simulatio audaciam hosti faceret, ad insequendum temere eliciebat. Nondum omnes egressi erant, varieque dux fatigabatur, alios vino et somno graves arma capere et frenare equos cogendo, aliis, ne sparsi et inconditi sine ordine [7], sine signis omnibus portis excurrerent, obsistendo. Primo incaute se evehentes Masinissa excipiebat [8]: mox plures simul conferti porta effusi æquaverant certamen: postremo, jam omnis equitatus prælio quum adesset, sustineri ultra nequiere. Non tamen effusa fuga Masinissa, sed cedendo sensim, impetus eorum excipiebat; donec ad tumulos tegentes romanum equitatum pertraxit. Inde exorti equites [9], et ipsi integris viribus, et recentibus equis, Hannoni Afrisque pugnando ac sequendo fessis se circumfudere; et Masinissa, flexis subito equis, in pugnam rediit. Mille ferme, qui primi agminis fuerant, ut quibus haud

MSS recepit Drak. ut Livius more suo variaverit orationem, et suppleatur *jussit ut*. Conf. ad XXXIX, 14, n. 8. Simplicior lectio, a Doer. restituta, est *cedere p.* scilic. Masinissam jubet Scipio. — *Se in tempore* (ἐν καιρῷ) *pugnæ obventurum;* vide ad II, 47, n. 4, et XXI, 61, n. 1. — *Oppositi erant* tumuli; vide supra ad XXV, cap. 15, n. 5. — *Ad insequendum*. In quibusdam codd. *ad insequentem*, quod est in Put. ubi Gronovius legerat *insequentem* omisso *ad:* sed eum reprehendit Crev. Ed.

7. *Inconditi sine ordine;* vide ad XXI, 57, n. 11.

8. *Primo incaute se evehentes M. excipiebat;* vide supra ad II, 4, n. 3. *Primos* emend. Jac. Periz. quia non omnes simul egressi. Eo tamen non spectat vulgata lectio, eique favent, quæ sequuntur, *mox* et *postremo*. — *Æquaverant certamen* pares numero, non viribus.

9. *Inde exorti equites;* vid. supra ad IX, 31, n. 6.

facilis receptus fuit, cum ipso duce Hannone interclusi atque interfecti sunt. Cæteros, ducis præcipue territos cæde, effuse fugientes per tria millia passuum [10] victores sequuti, ad duo præterea millia equitum aut cepe-runt, aut occiderunt. Inter eos satis constabat, non minus ducentos Carthaginiensium equites fuisse, et divitiis quosdam et genere illustres.

XXXV. Eodem forte, quo hæc gesta sunt, die naves, quæ prædam in Siciliam vexerant, cum commeatu rediere; velut ominatæ, ad prædam alteram repetendam sese venisse. Duos eodem nomine Carthaginiensium duces [1] duobus equestribus præliis interfectos, non omnes auctores sunt; veriti, credo, ne falleret bis relata eadem res. Cœlius quidem et Valerius captum etiam Hannonem tradunt. Scipio præfectos equitesque, prout cujusque opera fuerat, ante omnes Masinissam, insignibus donis donat; et, firmo præsidio Salecæ imposito, ipse cum cætero exercitu profectus, non agris modo, quacumque incedebat, populatis, sed urbibus etiam quibusdam vicisque expugnatis, late fuso terrore belli, septimo die, quam profectus erat, magnam vim hominum et pecoris et omnis generis prædæ trahens, in castra redit; gravesque iterum hostilibus spoliis naves dimittit. Inde, omissis expeditionibus parvis populationibusque, ad oppugnandam Uticam omnes belli vires convertit, eam deinde, si

10. *Per tria millia passuum:* quidam MSS *per X m. p.*, et optimi *per XXX m. p.* Id vero credibilem persequendi modum excedere videri, nec verosimile esse, Masinissam, portis obequitantem sensimque cedentem, eos ad XXX millia passuum ab urbe abstraxisse, jam monuere Duk., Crev. et Drak.

Cap. XXXV. 1. *Duos eodem nomine C. duces*, Hannones; vid. cap. 29 pr. et 34. — *Non omnes auctores sunt;* vide ad II, 58, n. 1. — *Ne falleret bis relata eadem res;* vide ad III, 8, n. 2. Appianus, Pun. 14, 15, alterum Hannonem, alterum Magonem vocat, illumque captum a Masinissa permutatumque cum matre ejus tradit.

cepisset, sedem ad cætera exsequenda[2] habiturus. Simul et a classe navales socii, qua ex parte urbs mari alluitur, simul et terrestris exercitus ab imminente prope ipsis mœnibus tumulo est admotus. Tormenta machinasque et advexerat secum, et ex Sicilia missa cum commeatibus erant; et nova in armamentario, multis talium operum artificibus de industria inclusis, fiebant. Uticensibus tanta undique mole circumsessis in carthaginiensi populo, Carthaginiensibus in Hasdrubale ita, si is movisset Syphacem, spes omnis erat: sed desiderio indigentium auxilii tardius cuncta movebantur. Hasdrubal, intentissima[3] conquisitione quum ad triginta millia peditum, tria equitum confecisset, non tamen ante adventum Syphacis castra propius hostem movere est ausus. Syphax cum quinquaginta millibus peditum[4], decem equitum advenit; confestimque motis ab Carthagine castris, haud procul Utica munitionibusque romanis consedit. Quorum adventus hoc tamen momenti fecit[5], ut Scipio, quum quadraginta ferme dies nequidquam omnia experiens obsedisset Uticam, abscederet inde irrito incepto. Et (jam enim hiems instabat) castra hiberna in promontorio[6], quod tenui jugo continenti adhærens in

2. *Sedem ad cætera exsequenda;* vide ad IV, 31, n. 8. — *Simul et navales socii;* vide ad IX, 38, n. 1, et XXVI, 43, n. 2. — *Ab imminente*, etc. vide ad VIII, 17, n. 5: *ad imminentem tumulum* alii.

3. *Intentissima conquisitione* (vide ad XXI, 11, n. 10) *confecisset*, collegisset, coegisset, ut X, 38; XXIII, 41; XXXVIII, 14, et apud Cic. l. Manil. 21. Conf. ad III, 64, n. 3.

4. *Syphax cum quinquaginta millibus peditum*, etc. Cf. Polyb. XIV, 1, qui et Hasdrubali tot, quot Livius, milites dat.

5. *Hoc tamen momenti fecit*, id effecit; vide supra ad I, 12, n. 1, et I, 47, n. 7.

6. *Castra hiberna in promontorio*, etc. Conf. Polyb. XIV, 6, 7, ubi Schweigh. notat, castra hæc Cornelia, seu Corneliana, postea hinc dicta, et promontorium ad Uticæ orientem fuisse, τὴν ἄκραν τὴν πρὸς ἕω οὖσαν τῆς Ἰτύκης (cf. Cellar. G. A. IV, 4), at diversum a tumulo seu colle inf.

aliquantum maris spatium extenditur, communit: uno vallo et navalia castra [7] amplectitur. Jugo medio legionum castris impositis, litus ad septemtrionem versum subductæ naves navalesque socii tenebant; meridianam vallem ad alterum litus devexam equitatus. Hæc in Africa usque ad extremum autumni gesta.

XXXVI. Præter convectum undique ex populatis circa agris frumentum commeatusque ex Sicilia atque Italia advectos, Cn. Octavius proprætor ex Sardinia ab Ti. Claudio prætore, cujus ea provincia erat, ingentem vim frumenti advexit; horreaque non solum, quæ jam facta erant, repleta, sed nova ædificata. Vestimenta exercitui deerant: id mandatum Octavio, ut cum prætore ageret, si quid ex ea provincia comparari ac mitti posset: ea quoque haud segniter curata res. Mille ducentæ togæ [1], brevi spatio, et duodecim millia tunicarum missa. Æstate ea, qua hæc in Africa gesta sunt, P. Sempronius consul, cui Bruttii provincia erat, in agro crotoniensi cum Hannibale in ipso itinere tumultuario prælio conflixit: agminibus magis, quam acie, pugnatum est. Romani pulsi, et tumultu

XXX, 4, n. 6, et apud Polyb. XIV, 2, 3, qui magis versus meridiem Uticæ situs fuisse videatur. Conf. Drak. ad h. l. et Morus ad Cæs. B. C. II, 24. —Vid. quoque Plin. lib. V, c. 4. Ed.

7. *Et navalia castra*, stationem navium, ut XXX, 9, et ap. Cæs. B. G. V, 22. *Et navalia et castra* Pet. prob. Gron. *Et navalium castra* edd. ante Drak. Τὸν νάυσταθμον dixit Appian. Pun. 24. — *Subductæ naves*; vide ad VIII, 26, n. 1. — *Navalesque socii*; vide ad lib. IX, 38, n. 1. *Latus* multi MSS, bis pro *litus*. — Illud fortasse commodius putat Glareanus. Possumus tamen intelligere jugum illud ita porrectum esse in altum, ut mari tum a septemtrione tum a meridie cingeretur; sicque nihil erit mutatione opus. Ed.

Cap. XXXVI. 1. *Mille ducentæ togæ*, forte *m. ducenta saga*; Ern. Sed vide ad cap. 3. n. 2. — *In agro crotoniensi*. Hanc scripturam potius quam *crotonensi*, quæ tamen in multis codd. reperitur, a libris scriptis confirmari asserit Gronov. ad lib. XXVIII, 26: adde Sigon. ad Liv. XXII, 61, quos citat et sequitur Drak. Ed. — *Tumultuario prælio*; vide ad I, 37, n. 4. — *Agminibus magis, quam ācie, pugnatum*; vide ad X, 45, n. 6.

verius, quam pugna[2], ad mille et ducenti de exercitu consulis interfecti : in castra trepide reditum, neque oppugnare tamen ea hostes ausi. Cæterum silentio proximæ noctis profectus inde consul, præmisso nuntio ad P. Licinium proconsulem, ut suas legiones admoveret, copias conjunxit. Ita duo duces, duo exercitus[3] ad Hannibalem redierunt : nec mora dimicandi facta est, quum consuli duplicatæ vires, Pœno recens victoria[4] animo esset. In primam aciem suas legiones Sempronius induxit; in subsidiis locatæ P. Licinii legiones. Consul principio pugnæ ædem Fortunæ Primigeniæ[5] vovit, si eo die hostes fudisset; composque ejus voti fuit. Fusi ac fugati Pœni; supra quatuor millia armatorum cæsa; paulo minus trecenti vivi capti, et equi quadraginta, et undecim militaria signa. Perculsus adverso prælio Hannibal Crotonem exercitum abduxit. Eodem tempore M. Cornelius consul in altera parte Italiæ non tam armis, quam judiciorum terrore, Etruriam continet[6], totam ferme ad Magonem, ac per eum ad spem novandi res, versam. Eas quæstiones ex senatusconsulto minime ambitiose habuit; multique nobiles etrusci, qui aut ipsi ierant, aut miserant ad Magonem de populorum suorum de-

2. *Tumultu verius quam pugna;* vide ad XXI, 16, n. 5. — *Ad mille et ducenti;* vide ad IV, 59, n. 4.

3. *Duo duces, duo exercitus;* vide ad X, 25, n. 9.

4. *Pœno recens victoria* (in) *animo esset*, ille hujus memor esset. Ita optimi MSS. Sed aptior est vulgata lectio *animos faceret :* neque illud eodem sensu videtur accipi posse. Idem sentiebat Drak. at Gron. illud elegantius esse putabat, et Doer. dictum credit pro : *animo* sumendo, ad animum sumendum.

4. *Fortunæ Primigeniæ*, Πρωτογενείας, *ædem*, in colle Quirinali postea dedicatam; vid. XXXIV, 53, et XLIII, 13. Antiquiorem in Capitolio exstruxerat Servius Tullius; vide ad Plut. de Fort. Rom. cap. 17, p. 322, et Quæst. Rom. 106, pag. 281, ubi varias cognominis illius causas attulit. *Primigenia*, quæ primum natis adesse credebatur; Crev.

6. *Judiciorum terrore Etruriam continet;* vide ad XXII, 22, n. 9. — *Novandi res;* vide ad I, 52, n. 1. — *Ambitiose;* vide ad II, 27, n. 5.

fectione, primo præsentes erant condemnati [7]; postea, conscientia sibimet ipsi exsilium consciscentes, quum absentes damnati essent, corporibus subtractis, bona tantum, quæ publicari poterant, pigneranda [8] pœnæ præbebant.

XXXVII. Dum hæc consules diversis regionibus agunt, censores interim Romæ M. Livius et C. Claudius senatum recitaverunt [1]. Princeps iterum lectus Q. Fabius Maximus : notati septem; nemo tamen qui sella curuli sedisset. Sarta tecta acriter [2] et cum summa fide exegerunt. Viam e foro Boario ad Veneris, et circa foros publicos, et ædem Matris Magnæ in Palatio faciendam locaverunt. Vectigal etiam [3] novum

7. *Primo præsentes erant condemnati;* forte leg. *sunt* pro *erant;* Gron. — *Conscientia* (vide ad IV, 19, n. 6, et X, 18, n. 6) *sibimet ipsi exsilium consciscentes,* etc. puto eos designari, quorum crimen, quod non palam cum Magone de defectione ab Romanis egerant, occultius erat, quam ut certis indiciis accusari et condemnari possent; Duk.

8. *Pigneranda pœnæ præbebant bona,* tanquam pignus ad pœnam a se exsolvendam relictum; Doer. Cf. Drak. ad VI, 35, n. 2, et Budæus ad lib. XXXIV, D. de pigneribus.

Cap. XXXVII. 1. *Senatum recitaverunt,* et *princeps iterum lectus Fabius;* vide ad XXVII, 11, n. 8. — *Notati;* vid. XXIV, 16, n. 5.

2. *Sarta tecta acriter exegerunt;* vide ad VI, 4, n. 4. — « Opera publica, inquit Festus, quæ locantur ut integra præstentur, *sarta tecta* vocantur : etenim *sarcire* est, integrum facere. » Ea exigebant censores, quum cogebant redemptores ædificia publica, quæ tuenda conduxerant, integra præstare. Ed. — *E foro Boario ad Veneris;* vide ad I, 33, n. 6, et X, 23, n. 10. — *Circa foros publicos;* vide supra ad I, 35, n. 6, et Argol. ad Panvin. de Ludis Circ. I, 5. « Cur *fori* in Circo max. (vid. I, 35 et 56) *publici* h. l. et XLV, 1, dicti fuerint, exponunt Salmas. ad Solin. p. 646, et Græv. in Proleg. tom. IX Thes. Ant. Rom. Quæ fuerit *via circa foros publicos,* quam hi censores faciendam locaverunt, non docent. Fortassis fuit illa, de qua XLV, 1 scribit, *quum per circum veheretur* consul *ad foros publicos.* » Duk. — *Locaverunt* (vide ad V, 23, n. 6) *ædem Matris Magnæ in Palatio faciendam,* quam a Scipione Nasica ædificatam tradit Aurel. Vict. de Vir. ill. cap. 46. Conf. Ovid. Fast. IV, 37, ibique Heins. et Burm.

3. *Vectigal etiam novum* primumque (nam Ancus Marcius *salinas instituit,* vide ad I, 33, et Plin. XXXI, 7, non *vectigal* salis imposuit civibus) *ex salaria annona statuerunt :* quod quantum fuerit, nusquam memoratur. Salinæ autem, ex quibus vectigal salis

ex salaria annona statuerunt : sextante sal et Romæ et per totam Italiam erat; Romæ pretio eodem, pluris in foris et conciliabulis, et alio alibi pretio præbendum locaverunt. Id vectigal commentum alterum ex censoribus satis credebant, populo iratum, quod iniquo judicio quondam damnatus esset; et in pretio salis maxime oneratas tribus, quarum opera damnatus erat, credebant : inde Salinatori Livio inditum cognomen. Lustrum conditum[4] serius, quia per pro-

cogebatur, erant publicæ, vel Romæ vel in provinciis, et mancipes salinarum fere ii, qui damnati in eas detrudebantur, ut alii in metalla; vide Burm. de Vectig. populi rom. cap. 6, p. 90, 91. *Annona salaria*, proventus et pretium salis, quod quotannis vendebatur. Conf. XXXV, 44 extr. — *Sextante sal et Romæ et per totam Italiam* ante hoc vectigal inventum *erat*, scil. venale, ut passim *esse* pro *venale esse* aut *valere*, ut XXXIX, 44, n. 2; apud Cic. Verr. III, 75; Offic. III, 23, et Rosc. Com. 12. Cf. Gron. de Pec. Vet. IV, 1, p. 261, et de *sextante*, ibid. IV, 12. *Sal* autem h. l. pro certa mensura salis dici, ut *frumentum* pro *modio frumenti*, lib. XXXI, 4, coll. cap. 50, et apud Cic. Verr. III, 83 sq., jam monuit Duk. — *Romæ pretio eodem*, veteri, sextante, *pluris in foris et conciliabulis;* vide ad XXV, 5, n. 3. — *Quod... damnatus esset;* vide ad XXII, 35, n. 3. — *Et in pretio salis maxime oneratas tribus, quarum opera damnatus erat* (quas fuisse omnes præter Mæciam, mox memoratur), *credebant*, verba difficilia, quæ nobis non magis lucent, quam Dukero, qui hæc notavit : « Facile intelligi potest, pretium salis, novo imposito vectigali, non idem, quod ante, esse potuisse. Sed quomodo fieri potuerit, ut aliæ tribus magis, aliæ minus, in eo oneratæ fuerint, ex his, quæ hic scribuntur, non perspicio, et ab iis, qui plus vident, discere cupio. Nam ex omnibus tribubus alii cives Romæ habitabant, alii per fora et conciliabula aliaque Italiæ loca sparsi erant; et, si sal *veteri pretio* Romæ præbitus fuit, qui ex XXXIV tribubus in Urbe degebant, in eo non magis onerati fuerunt, quam qui ex Mæcia; nec, qui ex Mæcia extra Urbem in foris et conciliabulis aliisque Italiæ locis, minus quam illi. » Annotatio Doer. est : « *maxime oneratas tribus*, scil. omnes præter Mæciam. Itaque omnes cives romani, ne Mæcia quidem, ut videtur, tribu excepta, novi vectigalis onus senserunt. Difficultates, quas Dukerus sibi peperit, exortæ sunt inde, quod verba *pretio eodem* (h. e. pretio, quod semel per novum vectigal constitutum esset, uno eodemque seu æquali) pro vetere pretio, sextante, accepit ». Non satis capio mentem viri docti.

4. *Lustrum conditum* (vide ad I, 44, n. 3) *serius, quia per provincias dimiserunt censores, ut*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10. Nota Dukeri est : « Censuram post legem Mam. Æmilii annuam et semestrem fuisse, nemo

vincias dimiserunt censores, ut civium romanorum in exercitibus, quantus ubique esset, referretur numerus. Censa cum iis ducenta decem quatuor millia hominum: condidit lustrum C. Claudius Nero. Duodecim deinde coloniarum [5] (quod nunquam antea factum erat), deferentibus ipsarum coloniarum censoribus, censum acceperunt; ut, quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monimenta exstarent. Equitum deinde census agi cœptus est; et ambo forte censores equum publicum habebant [6]. Quum ad tribum Polliam ventum est, in qua

nescit. *Lustrum conditum* a censoribus altero anno, quam erant creati, peractis omnibus, quæ muneris censorum erant, itidem constat ex XXVII, 11, 36; XXXIV, 44; XXXV, 9; XXXVII, 58; XXXVIII, 36; XLI, 27; XLII, 10. Quid ergo est, quod his censoribus *lustrum serius conditum* scribit Livius? An hoc significat, eos ultra tempus lege finitum censuram gessisse? Ita sane videtur ob causam, quam dicit: nam XVIII mensium vel pauciorum, si non statim inito magistratu *per provincias dimiserunt*, spatium angustius fuisse videtur, quam ut eo *numerus civium, qui in exercitibus erat*, iniri ac *referri* potuerit. Nam et hoc extraordinarium fuisse argumento est, quod nunquam ante hoc tempus id factum prodit Livius, quodque superioribus lustris longe fuit minor civium censorum numerus; vide ad XXVII, 36, et XXXV, 9. Nec tamen ita censores hi aliter, quam ex auctoritate publica, ultra legitimum tempus in magistratu esse potuerunt. Quod etsi non tradit Livius, tamen et res ipsa docet, et ex XLV, 15 colligi potest. Pighius ad an. 635 et 684 eos hoc a senatu petiisse scribit. Hoc non dicit Livius, et non sine ratione dubitari potest, an ea potestas senatus fuerit. Potuerunt tamen hoc a senatu petere, sed ita, ut senatus cum tribunis ageret, ut de ea re ad populum ferrent.» Forte, ut in prorogatione imperii solebat, ea de re ex senatusconsulto ad populum in comitiis agendum fuit, et XLV, 15, *Tremellius trib. pl. intercessit*, ne senatusconsultum fieret; Drak. — *Censa cum iis CCXIV millia h.;* conf. infra ad XXXV, 9, n. 1.

5. *Duodecim deinde coloniarum*, quæ auxilia negaverant; vid. XXVII, 9, et XXIX, 15. — *Deferentibus ipsarum coloniarum censoribus;* vide ad cap. 15, n. 5. « De censoribus coloniarum et municipiorum agunt Sigon. de Ant. jur. Ital. II, 4 et 8, et Spanhem. de pr. et usu num. Diss. X, cap. 2, § 2, 3, et in Orbe Rom. I, 9; Lips. de Mil. Rom. 1, ex h. l. scribit *ipsos romanos censores tandem censum in coloniis egisse*. Id neque hic, neque cap. 15, dicit Livius. » Duker.

6. *Et ambo forte censores equum publicum habebant*. Nota Dukeri est: « Equites romanos magistratu capto

M. Livii nomen erat [7], et præco cunctaretur citare ipsum censorem; « Cita, inquit Nero, M. Livium », et, sive ex residua et vetere simultate, sive intempestiva jactatione severitatis inflatus, M. Livium, quia populi judicio esset damnatus, equum vendere jussit. Item

equites esse desiisse, eosdemque a censoribus in senatum lectos *equum publicum* amisisse, contra Manut. de Civ. Rom. p. 3, tom. I, Thes. Ant. Rom. disputant Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II, 3, et Grævius in Proleg. illius tomi. Nec juvari Manutium hoc loco Livii putant, eo quod facile evenire potuerit, ut hi censores *propter robur ætatis*, ut de iis loquitur Val. Max. II, 7, n. 6, equum publicum retinuerint, et tamen senatores fuerint; aut utrique non lectione censorum, sed jure magistratus in senatum venerint. Sed nihil est, unde probari possit, vel hos, vel Scipionem Asiaticum, qui, quum an. U. 563 consul fuisset, a. U. 569 equum publ. habebat (vid. XXXIX, 44), jure magistratus, non lectione censorum, in senatum venisse; vide ad XXVII, 34. Nec ulla ratio dici potest, cur equites, qui a censoribus in senatum lecti erant, eo ipso equum publ. amiserint; qui ab iis non lecti jure magistratus in senatum venerant, eum retinere potuerint. Locus Varronis apud Gell. III, 18, de pedariis senatoribus nihil ad hanc rem facit. Verius esse puto, quod Gruchius (de Com. Rom. I, 4, in Thes. Græv. t. I, p. 605, dicit, *nec vetabat quemquam senatorem esse, et in iis tamen centuriis* (equitum) numerari, *quæ belli causa institutæ fuerant;* et, quanquam nihil definio, tamen conjicio, equites, sive a censoribus in senatum lecti fuissent, sive jure magistratus in eum venissent, equum publ. vel retinere, si per robur ætatis, ut hi censores, militare possent, vel reddere, quod Pompeium in primo consulatu fecisse Plut. scribit, potuisse. Sigonii sententia non alio fundamento niti potest, quam ordinem equestrem jam illo tempore in civitate rom. medium inter senatorium ac plebem, et ab utroque distinctum fuisse. Sed ante C. Gracchi et aliorum post illum leges judiciarias duo tantum ordines civium, *senatus* et *populus*, *Patres* et *plebs*, nominantur. » Cf. XXX, 18, n. 7.

7. *Quum ad tribum Polliam ventum est, in qua M. Livii nomen erat*, etc. « Manut. de Civ. Rom. p. 33, et alii VV. DD. argumento h. l. putant, *cives romanos post expletas XXXV tribus non in centuriis, sed in sua quemque tribu censos fuisse.* Sed Livius his verbis non de censu civium, de quo jam dixerat, verum post eum, ut solet (conf. XXVII, 11; XXXIV, 44; XXXVIII, 28; XXXIX, 44; XLI, 27; XLV, 15), de recognitione centuriarum equestrium agit (vide ad IX, 46, n. 20). Nam quod hic *equitum censum agere*, id XXXVII, 28 *equitatum recensere*, et XXXIX, 44 *equitatum recognoscere* dicit. Itaque Manutii sententiæ, etiamsi eam veram esse ponamus, in h. l. non multum præsidii est, quum neque de censu civium sermo sit, neque in eo idem, quod in recognitione equitum, factum fuisse, necessario sequatur. » Duk. — *Equum vendere jussit;* vide supra ad XXIV, 18, n. 4.

M. Livius, quum ad tribum Arniensem[8] et nomen collegæ ventum est, vendere equum C. Claudium jussit, duarum rerum causa; unius, quod falsum adversus se testimonium dixisset; alterius, quod non sincera fide secum in gratiam redisset. Itaque ibi fœdum certamen inquinandi famam alterius cum suæ famæ damno factum est. Exitu censuræ quum in leges jurasset C. Claudius[9], et in ærarium escendisset, inter nomina eorum, quos ærarios relinquebat[10], dedit collegæ nomen. Deinde M. Livius in ærarium venit, et, præter Mæciam tribum, quæ se nec condemnasset, neque condemnatum aut consulem aut censorem fecisset, populum romanum omnem, quatuor et triginta tribus, ærarios reliquit; quod et innocentem se condemnassent, et condemnatum consulem et censorem fecissent, neque infitiari possent, aut judicio semel, aut comitiis bis ab se peccatum esse : inter quatuor et triginta tribus et C. Claudium ærarium fore. Quod si exemplum haberet bis eumdem ærarium relinquendi, C. Claudium nominatim se inter ærarios fuisse reli-

8. *Ad tribum Arniensem;* vide ad VI, 5, n. 7. — *Quod falsum adversus se testimonium dixisset;* vid. XXII, 35, n. 3. Mox *Neque fœdum certamen* optimi MSS, unde Gron. bene conj. *Æque fœdum certamen...factum est exitu censuræ. Quum in leges*, etc.

9. *Exitu censuræ quum in leges jurasset C. Claudius:* nam magistratum et inituri et deposituri *jurabant in leges*, et illi quidem, se nihil contra leges facturos esse, hi vero, se nihil contra leges fecisse; et censores præterea, se nec gratia nec odio quidquam acturos esse et egisse, sed sincero animo et quæ e republica essent. Conf. XXXI, 50. « C. Valerius Flaccus, quem ædilem curulem crearant, quia flamen dialis erat, jurare in leges non poterat : magistratum autem plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere. Petente Flacco, ut legibus solveretur...datus qui juraret pro fratre L. Valerius Flaccus prætor ...plebesque scivit, ut perinde esset, ac si ipse ædilis jurasset. » Zonar. Ann. VII, 9, et intpp. Plin. Pan. 64, 65. — *In ærarium escendisset;* vide ad II, 7, n. 7.

10. *Quos ærarios relinquebat;* vide ad IV, 24, n. 5. Proprie censor magistratu abiturus relinquebat in ærario indicem seu album, in quo nomina æræriorum consignata erant. — *Quatuor et triginta tribus*, omnes præter Mæciam; vid. XXIII, cap. 12, n. 9.

cturum. Pravum certamen notarum inter censores: castigatio inconstantiæ populi[11] censoria et gravitate temporum illorum digna. In invidia censores quum essent, crescendi ex his ratus esse occasionem Cn. Bæbius tribunus plebis diem ad populum utrique dixit. Ea res consensu Patrum discussa est, ne postea obnoxia populari auræ[12] censura esset.

XXXVIII. Eadem æstate in Bruttiis Clampetia a consule vi capta, Consentia[1] et Pandosia et ignobiles aliæ civitates voluntate in ditionem venerunt. Et quum comitiorum jam appeteret tempus, Cornelium potius ex Etruria, ubi nihil belli erat, Romam acciri placuit: is consules Cn. Servilium Cæpionem et C. Servilium Geminum[2] creavit. Inde prætoria comitia habita: creati P. Cornelius Lentulus, P. Quintilius Varus, P. Ælius Pætus, P. Villius Tappulus: hi duo, quum ædiles plebis essent, prætores creati sunt. Consul, comitiis perfectis, ad exercitum in Etruriam rediit. Sacerdotes eo anno mortui atque in locum eorum suffecti: Ti. Veturius Philo flamen martialis in locum M. Æmilii Re-

11. *Castigatio inconst. populi*, etc. quæ verba duplicem admittunt interpretationem: vel *castigatio censoria inconstantiæ populi* fuit et *digna temporum illorum gravitate*: vel castigatio inc. pop. fuit digna qua censoria, qua temporum illorum gravitate; Gronovius. — *Crescendi ex his;* vide ad XXIII, 48, n. 8.

12. *Obnoxia populari auræ;* vide ad III, 33, n. 2; III, 39, n. 1.

Cap. XXXVIII. 1. *Clampetia* et *Consentia* ad Romanos serius defecere; vide ad XXX, 19. Sed prudens lector intelligit facile, his coss. inceptæ rei nescio quid impedimenti intervenisse, ut alii quidem non valde volentes aliqua necessitate adacti deditionem suam ad consulem priorem miserint, alii majore studio denudare cœperint animos, res vero tota non nisi proximo anno perfecta ac rata fuerit; Gron. *Clampetia* Bruttiorum eadem, quæ Λαμπέτεια dicitur Steph. et Polyb. XIII, 10, 2, ubi vid. Schweigh. De *Consentia* etiam XXV, 1, et XXVIII, 11, varie scribit: et *vi* mutari vix potest, quia *voluntati* opponitur; Duk.

2. *C. Servilium Geminum*, ut lib. XXXI, 4. *Cn.* omnes MSS et edd. ante Drak. Gemini non modo patricii fuere, sed etiam plebeii. Conf. Pigh. Ann. ad an. DL, et inpr. Periz. Anim.

gilli, qui priore anno mortuus erat, creatus inauguratusque; et in M. Pomponii Mathonis auguris et decemviri[3] locum creati, decemvir M. Aurelius Cotta, augur Ti. Sempronius Gracchus admodum adolescens, quod tunc perrarum in mandandis sacerdotiis erat. Quadrigæ aureæ eo anno in Capitolio positæ ab ædilibus curulibus, C. Livio et M. Servilio Gemino. Et ludi Romani biduum instaurati[4] : idem per biduum plebeii ab ædilibus P. Ælio, P. Villio : et Jovis epulum fuit ludorum causa.

hist. cap. 2, p. 46. Mox *Cn. Cornelius Lentulus* h. l. et XXX, 1 et 36, ex emend. Sigon. et Pigh. reposuere Gronov. et Crev. Sed vid. Duker. ad XXX, 36 pr.

3. *Auguris et decemviri;* vide ad XXVII, 6, n. 8. — *Augur Ti. S. Gracchus admodum adolescens, quod tunc perrarum in mandandis sacerdotiis erat;* vid. Noris. Cen. Pis. II, 5 extr. Spanhem. de pr. et usu num. Diss. XII, cap. 4, § 5; Lips. ad Sen. Consol. ad Marciam, 24.

4. *Ludi Romani biduum instaurati,* etc. vide ad II, 36, n. 1. — *Idem per biduum,* etc., immo *item;* Sigon. et Doer. — *Item* unus quoque e nostris codd. exhibet. Ed.

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC QUINTO VOLUMINE CONTINENTUR.

Liber vicesimus quintus : breviarium... Pag. 1
Liber vicesimus sextus : breviarium 103
Liber vicesimus septimus : breviarium..... 219
Liber vicesimus octavus : breviarium 331
Liber vicesimus nonus : breviarium..... ... 443

FINIS QUINTI VOLUMINIS.

Bayerische Staatsbibliothek München

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Livius, Titus, / Freinsheim, Johann, / Lemaire, N. E.,

Titus Livius Patavinus

Bd.: Vol. 5 : Liber 25 - 29

Parisii 1823

A.lat.b. 2308 f-5
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10247389-3